








REMENSIS,

.LUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI in Christo Patris, nec-non Serenissimi Principis ARMANDI-JULII DE ROHAN, Archiepiscopi, Ducis Remensis, primi Franciæ Paris, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legati nati, & Galliæ Belgicæ Primatis autoritate,

tque Venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

PARS AUTUMNALIS.

Vænit IX. libras non compactum.





REMENSIS,

LUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
Christo Patris, nec-non Serenissimi Principis
RMANDI-JULII DE ROHAN, Archiepiscopi,
Ducis Remensis, primi Franciæ Paris, Sanctæ
edis Apostolicæ Legati nati, & Galliæ Belgicæ
rimatis autoritate,

ue Venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

PARS AUTUMNALIS.

Vænit IX. libras non compactum.



veritas. Nostrum est, ea quæ novimus imitari, quæ verò ignoramus, ne scrutari quidem; ne falsa animi sagacitate delusi, in incerta & ficta offendamus, quibus impediti à vera pietate rejiciamur.

4°. *Inter Sanctos, præcipuam eorum rationem habuimus, qui universam Ecclesiam scriptis ditavêre, vel quorum nomina in Missæ Canone recensentur, aut qui nostram Diœcesim, ac Provinciam suis exornarunt virtutibus.*

5°. *Sanctorum Apostolorum Festa ad classem majoris duplicis eveximus. Festum verò sancti Petri Apostolorum Principis ad Solemne-minus proveximus, ut Primatus ille, quem, Deo dante, super alios Apostolos obtinuit, singulari cultûs dignitate clariùs emineret, debitaque sedi Apostolicæ, quæ communionis Catholicæ centrum est, reverentia firmiùs animis inscriberetur.*

6°. *Quod ad Hymnos spectat, eos præsertim elegimus, qui Catholicæ doctrinæ, Christianæ pietati, ac metricis regulis magis consonarent. Diligenter etiam cavimus ne quid in eis resideret quod teretes Catholicorum aures posset offendere. Carmina verò ad-amussim ita exegimus, ut incomposita omnino rejecerimus: at propter reverentiam & S. Ambrosio & S. Thomæ Aquinati debitam, ea tamen quæ his Doctoribus assignantur, retinuimus.*

7°. *Singulis diebus, in Officio ad Primam, unum Canonem, vel ex Conciliis tùm Œcumenicis, tùm particularibus, præsertim Remensibus, vel ex sanctorum operibus desumptum apposuimus, ut, ex aliorum in Gallis Episcoporum exemplo, credendi, orandi & agendi normam simul haberent Clerici, quos in Canonum scientia Patrumque doctrina exercitatos esse* Epist. ad Episc.
oportet, ut rectè monet Papa Celestinus Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec

quidquam facere quod patrum regulis possit obviare.

8°. *Quando aliquod Domini nostri Jesu Christi Mysterium celebratur, in ultima Octava die Officium assignavimus proprium, in quo Mysterium de novo exhibetur, nempe ut plenior sit illius notitia, reverentia augeatur: demùm quæ in sacris scripturis & traditione de illo enuntiantur, erudiendis Christianis scilicet aptiora, ea faciliùs evolvantur.*

Denique quod ad ritus spectat, eos retinuimus, quos Ecclesia nostra Metropolitana antiquitùs observat, quosque propter insitam illis majestatem non decebat immutari; novos quosdam adjunximus, ut, servatâ quæ in necessariis debetur antiquitati reverentiâ, ea ex quibus divini Officii dignitas & splendor efflorescit, in omnibus usurparemus.

Ea sunt, de quibus vos monitos volumus; quæ, ut ad Dei laudem, *Ecclesiæ decus, & Christianorum salutem exequeremur, nullo labori pepercimus, congregato virorum doctrinâ & pietate insignium, qui de liturgicis rebus inter se differerent, cœtu; doctis eorum disputationibus sæpè interfuimus. Quid multa? Eorum omnium, quæ operi perficiendo necessaria duximus, nihil à nobis est neglectum. Nobis hac in parte, ut in cæteris omnibus, suum studium, suam sagacitatem exeruit Reverendus Præsul,* (a) *quem nostræ sollicitudinis Socium, quem Pastoralis curæ participem, quem nostrum in Christo Jesu adjutorem concessit* misericors & miserator Dominus. *Is, sibi ascitis quos huic negotio pares existimavimus, & quorum facultates jam in gravioribus exploraveramus, pro innata sibi omnium rerum & earum præcipuè quæ ad Deum pertinent, intelligen-* Psalmus 110.

(a) Reverendus D. Episcopus Cydoniensis.

fiduò immorantur ; ut orationis cùm privatæ tùm publicæ vim singularem, qua cœlum ipsum sæpiùs perfregit, prædicent & extollant: Hinc domus Deo sacra, vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, continuo laudum concentu, qui ad nos usque pertinuit & hodie viget ubique terrarum, personaverunt. Ut igitur tam piæ consuetudini, pro virili parte consuleremus, precandique fervorem, quem ab iis qui præcesserant, illibatum acceperamus, traderemus posteris magis ac magis accensum; cùm animadverteremus defecisse Breviarii nostræ Ecclesiæ exemplaria, statim curavimus ut de integro recuderetur, & optimo quàm posset digereretur ordine. Equidem à Prædecessoribus nostris summâ curâ elaboratum fuerat in adornandis Breviariis: Sed quàm multa supererant, quæ emendari jamdiù postulabant rerum Ecclesiasticarum periti, & dudum reformari præceperant Concilia, imprimìs Tridentinum generale, & provinciale nostrum anni 1583.

Ab uno ferè sæculo Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, ut Clericorum pietati simul & institutioni prospicerent, neque impensis neque vigiliis pepercerunt, ut precum collectiones in novum ordinem qui lucem & doctrinam præferret, disponerentur. Quo successu rem perfecerint, sibi nunc gratulatur Ecclesia; cujus gratulationis in partem ut ipsi veniamus, novam etiam Breviarii methodum ita adornavimus, ut quidquid in cæteris optimum foret, & ad Dei cultum, Ecclesiæque decus maximè congruens, id velut publicam materiam privati juris fecerimus. Ex illis ergò quasi totidem floribus distinctum, quod hodiè primùm in lucem prodit, Breviarium sic accipiatis, ut & pietati vestræ simul & Ecclesiæ nostræ dignitati respondeat. Nostram *enim Remensem inter* Galliæ Primarias *insignem, (a) in qua divinum Officium, illa*

Ceremoniarum apparatu qui exteros in admirationem rapit, celebratur, eo precum præsidio quo cætera florent & illustrantur, defraudari doleamus.

Neque ab initio nostri Pontificatûs quidquam habuimus antiquius, quàm ut deletis tum in fidei morumque doctrina, tùm in divino cultu nævis & erroribus; omnia provideremus ex quibus exurgit decor domus Dei, ad dandam omnibus scientiam salutis, & ut pararemus Domino Plebem perfectam. *Quorum omnium veluti summam in præsenti Breviario vobis exhibemus, ut suscepti operis quæ sit præstantia, quæ natura illius & ratio probè intelligatis.* Luc. 1. v. 17.

1°. *Quod Concilia, Sancti Patres, & eruditissimi quique in votis semper habuerunt, ut Antiphonæ, Capitula, Versiculi & Responsoria non nisi è sacris divinæ scripturæ fontibus desumerentur, illud peregimus. Gratiùs enim pervenit ad Deum oratio, si constet ex his vocibus quas ipse dictavit:* Amica & familiaris est[a] oratio Deum de suo rogare. S. Cypr. de Orat. Dom.

2°. Cùm à primæva Breviarii institutione, id antiqui Patres voluisse videantur, ut singulis Hebdomadis totum Psalterium recitaretur *Psalmos ita distribui voluimus, ut singulis Hebdomadis omnes legi possint; quò ut certiùs fiat, Feriales Psalmos in Festis infra solemne-minus, retineri mandavimus.* Concil. Remens. an. 1564. Cong. 3.

3°. *In Officiis Sanctorum ea tantùm legenda præscripsimus, quæ ex optimæ notæ scriptoribus depromi solent: Quæ verò aut nullis, aut parùm certis fulciebantur auctoritatibus, illa prorsùs rejecimus; nihil enim pietati magis est consonum, nihilque eam vividiùs accendit, quàm*

(a) Ecclesia Remensis inter Metropoles Galliæ insignis. Innoc. *VIII. in Bulla* ad Regem & Episcopos *Galliæ anno 1490.*

tua, felicem adeò navavit operam, ut opus ad optatum finem pervenerit.

Re igitur perfectâ, de consensu venerabilis Capituli Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, Breviarium edendùm curavimus. Quod vobis dum
Psal. 2. *offerimus, vos hortamur & obsecramus*, ut servientes Domino in timore, *ministerium quod vobis traditum est, dignè Deo adimpleatis, neque unquam è memoria excidat, dum Canonicas Horas absolvitis, Ecclesiam ipsam quam*
Act. 20. ✝. 9. *Christus* acquisivit Sanguine suo, *pro qua se-*
Ephes. 5. ✝. 25. 26. ipsum tradidit, ut illam sanctificaret, *præsentem à vobis exhiberi. Tunc enim illius non ministri tantùm, sed os ipsum & lingua, Dei laudes concinitis, quod perenne est divinæ illius sponsæ munus. Per vos castissima columba gemit, patriam quæ in cœlis est, suspirans; per vos suavissimos sponsi amplexus piis clamoribus*
In Psal. 85. *provocat.* Oratio tua, *inquit sanctus Augustinus*, locutio est ad Deum. Quando legis,
Chrysostom. Hom. 27 in Epist. ad Hebr. Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris. *Illud ergo intendite*, ad quem *vobis* sermo; & *mente attendite, quia* angeli sunt præsentes cum timore & tremore.

Anno 1549. Cap. 6.
Act. 20. v. 28.
Ephes. 5. v. 25. 26.
Omnes qui Horis Canonicis persolvendis deputati sunt, *sapienter edicit Concilium Trevirense secundum*, dent operam ut collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absolvant: nec ita se habeant, ut dum voce psallunt, quidvis potiùs quàm Deum animo cogitare videantur...... Quid autem est, voce quidem psallere, mente autem domum aut forum circumire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodùm est quod Scriptura dicit: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

Vos itaque genus electum, gens sancta, *ministri Dei*, qui facitis voluntates ejus:

quos sanctæ Ecclesiæ angelicum ordinem Conci-
lia vocant, Psallite Deo ; *verùm* quo- Concil.
niam Rex omnis terræ Deus, Psallite sa- Foroju-
pienter. *Quæcumque autem vel in sacris scrip-* liense,
turis, vel in sanctorum vita, vel in patrum an. 791. Psal. 46.
præceptis, vel in sanctionibus Canonum, ad
fidei tutelam, morum emendationem, perfectio-
nemque justitiæ deprehendetis (porrò *id unum*
spectant & divina & Ecclesiastica oracula)
ea quidem omnia altâ mente retineatis ; at præ-
sertim vestrâ vivendi ratione exhibeatis, Ut
secundùm eum qui vocavit vos, Sanctum, 1. Petr. 4 v. 11.
& ipsi in omni conversatione sancti sitis ; Ibid. 1.
ut in omnibus honorificetur Deus per Je- v. 15.
sum Christum, cui est gloria & imperium Zach. 12
in sæcula sæculorum. Effundat super vos v. 10.
Deus spiritum gratiæ & precum, ut preci- Judith. 4
bus sanctis orando, exaudiat vos Dominus, v. 13.
mittat vobis auxilium de sancto, & impleat Psal. 19.
omnes petitiones vestras.

QUOCIRCA MANDAMUS omnibus nostræ Diœceseos ambitu contentis, omnibus scilicet Ecclesiis, Capitulis, Monasteriis, Collegiis atque Ordinibus divinum Officium ad Remensis Ecclesiæ formam recitare solitis ; item omnibus & singulis Parochis & Clericis divino Officio astrictis, ut dimissis aliis quibuscumque Breviariis, hoc nostrum duntaxat ad publica & privata Officia adhibeant. DATUM Parisiis, anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo ; die verò mensis Maii vigesimâ quartâ.

† ARM. JUL. P. DE ROHAN Archiepisc.
Dux Remensis.


De Mandato Serenissimi
Principis Archiepiscopi, Ducis Remensis.
BOISEL.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	Aureus Nu.	Epacta.	Indictio Rom.	Litt. Dom.	Dom. post Epiph.	Septuages.	Dies Cinerum. Simplex.
1759	12	j	7	g	5	11 Febr	28 Febr.
1760	13	xij	8	f e	3	3 Febr.	20 Febr.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Febr.
1762	15	iv	10	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Febr.	20 Febr.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1767	1	xxx	15	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Febr.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1770	4	iij	3	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Febr.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1778	12	j	11	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Febr.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Febr.
1781	15	iv	14	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1783	17	xxvj	1	e	5	16 Febr.	5 Mart.
1784	18	vij	2	d c	4	8 Febr.	25 Febr.
1785	19	xviij	3	b	2	23 Jan.	9 Febr.
1786	1	*	4	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1787	2	xj	5	g	4	4 Febr.	21 Febr.
1788	3	xxij	6	f e	1	20 Jan.	6 Febr.
1789	4	iij	7	d	4	8 Febr.	25 Febr.
1790	5	xiv	8	c	3	31 Jan.	17 Febr.
1791	6	xxv	9	b	6	20 Febr.	9 Mart.
1792	7	vj	10	A g	4	5 Febr.	2 Febr.
1793	8	xvij	11	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1794	9	xxviij	12	e	5	16 Febr.	5 Mart.
1795	10	ix	13	d	3	1 Febr.	18 Febr.
1796	11	xx	14	c b	2	24 Jan.	10 Febr.

FESTORUM MOBILIUM.


Anni Domini.	PASCHA Annuale-majus.	*Ascensio Domini.* Sol. maj.	Pentecost. Annuale-majus.	*Festo Corp. Ch.* An. min.	*Dom. post Pent.*	*Dom. prima Adv.*
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 De.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 No.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 No.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 No.
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 No.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 De.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 De.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 No.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 No.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 No.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 De.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 De.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 De.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 No.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 No.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 No.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 De.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 De.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 No.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 No.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 No.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 De.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 De.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 De.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 No.
1784	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 No.
1785	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 No.
1786	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 De.
1787	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 De.
1788	23 Mart.	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 No.
1789	12 April.	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	25	29 No.
1790	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 No.
1791	24 April.	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	23	27 No.
1792	8 April.	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2 De.
1793	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 De.
1794	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 No.
1795	5 April.	14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	26	29 No.
1796	27 Mart.	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 No.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat annum* : c. an. *circa annum* : s. *sæculo* : c. med. s. *circa medium sæculi* : c. fin. s. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.



Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semidupl.-minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex privileg.* II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus.* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxij	b	v	9	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxj	c	iv	10	De Octava. *Semiduplex-majus.*
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epiphan.
xix	e	Prid.		Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confeff. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricenfis Epifc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *feu* Cathedræ S. Petri Apoft. quâ Antiochiæ I. fedit, deinde Romæ I. fæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.
				Ab hac die 18 ufque ad diem 21 Februarii poteft occurrere Dominica Septuagefimæ.
xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hifpania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebaftiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei difcipuli S. Pauli Ephef. Epifc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius difcipuli S. Pauli & Cretenfium Epifc. eodem fæculo.
vj	d	viij	25	Converfio S. Pauli Apoftoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnenfis Epifc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chryfoftomi Conftantinopolit. Epifc. & Eccleſ. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Epifc. Alexandr. & Eccleſ. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylveftri Papæ. (*è 31. Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francifci Salefii Genevenfis Epifc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.

xxix	d	Cal.	1	*S. Ignatii Antiochiæ* Epifc. & Mart. (è 20 *Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus q[uo] quisque Sanctus obiit : an. *significat annum :* c. an. *cir[ca] annum :* s. *sæculo :* c. med. s. *circa medium sæculi* c. fin. s. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitu[r] tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriant[ur] apud populum.



JANUARIUS.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus,*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semidupl minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epiphan. Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xix	e	Prid.		
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Menſ.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confeſſ. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricenſis Epiſc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *ſeu* Cathedræ S. Petri Apoſt. quâ Antiochiæ I. ſedit, deinde Romæ I. ſæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.
				Ab hac die 18 uſque ad diem 21 Februarii poteſt occurrere Dominica Septuageſimæ.
xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hiſpania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebaſtiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei diſcipuli S. Pauli Epheſ. Epiſc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius diſcipuli S. Pauli & Cretenſium Epiſc. eodem ſæculo.
vj	d	viij	25	Converſio S. Pauli Apoſtoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolit. Epiſc. & Eccleſ. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Epiſc. Alexandr. & Eccleſ. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylveſtri Papæ. (è 31. *Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Franciſci Saleſii Genevenſis Epiſc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.

xxix	d	Cal.	1	*S. Ignatii* Antiochiæ Epiſc. & Mart. (è 20 *Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus qu quisque Sanctus obiit : an. *significat annum :* c. an. *circ annum :* f. *sæculo :* c. med. f. *circa medium sæculi* c. fin. f. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, ferianti apud populum.



Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semiduplex minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI.* *Solemne-majus* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epiphan. Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xix	e	Prid.		
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaidis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav

Cycl. pact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.

Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.

xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (è 31. *Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.



FEBRUARIUS.

xix	d	Cal.	1	S. Ignatii Antiochiæ Episc. & Mart. (è 20 *Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus q[illegible] quisque Sanctus obiit : an. *significat annum :* c. an. *circ[illegible] annum ;* s. *sæculo :* c. med. s. *circa medium sæculi* c. fin. s. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitu[illegible] tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriant[illegible] apud populum.




JANUARIUS.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confes[illegible] (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semidupl minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex privileg.* II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epipham.
xix	e	Prid.		Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav[illegible]

Cycl. pact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.
				Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.
xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (*è 31. Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.


xix	d	Cal.	1	S. Ignatii Antiochiæ Episc. & Mart. (*è 20 Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat annum :* c. an. *circa annum :* f. *sæculo :* c. med. f. *circa medium sæculi :* c. fin. f. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.




Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. Januar.) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semiduplex-minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus.* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epipham. Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xix	e	Prid.		
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav.

Cycl. pact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem. Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.
				Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.
xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (è 31. *Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.

xxix	d	Cal.	1	*S. Ignatii Antiochiæ* Episc. & Mart. (è 20 *Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat annum :* c. an. *circa annum :* f. *sæculo :* c. med. f. *circa medium sæculi :* c. fin. f. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.



Cycl. Epact.	Litter. Dom.		Dies Mensis.	JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semiduplminus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus.* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epipham. Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xix	e	Prid.		
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Ecclef. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav.


Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus*. an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus*. an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus*. Com. Octav.

Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.

xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex*.
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus*.
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus*. an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus*. an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus*. (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min*. an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus*. an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min*. c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj*. Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus*. an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex*. an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (*è 31. Decembr.*) *Semiduplex-minus*. an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus*. Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.


xix	d	*Cal.*	1	*S. Ignatii Antiochiæ* Episc. & Mart. (*è 20 Decembr.*) *Semidupl. min*. an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat annum* : c. an. *circa annum* : s. *sæculo* : c. med. s. *circa medium sæculi* : c. fin. s. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.



Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. Januar.) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semiduplminus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus.* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epiphan.
xix	e	Prid.		Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav.


Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.

Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.

xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (è 31. *Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.


xix	d	*Cal.*	1	*S. Ignatii* Antiochiæ Episc. & Mart. (è 20 *Decembr.*) *Semidupl. min.* an. 107.



CALENDARIUM.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat annum ;* c. an. *circa annum ;* s. *sæculo :* c. med. s. *circa medium sæculi :* c. fin. s. *circa finem sæculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.



JANUARIUS.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mensis		
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio nominis Jesu, & Octava Natalis ejus. *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	S. Fulgentii Ruspensis Episc. fidei Confess. (è 1. *Januar.*) *Simplex.* an. 533.
xxviij	c	iij	3	S. Genovefæ Virginis Parisiensis. *Semiduplex-minus.* an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	S. Rigoberti Archiepisc. Remensis. *Duplex-majus.* an. 743.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ sine jejunio. *Simplex* privileg. II. Ordinis.
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI. Solemne-majus.* Octava privileg. II. Ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex-majus.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
			11	
xx	d	iij	12	Baptismus Domini & Octava Epiphan.
xix	e	Prid.		Per anticipationem. *Duplex-majus.*
xviij	f	Idib.	13	S. REMIGII Archiep. Remens. & Francorum Apost. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.* cir. an. 533.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Pictav. Episc. & Eccles. Doct. *Semiduplex-majus.* c. an. 368. commem. Octavæ S. Remigii.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ Thebaïdis. *Semidupl. min.* c. an. 341. commem. Octav.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xv	b	xvij	16	S. Marcelli Papæ & Confess. fidei. *Semiduplex-majus.* an. 310. Commem. Octav.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Ægyptii Abb. *Semidupl. minus.* an. 356. Commem. Octav. & S. Sulpitii Bituricensis Episc. c. an. 644.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, *seu* Cathedræ S. Petri Apost. quâ Antiochiæ I. sedit, deinde Romæ I. sæculo. *Semiduplex-majus.* Com. Octav.
				Ab hac die 18 usque ad diem 21 Februarii potest occurrere Dominica Septuagesimæ.
xij	e	xiv	19	De Octav. S. Remigii. *Simplex.*
xj	f	xiij	20	Octav. S. Remigii. *Semidupl. minus.*
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. & Mart. Romæ. *Semiduplex-minus.* an. 304.
ix	A	xj	22	S. Vincentii in Hispania Martyris. *Semiduplex-minus.* an. 304.
viij	b	x	23	Ss. Fabiani Papæ, an. 250. & Sebastiani Romæ Martyrum, c. an. 288. *Semidupl. minus.* (è 20.)
vij	c	ix	24	S. Timothei discipuli S. Pauli Ephes. Episc. & Martyr. *Semidupl. min.* an. 97. Commem. S. Titi alterius discipuli S. Pauli & Cretensium Episc. eodem sæculo.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. *Duplex-majus.* an. 34.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Smyrnensis Episc. & Martyris. *Semidupl. min.* c. an. 166.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Constantinopolit. Episc. & Eccles. Doctoris *Semidupl. maj.* Obiit 14. Sept. an. 407.
iij	g	v	28	S. Cyrilli Episc. Alexandr. & Eccles. Doct. *Semidupl. minus.* an. 445.
ij	A	iv	29	S. Caroli Magni Imperat. & Regis Franciæ. *Simplex.* an. 814.
j	b	iij	30	S. Sylvestri Papæ. (*è 31. Decembr.*) *Semiduplex-minus.* an. 335.
*	c	Prid.	31	S. Francisci Salesii Genevensis Episc. *Semiduplex-majus.* Obiit 28. Decembr. 1622.

FEBRUARIUS.

xix	*d*	*Cal.*	*1*	*S. Ignatii Antiochiæ Episc. & Mart. (è 20 Decembr.) Semidupl. min. an. 107.*

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xxj	f	vj	10	*Ultima dies Cinerum.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
vvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	S. Patricii Episc. Hiberniæ Apost. *commemoratio.* an. 460.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Ab hac die 22. usque ad diem 25. Aprilis potest occurrere Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	*ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRG. & INCARNAT. DOMINI Solem. majus.* *Si Festum Annuntiationis & Incarnationis occurrat in Majori Hebdomada, aut infra Octavam Paschæ, celebrabitur tam à Clero quàm à Populo Feriâ III. Hebdomadæ Passionis.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	S. Reguli primi Sylvanectensis Episcopi. *Simplex.* III. *vel* IV. sæculi.
*	f	Prid.	31	

APRILIS.

Feriâ VI. post Dominicam Passionis fit Officium Compassionis B. Mariæ V. Duplex-minus. *Si hac die occurrat Festum Annuntiationis fiet de Compassione* Feriâ sequenti.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xxix	g	Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	S. Francisci de Paula Cœnobitæ & Institutoris Ordinis Minimorum. *Simplex.* an 1507.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	
25. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paschale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	S. Justini Romæ Christianæ Religionis Apologistæ & Mart. *Simpl.* an. 167.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	S. Georgii Mart. in Oriente. *Simpl.* circ. an. 303.
v	b	viij	24	Ss. Bovæ & Dodæ Virginum. *Semiduplex-minus*, c. medium VII. sæculi.
iv	c	vij	25	S. Marci Evangel. *Dupl. majus*. c. an 68. *Ultimum Pascha.*
iij	d	vj	26	S. Cleti *seu* Anacleti Papæ & Martyris. *Simplex.* c. an. 90.
ij	e	v	27	S. Mariæ Ægyptiæ Pænitentis. *Semidupl. minus.* c. an. 422. (*è* 2.)
j	f	iv	28	
*	g	iij	29	Ss. Gumberti & uxoris ejus Berthæ Abbatissæ Avenacensis Martyrum. *Simplex.* an. 595.
xxix	A	Prid.	30	S. Marculphi Presbyteri & Abbatis. *Simpl.* an. 558. *Ab hac die 30. usque ad 3. Junii potest occurrere Ascensio Domini.*

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
				MAIUS.
xxviij	b	Cal.	1	Ss. Philippi & Jacobi (*Alphæi*) Apostolorum. *Dupl. majus.* I. sæculo.
xxvij	c	vj	2	S. Athanasii Episc. Alexandr. & Ecclesiæ Doctoris. *Semidupl. majus.* an. 373.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis. *Dupl. majus.* [In Eccl. Metrop. *Solemne-minus.*] an. 326.
25. xxv	e	iv	4	S. Monicæ Tagastensis Viduæ, S. Augustini matris. *Simplex.* an. 387.
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	S. Joannis Apost. & Evang. ante portam Latinam. *Semidupl. majus.* c. an. 95.
xxij	A	Non.	7	
xxj	b	viij	8	Ss. Gibriani Presbyteri Fratrum & Sororum ejus. *Simplex.* c. VI. sæculum.
xx	c	vij	9	S. Gregorii Nazianzeni Constantinop. Episc. & Eccles. Doct. *Semidupl majus.* an. 391. *Commemor.* Translat. S. Nicolai Myrensis Episcopi.
xix	d	vj	10	*Ab hac die 10. usque ad 13. Junii potest occurrere Festum Pentecostes.*
xviij	e	v	11	Ss. Mariæ, Jacobi & Salome. *Semiduplex-minus.* I. sæculo.
xvij	f	iv	12	S. Epiphanii Salaminæ Episc. Script. Ecclesiast. *Simplex.* an. 403.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	S. Pachomii Tabennæ in Thebaïde Abbat. Cœnobiticæ vitæ institutoris. [*è* 9.] *Simplex.* an. 348. *vel* 349.
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	
xij	d	xvj	17	S. Joannis Nepomuceni Canonici Pragensis, Presbyteri & Martyris *Simplex.* XI. sæc. *Commemoratio* S. Merolilani Mart.
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	S. Petri Cœlestini Papæ, Congregat. Cœlestin. Institut. *Simplex.* *Commemor.* S. Yvonis Trecorensis. an. 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	*Ab hac die 21. usque ad 24. Junii*

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
				potest occurrere Festum Corporis Christi.
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	S. Urbani Papæ & Martyr. *Simpl.* an. 230.
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	
xxviij	d	Prid.	31	

JUNIUS.

Feriâ IV. VI. & Sabbato post Pentecosten Quatuor Tempora.

Dominicâ I. post Pentecosten Festum Ss. TRINITATIS. *Solemn. majus.*

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xxvij	e	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	S. Pothini primi Lugdunensis Episcopi S. Blandinæ Virg. & Sociorum 46. Martyrum Lugdunensium. *Semidupl. minus.* an. 177. *Commemoratio* Ss. Marcellini Presbyteri & Petri Exorcistæ Romæ Martyr. an. 304.
25. xxiv	g	iij	3	S. Clotildis Reginæ Francorum, Viduæ. *Semidupl. minus.* c. med. VI. sæc.
				Ultima sedes Ascensionis.
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	S. Bonifacii Moguntini Episc. & Martyr. *Simpl.* an. 754.
xxj	c	viij	6	S. Norberti Magdeburgensis Episc. Institutoris Ordinis Præmonstratensis. *Semid. minus.* an. 1134. *Commem.* S. Claudii Vesuntini Episc. an. 581.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	S. Medardi Episc. Noviomensis. *Simplex.* an. 556. *Commem.* Gildardi Rothomag. Episc. an. 526.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xvj	A	iij	11	S. Barnabæ Gentium Apostoli. *Duplex-majus.* I. sæculo.
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	S. Basilii Cæsareæ in Cappadoc. Episcopi & Eccles. Doct. *Semidupl. majus.* an. 380.
xiij	d	xviij		
				Ultima Pentecostes.
xij	e	xvij	14	Translat. S. Rigoberti Archiep. Remensis. *Semidupl. majus.*
			15	Ss. Rufini & Valerii Martyrum. *Simplex.* cir. an. 287.
xj	f	xvj	16	
x.	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Ss. Gervasii & Protasii Mediolanens. Martyrum. *Semidupl. minus.* I. *vel* II. sæc.
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	S. Paulini Nolani Episc. *Simplex.* an. 431.
iv	f	ix	23	Vigilia III. Ordinis cum Jejunio. *Simplex.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Solemne-minus.* Octava *Simplex.*
				Ultima sedes Festi Corporis Christi.
	A	vij	25	S. Maximi Taurinensis Episc. *Semiduplex-minus.* an. 466. *Commem.* Oct. S. Joan.
j	b	vj	26	De Octava S. Joan. *Simpl. Commemor.* S. Joannis & Pauli Romæ Mart. an. 363.
*	c	v	27	Ss. Irenæi Lugdunen. Episc. & Ecclesiæ Doct. ac Sociorum ejus Mart. *Semid. majus.* c. an. 202. *Commem.* Oct. S. Joan.
xxix	d	iv	28	Vigilia III. Ordinis cum Jejunio. *Simplex. Commemor.* Octav. S. Joan.
xxviij	e	iij	29	Ss. PETRI ET PAULI Apostolorum. *Solemne-minus.* cir. an. 66. Octav. *Simpl.* sine *commemor.* Octav. S. Joan.
xxvij	f	Prid.	30	Commemor. S. Pauli Apost. *Dupl. min.* *Commem.* Octav. S. Joan. & S. Petri.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
				J U L I U S.
xxvj	g	Cal.	1	Octava S. Joannis Baptistæ. *Semiduplex-minus.* *Commem.* Octav. Ss. Apost.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virg. *Duplex-majus.* [In Eccles. Metrop. *Solemne-minus.*
xxiv	b	v	3	S. Theodorici Abbatis Montis Hor prope Remos. *Semidupl. minus.* Obiit 1. Julii 532. *Commemor.* Octav. Ss. Apost. & S. Martialis Lemovicensis Episc.
xxiij	c	iv	4	De Octav. Ss. Apost. *Simpl.* *Commemor.* Translat. S. Martini.
xxij	d	iij	5	De Octav. Ss. Apost. *Simpl.* *Commemor.* Translat. S. Thomæ.
xxj	e	Prid.	6	Octava Ss. Apostolorum. *Semidupl. minus.*
xx	f	Non.	7	Festum omnium Ss. Archiepisc. Remens. *Duplex-majus.*
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Ss. Septem Fratrum, ac S. Felicitatis eorum Matris, Romæ Martyr. *Simplex.* an. 164.
xvj	c	v	11	S. Benedicti Cassinensis Abbatis. [è 21. *Martii.*] *Semiduplex-minus.* an. 543. Translat. hâc die c. an. 660.
xv	d	iv	12	S. Thomæ Cantuariensis Episc. & Mart. [è 29. *Decembr.*] *Simpl.* an. 1170. Translat. 7. Julii an. 1222.
xiv	e	iij	13	S. Sylæ Gentium Apostoli. *Simpl.* I. sæc.
xiij	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Albanensis Episc. Cardin. & Eccles. Doct. *Simpl.* an. 1274.
xij	g	Idib.	15	Divisio *seu* Dispersio Apostolorum, per orbem Evangeliz. *Semidupl. majus.* *Commemoratio* S. Henrici Imperat. Justi. an. 1024.
xj	A	xvij	16	S. Berthaldi Cœnobitæ apud Calvum-Montem. *Simpl.* c. an. 545.
x	b	xvj	17	
ix	c	xv	18	S. Thomæ Aquinatis Eccles. Doct. [è 7. *Martii.*] *Semidupl. majus.* an. 1274. Canonisatio hac die, an. 1333.
viij	d	xiv	19	S. Arnulphi Martyris. *Simpl.* c. an. 534. *Commem.* S. Arsenii Diaconi Romani Solitarii. an. 445.
vij		xiij	20	S. Vincentii à Paula Presbyteri, Congregat. Missionis Instit. *Semidupl. min.* an.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xvj	A	iij	11	S. Barnabæ Gentium Apostoli. *Duplex-majus*. I. sæculo.
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	S. Basilii Cæsareæ in Cappadoc. Episcopi & Eccles. Doct. *Semidupl. majus*. an. 380.
xiij	d	xviij		
				Ultima Pentecostes.
xij	e	xvij	14	Translat. S. Rigoberti Archiep. Remensis. *Semidupl. majus*.
			15	Ss. Rufini & Valerii Martyrum. *Simplex*. cir. an. 287.
xj	f	xvj	16	
x.	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Ss. Gervasii & Protasii Mediolanens. Martyrum. *Semidupl. minus*. I. *vel* II. sæc.
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	S. Paulini Nolani Episc. *Simplex*. an. 431.
iv	f	ix	23	Vigilia III. Ordinis cum Jejunio. *Simplex*.
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ. *Solemne - minus*. Octava *Simplex*.
				Ultima sedes Festi Corporis Christi.
	A	vij	25	S. Maximi Taurinensis Episc. *Semiduplex-minus*. an. 466. *Commem*. Oct. S. Joan.
j	b	vj	26	De Octava S. Joan. *Simpl. Commemor*. S. Joannis & Pauli Romæ Mart. an. 363.
*	c	v	27	Ss. Irenæi Lugdunen. Episc. & Ecclesiæ Doct. ac Sociorum ejus Mart. *Semid. majus*. c. an. 202. *Commem*. Oct. S. Joan.
xxix	d	iv	28	Vigilia III. Ordinis cum Jejunio. *Simplex*. *Commemor*. Octav. S. Joan.
xxviij	e	iij	29	Ss. PETRI ET PAULI Apostolorum. *Solemne-minus*. cir. an. 66. Octav. *Simpl*. sine *commemor*. Octav. S. Joan.
xxvij	f	Prid.	30	Commemor. S. Pauli Apost. *Dupl. min*. *Commem*. Octav. S. Joan. & S. Petri.

JULIUS.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xxvj	g	Cal.	1	Octava S. Joannis Baptistæ. *Semiduplex-minus.* *Commem.* Octav. Ss. Apost.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virg. *Duplex-majus.* [In Eccles. Metrop. *Solemne-minus.*
xxiv	b	v	3	S. Theodorici Abbatis Montis Hor prope Remos. *Semidupl. minus.* Obiit 1. Julii 532. *Commemor.* Octav. Ss. Apost. & S. Martialis Lemovicensis Episc.
xxiij	c	iv	4	De Octav. Ss. Apost. *Simpl.* *Commemor.* Translat. S. Martini.
xxij	d	iij	5	De Octav. Ss. Apost. *Simpl.* *Commemor.* Translat. S. Thomæ.
xxj	e	Prid.	6	Octava Ss. Apostolorum. *Semidupl. minus.*
xx	f	Non.	7	Festum omnium Ss. Archiepisc. Remens. *Duplex-majus.*
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Ss. Septem Fratrum, ac S. Felicitatis eorum Matris, Romæ Martyr. *Simplex.* an. 164.
xvj	c	v	11	S. Benedicti Cassinensis Abbatis. [*è* 21. *Martii.*] *Semiduplex-minus.* an. 543. Translat. hâc die c. an. 660.
xv	d	iv	12	S. Thomæ Cantuariensis Episc. & Mart. [*è* 29. *Decembr.*] *Simpl.* an. 1170. Translat. 7. Julii an. 1222.
xiv	e	iij	13	S. Sylæ Gentium Apostoli. *Simpl.* I. sæc.
xiij	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Albanensis Episc. Cardin. & Eccles. Doct. *Simpl.* an. 1274.
xij	g	Idib.	15	Divisio *seu* Dispersio Apostolorum, per orbem Evangeliz. *Semidupl. majus.* *Commemoratio* S. Henrici Imperat. Justi. an. 1024.
xj	A	xvij	16	S. Berthaldi Cœnobitæ apud Calvum-Montem. *Simpl.* c. an. 545.
x	b	xvj	17	
ix	c	xv	18	S. Thomæ Aquinatis Eccles. Doct. [*è* 7. *Martii.*] *Semidupl. majus.* an. 1274. Canonisatio hac die, an. 1333.
viij	d	xiv	19	S. Arnulphi Martyris. *Simpl.* c. an. 534. *Commem.* S. Arsenii Diaconi Romani *Solitarii.* an. 445.
vij		xiij	20	*S. Vincentii à Paula Presbyteri*, Congregat. Missionis Institut. *Semidupl. min.* an.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.	
xxiv	e	Prid.	31 S. Paulini Trevirensis Episc. & Confessoris Fidei. *Simpl.* an. 350.

SEPTEMBER.

Feriâ IV. VI. & Sabbato post Festum Exaltationis S. Crucis, Quatuor Tempora.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.	
xxiij	f	Cal.	1 Ss. Sixti I. Remens. Archiepisc. et Apost. ac Sinicii ejus Socii et Successoris. *Solemne-minus.* III. sæc. Octava *Simplex.*
xxij	g	iv	2 S. Nivardi Archiep. Remens. [è 1.] *Semid. minus.* VII. sæc. *Commemoratio* Octav. & S. Lupi Senonensis Episc. an. 612.
xxj	A	iij	3 S. Gregorii Magni Papæ & Eccles. Doctor. [è 12. *Martii.*] *Dupl. minus.* an. 604. Ordinatio hac die, an. 590. *Com. Oct.*
xx	b	Prid.	4 } De Octava. *Simplex.*
xix	c	Non.	5 }
xviij	d	viij	6 Ss. Viventii IV. sæc. & Reoli an. 695. Archiepisc. Remens. *Semiduplex-minus.* *Commemoratio* Octav.
xvij	e	vij	7 Octava Ss. Sixti & Sinicii per anticipationem. *Semidupl. minus.*
xvj	f	vj	8 *Nativitas B. Mariæ Virg.* *Solemn. majus.* Octava *Solemn.* III. Ordinis.
xv	g	v	9 De Octava. *Semidupl. minus.* *Commemor.* Ss. Petri, Gorgonii & Dorothei Nicomediæ Martyr. &c. an. 303.
xiv	A	iv	10 }
xiij	b	iij	11 } De Octava. *Semidupl. minus.*
xij	c	Prid.	12 }
xj	d	Idib.	13 De Octava. *Semidupl. minus.* *Commemor.* S. Maurilii Andegav. Episc.
x	e	xviij	14 Exaltatio S. Crucis. *Dupl. majus.* (In Eccles. Metrop. *Solemn. minus*) Imperante Constantino; an. 326. Imperante Heraclio, an. 629. *Comm.* Oct.
ix	f	xvij	15 Octava Nativit. B. Mariæ Virg. *Dupl. min.*
viij	g	xvj	16
vij	A	xv	17 S. Lamberti Trajectensis Episc. & Martyris *Simpl.* VII. sæc.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.		Dies Mens.	
vj	b	xiv	18	Ss. Cornelii Papæ. an. 352. & Cypriani Carthaginen. Episc. ac Eccles. Doct. an. 258. Martyrum. *Semidupl. minus.*
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	S. Matthæi Apost. & Evang. *Dupl. majus.* I. sæculo.
ij	f	x	22	Ss. Mauricii & Sociorum Martyrum. *Semidupl. minus.* an. 286.
j	g	ix	23	S. Lini Papæ & Martyris. *Simplex.* I. sæc. *Commem.* S. Theclæ Iconii Virg. & Mart. circ. fin. I. sæc.
*	A	viij	24	S. Principii Suessionen. Episc. fratris S. Remigii. [*è* 21.] *Simpl.* c. an. 506.
xxix	b	vij	25	S. Firmini primi Ambianensis Episc. & Mart. *Semidupl. minus.* an. 287.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Ss. Cosmæ & Damiani Martyr. *Simplex.* c. initium IV. sæc.
j. xxvj	e	iv	28	
j. xxiv	f	iij	29	Ss. Michaëlis & omnium Angelorum. *Dupl. majus.* Hoc festum initium sumpsit in Apulia. an. 493. *vel* 536.
xxiij	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presbyteri & Eccles. Doct. *Dupl. minus.* an. 420.

OCTOBER.

xxij	A	C al.	1	Translatio Corporis S. Remigii Archiepisc. Remens. *Dupl. majus.* ante an. 585.
xxj	b	vj	2	S. Leodegarii Augustodunens. Æduorum Episcopi & Martyris. an. 852. *Semiduplex - minus.*
xx	c	v	3	S. Dionysii Areopagitæ primi Athenarum Episc. & Martyris. *Simpl.* an. 95.
xix	d	iv	4	S. Francisci Assisinatis, Institut. Ordin. Minorum. *Simpl.* an. 1226.
xviij	e	iij	5	
xvij	f	Prid.	6	S. Brunonis Anachoretæ, Institut. Ordin. Carthusian. anteà Canonici & Scholastici Remens. Eccles. In Eccl. Metrop. & Collegiatis *Dupl. majus.* Extra *Semidupl. minus.* an. 1101.
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.		
xiv	b	vij	9	Ss. Dionysii primi Parisiens. Episc. Presbyteri & Eleutherii Diac. Mar *Semidupl. majus.* III. sæc.
xiij	c	vj	10	
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	S. Donatiani Archiepisc. Remens. *minus.* an. 360.
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	S. Calixti Papæ & Martyr. In Eccle trop. *Dupl. min.* Extra *Semidupl.* circ. an. 214.
viij	A	Idib.	15	S. Theresiæ Apulensis in Hispania Ordin. Carmelitarum instauratrici *plex.* an. 1582.
vij	b	xvij	16	S. Balderici Monachi, Monasterii tisfalconis Fundatoris. *Simpl.* an.
vj	c	xvj	17	S. Lucæ Evangelist. (*è* 18.) *Dupl.* I. sæculo.
[illegible]	d	xv	18	ANNIVERSARIUM DEDICAT. E REMENSIS. In Eccles. Metrop. *A minus.* Extra *Solemn. minus.* Octa vileg. II. Ordinis.
				Dominica intra Octavam fit versarium Dedicationis cæte Ecclesiarum Diœcesis ritu A lis-minoris.
iv	e	xiv	19	De Octav. Dedicat. *Semidupl. maju*
iij	f	xiij	20	De Octav. *Semidupl. majus. Commen* S. Sindulphi Presbyteri Remens. fin. sæc. VI.
ij	g	xij	21	De Octav. *Semidupl. majus. Commen* Ss. Ursulæ & Sociarum Virgini Martyr. an. 420.
j	A	xj	22	De Octav. *Semidupl. majus.*
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Octav. Annivers. Dedicationis E Remensis. *Dupl. majus. Commen* S. Celsini Presbyteri.
xxvij	e	vij	26	Ss. Crispini & Crispiniani Suession. (*è* 25.) *Semidupl. minus.* an. 2
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	Ss. Simonis & Judæ Apost. *Dupl.* I. sæculo.
xxiv	*A*	*iv*	*29*	S. Ciliniæ Viduæ, Matris S. Re

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.	
			(*è* 21.) *Semidupl. minus.* c. fin. VI. f.
xxiij	b	iij	30 S. Quintini apud Augustam Veromanduorum Mart. (*è* 31.) *Semidupl. minus.* an. 287.
xxij	c	Prid.	31 Vigilia III. Ordinis cum Jejunio.



NOVEMBER.

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.	
xxj	d	Cal.	1 *FESTUM OMNIUM SANCTORUM. Solemne-majus.* Institut. c. an. 835. Oct. *Solemn.* III. Ordinis.
xx	e	iv	2 COMMEMOR. OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM. *Duplex-majus.* Instituta an. 998. Feriatur usque post Missam.
xix	f	iij	3 *Commemor.* S. Huberti I. Episcopi Leod. an. 727.
xviij	g	Prid.	4
xvij	A	Non.	5 De Octav. omn. Sanct. *Semidupl. minus.*
xvj	b	viij	6 *Commemor.* S. Læti Solitarii. an. 534.
xv	c	vij	7
xiv	d	vj	8 Veneratio Ss. Reliquiarum, & Octava omnium Sanctorum. *Dupl. minus.*
xiij	e	v	9 S. Caroli Mediolanen. Episc. & Cardin. [*è* 3.] *Semidupl. min.* an. 1584.
xij	f	iv	10 S. Leonis Magni Papæ & Eccles. Doctor. *Semidupl. majus.* c. an. 461.
xj	g	iij	11 S. Martini Turonensis Episc. [*è* 3.] *Dupl. min.* an. 397.
x	A	Prid.	12
ix	b	Idib.	13 S. Britii Turonen. Episc. *Simpl.* an. 444.
viij	c	xviij	14 Ss. Angelorum Custodum. *Dupl. minus.* Hoc Festum institutum est an. 1680.
vij	d	xvij	15
vj	e	xvj	16 S. Balsamiæ Viduæ, Nutricis S. Remigii. *Simplex.*
v	f	xv	17 S. Gregorii Thaumaturg. Cæsareæ Episc. *Simplex.* c. an. 270.
iv	g	xiv	18 Ss. Oriculi & Sociorum Mart. *Simpl.*
iij	A	xiij	19 S. Elizabeth Viduæ. *Simpl.* an. 1231.
ij	b	xij	20
j	c	xj	21 Præsentatio B. Mariæ Virg. *Dupl. majus.*
*	d	x	22 S. Cæciliæ Virg. & Mart. *Semidupl. min.* II. *vel.* III. sæc.
*xxix	e	ix	23 S. Clementis *Papæ & Mart. Simpl.* an. 100.
xxviij	*f*	*viij*	*24 S. Chrysogoni* Romani Mart. *Simpl.* an.

Cycl. Epact..	Litter. Dom.	Dies Mens.		
				304. Commemor. S. Anastasiæ Viduæ & Mart. an. 304. [è 25 *Decemb.*].
xxvij	g	vij	25	S. Catharinæ Alexandr. Virginis & Martyris. *Simplex.*
25. xxvj	A	vj	26	S. Basoli Abbatis, prope Versiacum in Territorio Remens. *Semidupl. min.* c. an. 620. Translat. 15. Octob.
25. xxiv	b	v	27	Ss. Agricolæ & Vitalis Bononiæ Martyrum. (è 4.) *Simplex.* c. an. 304.
xxiij			28	*Prima sedes Adventûs.*
xxij	c	iv		
xxj	d	iij	29	Vigilia III. Ordinis cum Jejunio.
	e	Prid.	30	S. ANDREÆ APOSTOLI. *Dupl. maj.* I. s.



DECEMBER.

Feria IV. VI. & Sabbato post Festum S. Luciæ, Quatuor Tempora.

xx	f	Cal.	1	S. Eligii Noviomensis Episc. *Semiduplex minus.* an. 659.
xix	g	iv	2	S. Francisci Xaverii Presbyter. Indiarum Apostol. In Eccl. Metrop. & Collegiatis *Dupl. majus.* Per Diœcesim *Semidupl. minus.* an. 1552.
xviij			3	*Ultima sedes Adventûs.*
	A	iij		
xvij	b	Prid.	4	S. Petri Chrysologi Ravennen. Episc. & Script. Ecclesiast. *Semidupl. minus.* circ. med. V. sæc. *Commem.* S. Barbaræ Virg. Nicomedien. & Martyr. III. *vel* IV. s.
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	S. Nicolai Myrensis in Lycia Episc. *Semid. min.* III. *vel* IV. sæc.
xiv	e		7	S. Ambrosii Mediolanen. Archiepisc. & Eccles. Doct. [è 4. *April.*] *Dupl. min.* an. 395. ejus Ordinatio hâc die an. 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRG. *Solemn. min.*
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	Ss. Fusciani, Victorici & Gentiani Mart. an. 286. *Commemoratio.*

Cycl. Epact.	Litter. Dom.	Dies Mens.	
ix	c	P.id. 12	S. Joseph Sponsi B. Mariæ Virg. [è 19. *Martii.*] *Dupl. majus.* In Eccles. Metropolit. *Solemn. minus.*
viij	d	Idib. 13	S. Luciæ Syracus. Virg. & Martyr. *Semid. minus.* c. an. 304.
vij	e	xix 14	Ss. NICASII REMENS. ARCHIEPISCOPI, Eutropiæ sororis ejus Virg. Florentii Diaconi, Mart. Feriatur in Civitate Remen. & Suburbiis. *Solemn. minus.*
vj	f	xviij 15	
v	g	xvij 16	O *Sapientia.*
iv	A	xvj 17	O *Adonai.*
iij	b	xv 18	O *Radix Jesse.*
ij	c	xiv 19	O *Clavis David.*
j	d	xiij 20	O *Oriens.*
*	e	xij 21	S. Thomæ Apost. *Dupl. majus.* I. f. / O *Rex Gentium.*
xxix	f	xj 22	O *Emmanuël.*
xxviij	g	x 23	O *Pastor Israël.*
xxvij	A	ix 24	Vigilia privileg. I. Ordinis cum Jejunio.
xxvj	b	viij 25	*NATALE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Annuale-majus.* Octav. *Solemn.* privilegiata I. Ordinis.
25. xxv	c	vij 26	S. STEPHANI DIAC. ET PROTO-MARTYR. *Dupl. majus.* an. 33. *Commemor.* Octav. Natalis Domini.
xxiv	d	vj 27	S. JOANNIS APOST. ET EVANG. *Duplex-majus.* c. an. 100. *Commemor.* Octav. Natal. Domini.
xxiij	e	v 28	Ss. Innocentium Martyrum. *Dupl. min.* an. Christi I. *Commem.* Oct. Natal. Domini.
xxij	f	iv 29	De Octav. Natal. Dom. *Semid. majus.*
xxj	g	iij 30	(De Octav.)
* 19. xx	A	Prid. 31	(De Octav.)

* Hæc Epacta 19. nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.



FESTA MOBILIA.

Dominicæ Adventûs. *Dupl. minus.* Privilegiatæ.

Dominicæ in Septuag. Sexag. Quinquag. *Duplex-minus.* Privilegiatæ.

Feria IV. in Capite Jejunii. *Simplex.* Privilegiata.

Dominicæ in Quadragef. & Paffione Domini. *Duplex-minus.* Privilegiatæ.

Dominica in Ramis Palmarum. *Dupl. maj.* Privileg.

Feria V. in Cœna Domini.

Feria VI. in Parafceve Domini. *Dupl. minus.* Feriatur ufque poft Officium.

Sabb. Sanctum. *Dupl. min.*

Dies Sanctus Pafchæ *seu* Refurrectio Domini. *Annuale-majus.* Octav. privilegiata I. Ordinis.

Dominica in Albis depofitis. *Dupl. maj.* Privilegiata.

Vigilia Afcenfionis. *Simplex.* Privileg. II. Ordinis.

Afcenfio Dom. *Solemn. maj.* Oct. privileg. II. Ordinis.

Dominica intra Octav. Afcenfionis. *Dupl. minus.*

Feria VI. poft Octav. Afcenf. *Simplex.* Privilegiata.

Vigilia Pentecoftes. *Simplex.* privileg. I. Ordinis pro Officio Matut. Ad Laudes *Semidupl. majus*: ad Horas *Duplex-minus.* Miffa dicitur fub ritu *Dupl. maj.*

Dies Sanctus Pentecoftes. *Annuale-majus.* Octava privilegiata I. Ordinis.

Feftum Corporis Chrifti. *Annuale-minus.* Octava privilegiata II. Ordinis.

Dominica intra Octav. Corporis Chrifti. *Dupl. majus.*

Feriæ Rogationum. *Simplex.* Privilegiatæ II. Ordinis.

FESTA quæ in Civitate & Diœcesi Remensi tam à Clero quàm à Populo celebrantur, & in quibus ab omni opere abstinetur.

IN JANUARIO.

Die 1 Circumcifio Domini. *Solemne-minus.*
Die 6 Epiphania Domini. *Solemne-majus.*
Die 13 Sancti Remigii Archiepifcopi Remenf. *Solemne-minus.*

IN FEBRUARIO.

Die 2 Præfentatio Domini & Purificatio B. Mariæ Virginis. *Solemne majus.*

IN MARTIO.

Die 25 Annuntiatio B. Mariæ Virg. & Incarnatio Domini. *Solemne-majus.*

IN JUNIO.

Die 24 Nativitas S. Joannis-Baptiftæ. *Solemne minus.*
Die 29 *Ss.* Petri & Pauli Apoftolorum. Solemne-minus.

IN AUGUSTO.

Die 15 Assumptio B. Mariæ Virginis. *Annuale-minus.*

IN SEPTEMBRI.

Die 1 Ss Sixti primi Remens. Archiepisc. ac Sinicii ejus Socii & Successoris. *Solemne-minus.*
Die 8 Nativitas B. Mariæ Virginis. *Solemne-majus.*

IN OCTOBRI.

Die 1[illegible] Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Remensis. (In Eccles. Metrop. *Annual. min.* Extra *Solemn. min.*

IN NOVEMBRI.

Die 1 Omnium Sanctorum. *Solemne-majus.*
Die 2 Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum usque post Missam. *Duplex-majus.*
Die 30 S. Andreæ Apostoli. *Duplex-majus.*

IN DECEMBRI.

Die 8 Conceptio B. Mariæ Virginis. *Solemne-minus.*
Die 14 Ss. Nicasii Archiepisc. Remens. ac Sociorum Mart. Remis tantùm & in Suburbiis. *Solemn. minus.*
Die 25 Dies Sanctus Natalis Domini. *Annuale-majus.*
Die 26 S. Stephani proto-Martyris. *Duplex-majus.*
Die 27 S. Joannis Apostoli & Evangelistæ. *Duplex-majus.*

FESTA MOBILIA.

Feria VI. Hebdom. Sanctæ usque post Officium. *Dupl. minus.*
Dies Sanctus Paschæ. *Annuale-majus.*
Feria II. post Pascha. *Duplex-majus.*
Ascensio Domini. *Solemne-majus.*
Dies Sanctus Pentecostes. *Annuale-majus.*
Feria II. post Pentecosten. *Duplex-majus.*
Festum Corporis Christi. *Annuale-minus.*
Omnes Dominicæ per Annum. *Dupl. minus.*
Festum Patroni cujuslibet Ecclesiæ. *Solemn. majus.* Oct. privileg. II. Ordinis.
Festum Dedicationis omnium Ecclesiarum Civitatis & Diœcesis Remensis. *Annuale - minus.*



JEJUNIA ET ABSTINENTIÆ
de præcepto in Civitate & Diœcesi Remensi.

Quadragesima, in qua sunt Quatuor Tempora post Dominicam I. ejusdem Quadragesimæ.

Vigilia Pentecostes.

Quatuor Tempora post Festum Pentecostes.

Quatuor Tempora post Festum S. Crucis in mense Septembri.

Quatuor Tempora post Fest. S. Luciæ, in mense Dec.

Vigiliæ Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, Ss. Apost. Petri & Pauli, Assumptionis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, S. Andreæ & Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi.

Abstinentia sine Jejunio

Diebus S. Marci & Rogationum.



RUBRICÆ



BREVIARIUM REMENSE.

PARS AUTUMNALIS.

Ante Orationem præpara ánimam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Ecclesiast. XVIII. 23.*

Antè recitationem Officii divini.

Oratio.

APeri, Dómine, os meum, ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis & aliénis cogitatiónibus; intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut atténtè, reverénter & devótè, hoc Officium recitáre váleam, & exaudíri mérear ante conspéctum divinæ majestátis tuæ; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dómine in unióne divinæ illius intentiónis quâ ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi horas persólvo.

Post recitationem Officii divini.

Oratio.

SAcro-sanctæ & indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ ac gloriosíssimæ Vírginis Maríæ fœcunditáti, atque integritáti, & ómnium Sanctórũ societáti, sit sempitérna glória, nobísque remíssio ómnium peccatórum; Per infiníta sæcula sæculórum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES

Dicendæ antè Lectiones in Officio novem, vel trium Lectionum.

Dominica, & in Officiis novem Lectionum quæ non sunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO.

Et pro II. & V. Feriâ.

1. DEus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes. 1.*

℟. Amen. *In fine cujuslibet Benedictionis.*

2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. *1. Joan. 5.*

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan. 16.*

IN II. NOCTURNO.

Et pro III. & VI. Feriâ.

4. PAter Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Eph. 1.*

5. Sciámus supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes. 3.*

6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. *1. Joan. 2.*

IN III. NOCTURNO.

7. DEtur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes. 6.*

8. Occurrámus omnes in unitátem Fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes. 4.*

9. Deus spei rápleat nos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs Sancti. *Rom. 15.*

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. *2. Cor. 4.*

Si tria legantur Evangelia, septima Benedictio erit:

Detur nobis sermo, &c. *ut suprà.*

8. Fúlgeat nobis, &c. *ut suprà.*

habeámur regno
ı vénerit in Sanc-
lmirábilis fieri. 2.

'V. & Sabbato.

ter Dómini noſtri
ſu Chriſti, det
hriſtum habitáre
:m in córdibus
Epheſ. 3.
:currámus omnes
:m Fídei, & agni-
lii Dei; ut non
rámur omni ven-
ıæ. *Epheſ. 4.*
ıs ſpei répleat nos
ıdio & pace in
ı: ut abundémus
ı virtúte Spíritûs
om. 15.

III. Nocturno, dicuntur ut ſuprà; in II. autem ut ſeq.

BENEDICTIONES
IN FESTIS B. MARIÆ Virginis.

4. Deus, à quo miſſus eſt Angelus Gábriël ad Maríam, mittat nobis de cœlis Sapiéntiam. *Luc 1. Sap. 6.*

5. Fílius Altíſſimi, quem Virgo concépit & péperit, det nobis fílios Dei fieri. *Luc 1. Joan. 1.*

6. Spíritus Sanctus de quo eſt, quod in María natum eſt, ſanctíficet nos per ómnia. *Matthæi, 1. Theſſalon. 5.*

BENEDICTIONES
IN FESTIS SANCTORUM.

4. Deus det nobis illu-


piamus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

In Officiis B. M. Virginis, & in Festis Sanctorum quæ sunt trium Lectionum tantùm, Benedictiones adhibentur quomodò notatæ sunt pro II. Nocturno in eorum Officiis & Festis novem Lectionum.

Si pro tertia Lectione Legendum sit Evangelium cum Homilia, tertia Benedictio erit:

Fulgeat nobis, &c. *suprà.*






PSALTERIUM DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Antè Officium dicitur secretò :



ATER noster qui es in cœlis : sanctificétur nomen tuũ : advéniat regnum tuum : fiat volúntas tua, sicut in cœlo, & in terra : panem nostrum quotidiánum da nobis hódie : & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris : & ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui *Jesus.*

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deũ, Patrem omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ : & in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine : passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & sepúltus : descéndit ad ínferos ; tértiâ die resurréxit à mórtuis : ascéndit ad cœlos ; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : indè ventúrus est

judicáre vivos & mórtuos.

Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, & tibi, Pater: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere: Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ: Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te, Pater, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrũ.

Misereátur nostri omnípotens Deus, & dimíssis peccátis nostris; perdúcat nos ad vitam ætérnam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors *Dóminus. Amen.*

Si Officium à duobus dicatur, vicissim iteranda est confessio: si verò ab uno solo, omitti debet (& tibi Pater) *&* (& te Pater.)

His peractis, dicitur:

Sancti Spirítûs adsit nobis grátia. Amen.

Deindè altâ voce,

℣. Dómine, lábia mea apéries.

℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

Dicitur Allelúia, *etiam ad alias Horas.*

Invitatorium. Deum qui creávit & regenerávit nos, * Veníte, adorémus. *Malach. 2. 1. Petr. 1.*

PSALMUS 94.

Christus Rex; ipsi parendum.

Veníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Deum qui creávit &

regenerávit nos,* Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes Deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit.

* Veníte, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorémus, & procidámus antè Deum: plorémus coràm Dómino, qui fecit nos; quia ipse est Dóminus Deus noster, nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Deum qui creávit & regenerávit nos,* Veníte, adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

* Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi, semper hi errant corde: ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Deum qui creávit & regenerávit nos,* Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

* Veníte, adorémus.

Repetitur. Deum qui creávit & regenerávit nos, * Veníte, adorémus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. Beátus vir.

*Astericus hic * notat mediationem & pausam.*

PSALMUS I.

Beatitudo justorum, malorum calamitas.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum; & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus;* & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquàm lignum, quod plantátum est secùs decúrsus aquárum; * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non dé-

fluet: * & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tanquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício; * neque peccatóres in consílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum; * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui Sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper; * & in sæcula sæculórũ. Amen.

Hi Versus, Glória, *&* Sicut erat, *dicuntur in fine Psalmorum, Divisionum & Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

Ant. 4. Servíte Dómino.

PSALMUS 2.

Christo frustrà Principes Populíque adversantur.

Quare fremuérũt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt *in unum* * *advérsùs* Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos; * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua; * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptũ ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre; * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino

in timóre, & exultáte ei cum tremóre.

Ant. 8. Dicunt.

PSALMUS 3.

Pia justi in pœnis querimonia.

DOmine, quid multiplicáti sunt, qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsúm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum; * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dómine, *suscéptor meus es.*

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine;

℟. Et custodívi legem tuam. *Psalm. 118.*

Post Versiculum cujuslibet Nocturni, dicitur secretò: Pater noster, &c. *altâ voce:* Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos à malo.

Benedictiones habentur antè Psalterium.

Lectiones cum Responsoriis ut in Proprio.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. Diligam te.

PSALMUS 17.

Gratiarum actio, pro victoria de Christi & Ecclesiæ inimicis habita.

DIligam te, Dñe; fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus; * & sperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu salútis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me *dolóres* mortis; * & tor-

réntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * & clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est & contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt ; quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descéndit : * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum ; in circúitu ejus tabernáculum ejus ; * tenebrósa aqua in núbibus äëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam : * grando & carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, & dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea, firmaméntum meum, & refúgium meum.

Ant. 4. Ero immaculátus.

Divisio Psalmi 17.

MIsit de summo, (Dóminus,) & accépit me, * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me ; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ ; * & factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retribuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm

puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo; * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris.

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Ego immaculátus cum Deo meo, & observábo me ab iniquitáte mea.

Ant. 7. Déxtera tua.

Altera Divisio Psalmi 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum, * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * & super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuísti ut arcum æreum bráchia mea;

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ; * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem, * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos, * & non convértar donec deficiant.

Confríngam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum; * & sup-

plantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi: * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, Dómine, * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, & fáciens misericórdiam Christo suo David, * & sémini ejus usque in sæculum.

Ant. Déxtera tua suscépit me, Dómine, & disciplína tua ipsa me docébit.

℣. Legem tuam, Dómine, non sum oblítus.

℟. Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi. *Ps.* 118.

Pater noster.

IN III. NOCTURNO

Ant. 2. In Deo.

Psalmus 27.

Petit justus ne cum impiis pereat.

AD te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me; * nequándo táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo; * mala

autem in córdibus eórum.

Da illis secúndùm ópera eórum, * & secúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ; * & protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Ant. In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; & ex voluntáte mea confitébor ei.

Ant. 1. Dómine.

PSALMUS 29.

Post multa pericula, gratiarum actio: Resurrectio Christi.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te: * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, Sancti ejus: * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus: & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus: * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me: * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo: * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Nunquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ.

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. 5. Veníte.

PSALMUS. 65.

Deus laudandus adorandusque propter innumera ejus beneficia.

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede; * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrũ: * & audítam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus; * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam; * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meũ * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte & nar-

mnes qui timétis
' quanta fecit áni-
.
ſum ore meo cla-
& exaltávi ſub
iea.
tátem ſi aſpéxi in
eo, * non exáu-
ninus.
téreà exaudívit
* & atténdit voci
tiónis meæ.
lictus Deus, * qui
nóvit oratiónem
& miſericórdiam
ne.
Veníte, audíte,
ibo quanta fecit
neæ.
um exquisívi má-
is nocte;
non ſum decép-
m. 76.
noſter, *&c.*
ltimum Reſponſo-

eum laudámus: *
Dóminum confi-

térnum Patrem *
ra venerátur.
mnes Angeli, *
& univérſæ po-

Chérubim & Sé-
' inceſsábili voce
nt:
s,
s,

Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárũ * ſancta confitétur Eccléſia;

Patrem * imménſæ majeſtátis;

Venerándum tuum verum, * & únicum Filium;

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte.

Tu Patris * ſempitérnus es Filius.

Tu, ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum.

Tu, ad déxteram Dei ſedes, * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo, quæſumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióſo sánguine redemíſti.

Ætérna fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum

tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * & in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodùm sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Si non continuò sequantur Laudes, hîc dicitur:

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Deindè Oratio propria cum integra conclusione; & tunc antè Laudes dicitur secretò*, Pater, Ave.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps. 69.*

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto;

Sicut erat in princípio; & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

Ant. 8. Deus.

Psalmus 62.

Ecclesiæ solatium in deserto hujus sæculi.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæ-

siérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ, * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabúntur omnes qui jurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: sitívit in te ánima mea.

Ant. 8. Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Christus in regno suo & sua lege.

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine; * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * *domum tuam decet sanctitúdo*, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus: testimónia tua (Dómine) credibília facta sunt nimis.

Ant. 5. Servite Dño.

PSALMUS 99.

Ad Dei laudes & cultum adhortatio.

JUbiláte Deo omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, * introíte portas ejus in confessióne; átria ejus in hymnis; confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus: * in ætérnum misericórdia ejus, & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Servíte Dómino in lætítia: scitóte quoniam Dóminus, ipse est Deus.

Ant. 4. Benedíctus es.

Canticum trium Puerorum. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino; * laudáte, & super-

exaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino : * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino : * benedícite, omnes Spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dño : * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino : * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino : * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum ; * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino : * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes Dómino : * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia, quæ movéntur in aquis Dómino : * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora Dómino : * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum ; * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini Dño : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum Dómino : * benedícite, Sancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísaël, Dómino : * laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Hic, loco Glória, *dicitur :*

Benedicámus Patrem, & Filium, cum Sancto Spíritu : * laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli ; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sæcula.

Ant. Benedíctus es, Dómine, in throno regni tui, & superlaudábilis, & superexaltátus in sæcula.

Ant. 7. Hymnus.

PSALMUS 148.

Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.

LAudáte Dóminum de cœlis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna : * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum : * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini ;

Quia ipse dixit, & facta sunt ; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dñm, de terra : * dracónes, & omnes abyssi ;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus ;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri :

Béstiæ, & univérsa pécora, * serpéntes, & vólucres pennátæ :

Reges terræ, & omnes pópuli ; * príncipes, & omnes júdices terræ :

Júvenes & vírgines, *senes cum junióribus, laudent* nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram : * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Hymnus ómnibus sanctis ejus, fíliis Israël? pópulo appropinquánti sibi.

Capitulum. Deut. 6.

AUdi Israël, Dóminus Deus noster, Deus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota fortitúdine tua ; erúntque verba hæc in corde tuo : & meditáberis in eis sedens in domo tua, & ámbulans in itínere, dórmiens atque consúrgens. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

℣. Manè astábo tibi, Dómine, & vidébo ;

℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Psalm.* 5.

Antiphona ut in Proprio.

CANTICUM ZACHARIÆ.

Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Israël ; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi:

In sanctitáte, & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, Puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim antè fáciem Dómini paráre vias ejus.;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos óriens ex alto;

Illumináre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent; * ad dirigéndos pedes nostros in *viam pacis.*

Antiphona ut in Proprio.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio Dom. quâ finitâ dicitur. Dóminus vobíscũ;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deindè fiunt Commemorationes, si quæ occurrant faciendæ. Finitâ ultimâ Oratione, dicitur:

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium meum, *&c.* Glória Patri, *&c.*

HYMNUS. *S. Ambrosii.*

JAM lucis orto sydere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet à nocéntibus.

LINGUAM refrænans témperet,
Ne litis horror ínsonet;
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

SINT pura cordis íntima,
Absístat & vecórdia;

Carnis terat supérbiam,
Potûs cibíque párcitas.
Ut cùm dies abscés-
serit,
Noctémque sors redúxe-
rit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu paráclito,
Et nunc & in perpétuum.
Amen.

Ant. 7. In toto corde.

PSALMUS 117.

Gratias agit Ecclesia, quòd post tot rerum discrimina, salutem & Christum sit consecuta.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me, * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem; * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis, * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Filii; * ália Spíritûs Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spíritûs Sancti una est divinitas, * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Filius, * talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Filius, * increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Filius, * imménsus Spíritus Sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Filius, * ætérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi; * sed unus increátus, & unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Filius, * omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, * Deus Spíritus Sanctus.

*Et tamen non tres Dii; * sed unus est Deus.*

Ita Dóminus Pater, Dóminus Filius, * Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini; * sed unus est Dóminus.

Quia sicut sigillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri Christiánâ veritáte compéllimur; * ita tres Deos aut Dóminos dícere Cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Filius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus Sanctus à Patre & Filio; * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: * unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui

Qui vult ergò salvus esse, * ità de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergò fides recta, ut credámus & confiteámur, * *quia* Dóminus noster *Jesus* Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris antè sæcula génitus, * & homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli & humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndùm divinitátem, * minor Patre secúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem; * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo, * ita Deus & homo *unus est Christus:*

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos; * tértiâ die resurréxit à mórtuis:

Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis; * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & reddítúri sunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Ant. In toto corde meo exquisívi te, Dómine, doce me justificatiónes tuas. *Psalm. 118.*

Capitulum. 1 Tim. 1.

REgi sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo honor & glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. *Repetitur.* ℟. Christe Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Christe.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. *Repetitur.*

℞. Christe. *Matth. 16. Tob. 8. Heb. 1.*

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos.

℞. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps. 43.*

℣. Dóminus vobíscum;

℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrũ Jesum Christum, Fílium tuum, *&c.*

℞. Amen.

℣. Dóminus vobíscum;

℞. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℞. Deo grátias.

AD OFFICIUM CAPITULI.

Primò fit Lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur, sed statim Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspéctu *Dómini*

℞. *Mors Sanctórũ ejus.*

SAncta María, & omnes Sancti ádjuvent nos in orationibus suis pro nobis ad Deum; ut secúndùm eum qui vocávit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti simus.

℞. Amen. *Rom. 15. 1. Petr. 1.*

Deindè ubi legitur Necrologium, post ejus Lectionem dicitur Psalmus De profúndis, *& in fine*, Réquiem. *cum* ℣℣. Requiéscant in pace. Dómine, exáudi. Dóminus vobíscum. *& Orat. ut in fine Officii Defunctorum.*

Posteà dicitur: ℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℞. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps. 69.*

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℞. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Deus, Rex pie, fortis & clemens, in adjutórium meum inténde:

℞. Dómine, ad adjuvándum me festína: Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

Kyrie, eléison.

Christe, eléison.

Kyrie eleïson.

Secretò Pater noster. *altâ voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem :

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Psalm.* 89.

Orémus

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi, Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Posteà Lector dicit

Jube, domne, benedícere.

Benedictio Det Dóminus *leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas.*

℟. Amen. *Hebr.* 8.

Tùm fit lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur suo loco, in cujus fine dicitur Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Qui privatim recitant, non dicunt Jube, domne, benedícere *sed legunt Benedictionem & Canonem addendo in fine* Tu autem, Dómine.

Post lectionem Canonis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum,

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. *Ps.* 112.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

In Solemnibus & supra ad Primam omnia ut in Dominica, exceptâ Antiphonâ quæ est de Proprio vel de Communi.

AD TERTIAM

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium *&c.*

HYMNUS *S. Ambrosii,*

NUNC Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,

Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent;
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
PRÆSTA, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. 3. Da mihi.

EX PSALMO 118.

Vitia per legem fugienda.

LEgem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárũ: * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam; * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * Salutáre tuum secúndùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque: * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum; * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, * & exercébar in justificatiónibus tuis.

DIVISIO PSALMI 118.

Habenda legis divinæ memoria.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáque: * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à sæculo, Dómine; * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine: * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére mei secúndùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me; * & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ *nocte surgébam ad confiténdum tibi* * *super* judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntiũ mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra; * justificationes tuas doce me.

DIVISIO PSALMI 118.

Dei benignitas.

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquàm humiliárer, ego delíqui; * proptéreà elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórũ; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intelléctum, &

discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur, * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Ant. Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam, Dómine.

Capitulum. 1. Joan. 2.

IN hoc scimus quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Inclína cor meum, Deus in testimónia tua. *Repet.* ℟. Inclína.

℣. *Avérte óculos meos* ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. *Repet.* Inclína. Glória Patri, *&c.* *Repet.* Inclína.

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum;

℟. Quia ipsam vólui.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

Finitâ Oratione. ℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Et sic in omnibus Horis.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium meum inténde. Glória Patri, *&c.*

HYMNUS. *S. Ambrosii.*

RECTOR potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre manè ínstruis,
Et ígnibus merídiem.

EXTINGUE flammas lítium,
Aufer calórem nóxium;
Confer salútem córporũ,
Verámque pacem córdiũ.

PRÆSTA, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculũ.
Amen.

Ant. 3. Inclinávi.

EX PSALMO 118.

De sincera divinæ legis veritate.

DEfécit in salutáre tuū ánima mea, * & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes, quandò consolá-beris me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quandò fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, * & custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem *véritas tua: * fundásti terram, & pérmanet.*

Ordinatióne tuâ persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

Divisio Psalmi 118.

QUómodò diléxi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo, * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi: * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáquè, Dómine, * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper: * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum, * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Diviſio Pſalmi 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu: * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, maligni: * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Spreviſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis, * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ: * ideò diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum: * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum, * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam, * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego: * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: * diſſipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua * ſuper aurum & topázion.

Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iniquam ódio hábui.

Ant. Inclinávi cor meũ ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum.

Capitulum. Joan. 5.

HÆc est cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus ; & mandáta ejus grávia non sunt.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Secúndùm misericórdiam tuam vivífica me, Dómine. *Repet.* ℟. Secúndùm.

℣. Et custódiam testimónia oris tui. *Repet.* Secúndùm. Glória Patri. *Repet.* Secúndùm.

℣. Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua!

℟. Super mel ori meo.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium meum, *&c.* Glória Patri, *&c.*

HYMNUS *S. Ambrosii.*

RERUM Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora,
Succéssibus detérminans.

LARGIRE clarum vésperè,
Quo vita nusquam décidat:
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

PRÆSTA, Pater piíssime,
Patríque compar Unice;
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculũ.
Amen.

Ant. 6. Omnia.

EX PSALMO 118.

Meditationes eloquiorum Dei.

MIrabília testimónia tua : * ideò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum, * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére meî, * secúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum ; * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei ; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus, * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter ; * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus ; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum ; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum : * intelléctum da mihi, & vivam.

Divisio Psalmi 118.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine : * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, *& clamávi, * quia in verba tua supersperávi.*

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndùm misericórdiam tuam, Dómine ; * & secúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * à lege autem tua longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me ; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus, * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine : * secúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tribulant me : * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam, * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

Divisio Psalmi 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratis, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuũ, Dómine, * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit; * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Omnia mandáta tua æquitas: pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

Capitulum. 1. Tim. 1.

FInis præcépti est cháritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ & fide non fictâ.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Clamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine. *Repetitur.* Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. *Repet.* Clamávi. Glória Patri. *Repetitur.* Clamávi.

℣. Clamávi ad te, salvum me fac;

℟. Ut custódiam mandáta tua.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs, *&c.* Deus in adjutórium, *&c.* Glória Patri, *&c.*

Ant. 7. Dixit Dóminus.

PSALMUS 109.

Christus ad dexteram Dei sedens: ipsius generatio, regnum & sacerdotium.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero antè lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis,* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus; implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis.

Ant. 4. Fidélia.

PSALMUS 110.

Laus Deo qui Ecclesiæ tot beneficia contulit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini; * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi, * facta in ve-

ritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus; * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi.

Ant. 7. Qui timet Dóminum.

PSALMUS III.

Timor Domini gloria est & securitas justorum.

BEátus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis; * misericors, & miserátor, & justus.

Jucúndus homo, qui miseretur & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus, * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur, déntibus suis fremet & tabéscet; * desidérium peccatórum peribit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis.

Ant. 4. Sit nomen Dómini.

PSALMUS 112.

Deus super omnia excelsus, & exaltans humiles.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ino-

pem, * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Ant. 1. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

Dei potentia: ipse solus Deus; Idolorum vanitas.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit & fugit; * Jordánis convérsus est retrórsùm?

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugísti; * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsùm?

Montes, exultástis sicut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob:

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis; * sed nómini tuo da glóriam,

Super misericórdia tua & veritáte tua: * nequándò dicant gentes, Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israël; * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. Ephes. 1.

BEnedíctus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in charitáte.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

LUCIS Creátor óptime,
Lucem diérum prófe-
rens,
Primórdiis lucis novæ,
Mundi parans originem.

QUI manè junctum vésperi,
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

NE mens graváta crímine,
Vitæ sit exul múnere,
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis illigat.

CŒLÓRUM pulset íntimum,
Vitále tollat præmium;
Vitémus omne nóxium,
Purgemus omne péssimum.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice;
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. In Deo laudábimus tota die;

℟. Et in nómine tuo confitébimur in sæculum. *Psal.* 43.

Ad Magníficat, *Antiphona ut in Proprio.*

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS.

Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo:

Quia respéxit humilitátem Ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispérsit supérbos mente cordis sui:

Depósuit poténtes de sede; * & exaltávit húmiles:

Esuriéntes implévit bonis; * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sæcula.

Dicitur deindè Antiphona & Oratio conveniens, atque fiunt Commemorationes, si quæ sint faciendæ, eodem ritu quo suprà in Laudibus.

AD COMPLETOR.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs, *&c.*

COnvérte nos, Deus salutáris noster:

℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Ps. 84.*

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Psal. 69.*

Gloria Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen, Allelúia.

Ant. 8. Miserére.

PSALMUS 4.

In Deo, non in divitiis, spes collocanda.

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Filii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáu-

diet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dicitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ & speráte in Dómino: * multi dicunt, Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedísti lætitiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam & requiéscam:

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

PSALMUS 90.

Nil timendum iis qui ad Deum confugiunt: Angelorum custodiæ commissus homo.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

*Scápulis suis obumbrábit tibi, * & sub pennis ejus sperábis.*

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre noctúrno.

A sagitta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris; * ab incúrsu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, Tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam co-

gnóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exáudiam eum : cum ipso sum in tribulatióne ; * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & osténdam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Ecclesia cultores Domini ad Dei gloriam hortatur.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri :

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Miserére meî, Dómine, & exáudi oratiónem meam.

Per Annum.

HYMNUS.

Deus Creátor ómnium,
Grates peracto jam die;
Et noctis exórtu, preces
Proni tibi persólvimus.

Quod longa peccávit dies
Nocturnus éxpiet dolor;
Nec per sopórem nos sinas
Hostis patére fráudibus.

Inféstus usque círcuit
Quærens leo, quem dévoret;
Umbrántibus tuos, Pater,
Natos sub alis prótege.

O quandò lucéscet tuus,
Qui nescit occásum, dies!
O quandò te perénniter
Amábimus, laudábimus!

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

In omni Officio de Beata.

HYMNUS.

Virgo Dei Génitrix,
Quem totus non capit Orbis,
In tua se clausit
Víscera, factus homo.

Hinc méritò dicent
Te sæcula cuncta beátam :
Hinc pópuli matrem
Te dominámque colunt.

Suscipe, quos pia plebs
Tibi péndere certat, honóres :
Annue, sollícitâ
Quam prece poscit, opem.

Gloria magna Patri :
Compar sit glória Nato :

tibi par,
ne, decus.
l.
1. Theff. 5.
vos filii lucis
& filii diéi:
noctis neque
: igitur non
ficut & cæte-
lémus & sóbrii
Deo grátias.
r. In manus
nine, com-
ritum meum.
, ℟. In manus
mine, com-
itum meum.
nísti me, Dó-
veritátis.
nus tuas, Dó-
méndo spíri-

atri, & Fílio,
Sancto.
nus tuas, Dó-
méndo spíri-
Pf. 30.
li me, Dómi-
llam óculi:
umbra alárum
ege me. *Pf. 16.*
c dimíttis,
ive vigilémus.
M SIMEONIS.
c. 2.
imíttis servum
Dómine, * se-
rbum tuum in

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum.

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. *1. Theff. 5.*

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Posteà dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ Virginis, ut habentur infrà ad calcem Psalterii.

FERIA SECUNDA, *AD MATUTINUM.*

Pater noster, &c. *ut in Dominica*, pag. 5.

Invitatorium. Deum, qui prior diléxit nos; * Veníte, adorémus. *1. Joan. 4.*

Psalmus. Veníte. *pag. 6.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. Omnia.

PSALMUS 103.

Deus ab opificio & providentia celebratur.

BEnedic ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti, * amíctus lúmine sicut vestiménto.

Exténdens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum, * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos, spíritus, * & minístros tuos ignem uréntem;

Qui fundásti terram super stabilitátem suam; * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus; * super *montes stabunt aquæ:*

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, & descéndunt campi, * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur; * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béstiæ agri; * expectábunt ónagri in siti sua:

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, & cedri Líbani quas plantávit; * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes excélsi

cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora :* sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras & facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ.

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt ; * & in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum,* & ad operatiónem suam usque ad vésperam.

Divisio Psalmi 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine ? * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tuâ :

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus ; * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusilla cum magnis ; * illic naves pertransíbunt.

Draco iste quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia à te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent ; * apériente te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte :

Averténte autem te fáciem, turbabúntur ; * áuferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suum reverténtur.

Emíttes Spíritum tuum, & creabúntur ; * & renovábis fáciem terræ.

Altera Divisio Psal. 103.

SIt glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram, & facit eam trémere ; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quándiù sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint ; * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Omnia in sapiéntia fecísti, Dómine : impléta est terra possessióne tuâ.

IN II. NOCTURNO

Ant. 7. Mementóte.

PSALMUS 104.

Beneficia Israëlitis collata enumerantur.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomem ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei & psállite ei, * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini, * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit; * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus; * filii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui: * verbi quod mandávit in mille generatiónes:

Quod dispósuit ad Abraham, * & juraménti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præcéptum; * & Israël in testaméntum ætérnum,

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ;

Cúm essent número brevi, * paucíssimi & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári.

Divisio Psalmi 104.

VOcávit (Dóminus) famem super terram; * & omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbũ ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex, & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ.

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter; * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in servos ejus.

Divisio Psal. 104.
t (Dóminus)
óysen servum
Aaron quem elé-
m:
t in eis verba
m suórum, * &
órum in terra
: ténebras, & ob-
: * & non exacer-
rmónes suos.
vértit aquas eórum
inem; * & occídit
órum.
it terra eórum ra-
n penetrálibus re-
órum.
t, & venit cœno-
k cínifes * in óm-
nibus eórum.
it plúvias eórum
iem; * ignem com-
m in terra ipsó-

ercússit víneas eó-
ficúlneas eórum; *
rívit lignum fínium
:
t, & venit locústa
hus, * cujus non
imerus;
omédit omne fœ-
terra eórum, * &
it omnem fructum
eórum.
ercússit *omne pri-
tum in terra eó-
rimítias omnis la-*

bóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lúceret eis per noctem.

Petiérunt, & venit cotúrnix: * & pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, * & eléctos suos in lætítia;

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum possedérunt:

Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

Ant. Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, prodígia ejus, & judícia oris ejus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Vísita nos.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei : Judæorum ingratus animus.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo;

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

Divisio Psalmi 105.

PEccávimus cum pátribus nostris; * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérũt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ,

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * mare Rubrum;

Et salvávit eos propter *nomen suum; * ut notam fáceret poténtiam suam.*

Et increpuit mare Rubrum, & exsiccátum est; * & dedúxit eos in abyssis sicut in desérto:

Et salvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus; * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus, * & non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum; * & misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris; * Aáron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum; * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem

vituli

nóscet; * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum: * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem.

Ut intéreant in sæculum sæculi: * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui peribunt;* & dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos: * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit;* sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * & benè patiéntes erunt, ut annúntient

Quóniam rectus Dóminus Deus noster, * & non est iníquitas in eo.

Ant. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiándum manè misericórdiam tuam.

Ant. 8. Bonus Dóminus.

PSALMUS 135.

Deus mirabilis : ejus in suos providentia.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Qui fecit cœlos in intelléctu, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

Qui fecit luminária magna, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Solem in potestátem diéi, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Lunam & stellas in potestátem noctis, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Bonus Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. 4. Dóminus.

Divisio Psalmi 135.

[Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:]

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Qui edúxit Israël de médio eórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

In manu poténti, & bráchio excélso, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Qui divísit mare rubrum in divisiónes: * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israël per médium ejus, * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

Et excússit Pharaónem & virtútem ejus in mari Rubro, * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

Qui tradúxit pópulum suum per desértum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Qui percússit reges magnos, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Et occídit reges fortes, * *quóniam in ætérnum misericórdia ejus:*

Sehon regem Amorrhæórum, * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

Et Og regem Basan, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Hæreditátem Israël servo suo, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Et redémit nos ab inimícis nostris, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

Qui dat escam omni carni, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî, & redémit nos ab inimícis nostris.

Quando fit Officium de Feriâ dicitur Canticum sequens.

Ant. 7. Quis similis tui

CUM MOYSIS
Exod. 15.
témus Dómino ;
riósè enim mag-
s est, * equum &
rem dejécit in

túdo mea & laus
óminus, * & factus
i in salútem.
Deus meus, & glo-
eum ; * Deus pa-
, & exaltábo eum.
inus quasi vir pug-
Omnípotens, no-
is ; * currus Pha-
& exércitum ejus
in mare.
príncipes ejus sub-
nt in mari rubro ,
operuérunt eos , *
érunt in profún-
asi lapis.
era tua , Dómine ,
cáta est in fortitú-
xtéra tua, Dómine,
t inimícum ; * & in
line glóriæ tuæ de-
adversários tuos.
ti iram tuam quæ
it eos sicut stípu-
& in spíritu furóris
regátæ sunt aquæ.
: unda fluens , *
gátæ sunt abyssi in
nari.
: inimícus : Pérse-
comprehéndam :
spólia, implébi-
tur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine ? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília ?

Extendísti manum tuam, & devorávit eos terra ; * dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt, * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine ; * *donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedísti.*

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine.

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnábit in ætérnum, & ultra:

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare, * & redúxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Quis símilis tui, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília.

In Festis, loco superioris Cantici, dicitur sequens

CANTICUM

Eccli. 39.

COllaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum vestrórum, & in cánticis labiórum, & cítharis:

Et sic dicétis in confessióne: * ópera Dómini univérsa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * & in sermóne oris illíus sicut exceptióra aquárum;

Quóniam in præcépto ipsíus placor fit, * & non est minorátio in salúte ipsíus

Opera omnis carnis coram illo, * & non est quidquam abscónditum ab óculis meis.

A sæculo usque in sæculum réspicit, * & nihil est mirábile in conspéctu ejus.

Ant. 1. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 134.

Israël beneficiis cumulatus: Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dominum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus, fecit, in cœlo, & in terra, * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis; * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus:

Et misit signa & prodígia in médio tui, Ægypte; * in Pharaónem & in omnes servos ejus;

Qui percússit gentes multas, & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israël pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem:

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium árgentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

*Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.*

Domus Israël, benedícite Dómino: * domus Aáron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, psállite nómini ejus, quóniam elégit Israël in possessiónem sibi.

Capitulum. Prov. 8.

EGo diligéntes me díligo: & qui manè vígilant ad me, invénient me.

℟. Deo grátias.

℣. Repléti sumus manè misericórdia tua, Dómine;

℟. Et exultávimus & delectáti sumus. *Ps. 89.*

Canticum Benedíctus, *habetur in Laudibus Dominicalibus.*

Ant. 1. Benedíctus Dóminus Deus Israël, quia visitávit & fecit redemptiónem plebis suæ. *Luc.* 1.

Preces, quando dicuntur & Suffragia, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominicá præcedenti; & sic in aliis Horis & Feriis.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis orto sydere. *ut suprà, ad Primam de Dominica.*

Ant. 3. Quid est homo.

PSALMUS 8.

Christi gloria & potestas.

DOmine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuũ in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas ínsuper & *pécora campi;*

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

PSALMUS 76.

Consolatio spiritualis ex operibus Dei sumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum; & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à

ne in generatió-

ɔlivifcétur mife-
; ? * aut continé-
fua misericórdias

, Nunc cœpi : *
utátio déxteræ

o Psalmi 76.
or fui óperum
mini ; * quia me-
ab inítio mirabi-
um ;
tábor in ómnibus
tuis, * & in adin-
us tuis exercébor.
a sancto via tua :
s magnus ficut
ter, * tu es Deus
mirabília.
fecísti in pópulis
tuam ; * redemísti
o tuo pópulum
ɔs Jacob, & Jo-

ıt te aquæ, Deus,
te aquæ ; * & ti-
& turbátæ sunt

ído sónitus aquá-
vocem dedérunt

sagíttæ tuæ trán-
vox tonítrui tui

ınt coruscatiónes
erræ; * commóta
ıntrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis ; * vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aáron.

Ant. Quid est homo, Dómine, quod memor es ejus ? aut filius hóminis quóniam visitas eum ?

Capit, ℟. breve & Preces quando dicuntur, habentur post Completorium Sabbati ; & sic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

Pater. Ave. Sancti Spirítûs. Deus, in adjutórium meum, *&c.*

Hymnus, Nunc Sancte.

Ant. 2. Annuntiáte.

PSALMUS 24.

Justi oppressi, & opem poscentis, humilis oratio.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iniqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ & ignorántias meas * ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto meî tu * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício; * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas * requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dñe, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Divisio Psalmi 24.

QUis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen *ejus hæreditabit* terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum, * & testaméntum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt; * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum, * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniã multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odéruntme.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

Ecclesiæ, pro Christi adventu, Canticum.

CAntáte Dómino, cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Domino, &

benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introïte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli & exúltet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terrã.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Ant. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Capitulum. Ephes. 5.

Estóte imitatóres Dei, sicut filii charíssimi; & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi? *Repetit.* Quid retríbuam.

℣. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus. *Repetit.* Quid retríbuam. Glória Patri. *Repetit.* Quid retríbuam.

℣. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis,

℟. Et nomen Dómini invocabo. *Ps.* 115.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. Deus, in adjutórium meum inténde, *&c.*

Hymnus, Rector potens.

Ant. 2. Elégit.

PSALMUS 46.

Laudatur Deus, quòd omnes gentes in unum Christi regnum coëant.

OMnes gentes, pláudite mánibus, * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

PSALMUS 97.

Christus celebrandus, qui se sit omnibus exhibiturus, & orbem judicaturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi dextéra ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terrã.

Judicábit orbem terra-

rum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

Christi potestas: ejus vestigia adoranda: exempla patrum.

DOminus regnávit, irascántur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deũ nostrum, * & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Móyses & Aáron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis, & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñm Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Elégit nobis hæreditátem suam quam diléxit Dóminus.

Capitulum. Rom. 8.

SPíritus testimóniũ reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei: si autem fílii & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus. *Repetit.* Confiteántur. ℣. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Repetitur.* Confiteántur. Glória Patri. *Repetit.* Confiteántur. *Psal. 106.*

℣. Quómodo miserétur pater filiórum.

℟. Misértus est Dóminus timéntibus se. *Ps. 102.*

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. Deus, in adjutórium meum inténde, &c.

Hymnus, Rerum Deus.

Ant. 1. In voluntáte tua.

PSALMUS 52.

Impiorum infinitus numerus: adventus Christi exoptatur.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospéxit super filios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt, * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

PSALMUS 72.

Improbi in hac vita felices, probi quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.

QUàm bonus Israël Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórũ videns;

Quia non est respéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum;

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos supérbia; * óperti sunt iniquitáte & impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum; * transiérunt in afféctum cordis.

Cogitavérunt & locúti sunt nequítiam, * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt: Quómodò scit Deus? * &, Si est sciéntia in Excélso.

Ecce ipsi peccatóres, &

abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergò sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas.

Et fui flagellátus totâ die, * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóscerem hoc: * labor est antè me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis; * dejecísti eos, dum allevaréntur.

Quómodò facti sunt in desolatiónem, súbitò defecérunt? * periérunt propter iniquitátem suam.

Velùt sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt; * & ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te, * & ego semper tecum.

Divisio Psalmi 72.

Tenuísti [Dómine] manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscépisti me

Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, & cor meum: * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant se à te, períbunt; * perdidísti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Ant. In voluntáte tua deduxísti me, Dómine, & cum glória suscepísti me.

Capitulum. 2. Thess. 1.

Dignétur vos vocatióne suâ Deus noster, & ímpleat omnem voluntátem bonitátis, & opus fidei in virtúte, ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo.

℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Doce me fa-

cere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu. *Repetitur.* Doce me.

℣. Spíritus tuus bonus dedúcet me. *Repet.* Doce me. Glória Patri. *Repetit.* Doce me. *Psal.* 142.

℣. In Deo salutáre meum, & glória mea.

℟. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. *Psal.* 61.

Preces, si dicendæ sint, habentur post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. Deus, in adjutórium meum inténde, *&c.*

Ant. 2. Convértere.

PSALMUS 114.

Christus, mortis Victor.

Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricórs Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convertére, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere ánima mea, in réquiem tuam, quia Dñs benefécit tibi.

Ant. 8. Levávi.

PSALMUS 120.

Deus Ecclesiæ custos.

Levávi óculos meos in montes, * undè véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Ant. Levávi óculos meos in montes, auxílium meum à Dómino.

Ant. 1. Adjutórium nostrum.

PSALMUS 123.

Ecclesiæ, à periculis ereptæ gratiarum actio.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël : * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos ;

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 5. Magnificávit.

PSALMUS 125.

Apostolorum Martyrumque labores & patientia.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : *facti sumus* lætántes.

Ant. 6. Adhæreat.

PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra :

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos, * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non meminero tuî ;

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem.

Qui dicunt, Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera ;* beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam *retribuísti nobis.*

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposúero Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

Capitulum. 1. Petr. 1.

NUnc non vidéntes créditis : credéntes autem, exultábitis lætítia inenarrábili & glorificáta ; reportántes finem fidei vestræ, salútem animárum.

℟. Deo grátias.

HYMNUS. *S. Ambrosii.*

IMMÉNSE cœli cónditor,
Qui mixta ne confúnderent,
Aquæ fluénta dívidens,
Cœlum dedísti límitem :

FIRMANS locum cœléstibus,
Simúlque terræ rívulis ;
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum nè díssipent :

INFUNDE nunc piíssime,
Donum perénnis grátiæ ;
Fraudis novæ nè cásibus
Nos error átterat vetus.

LUCEM fides invéniat,

Sic lúminis jubar ferat,
Ut vana cuncta térreat,
Hanc falsa nulla comprimant.

Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Ad te, Dómine, clamávi totâ die;

℟. Lætífica ánimam servi tui. *Ps.* 85.

Ad Magnificat

Ant. 8. Magníficat ánima mea Dóminum; & exultávit spíritus meus in Deo Salutári meo. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, habentur infra post Completorium Sabbati. Oratio de Dominica precedenti, nisi sit propria.

AD COMPLETOR.

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. Convérte nos *&c.* Deus, in adjutórium *&c.*

Ant. 2. Justum.

PSALMUS 6.

Oratio pœnitentis, Dei misericordiam implorantis.

Domine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * *sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.*

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam, * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo. lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Salus justos manet; malos interitus.

Domine, Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus

persequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine, Deus meus, si feci istud,* si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala,* décidam méritò ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua:* & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine, Deus meus, in præcépto quod mandásti: * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere:* Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meã,* & secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia *peccatórum*, & diriges justum;* scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino,* qui salvos facit rectos corde.

Divisio Psalmi 7.

DEus, judex justus, fortis & pátiens: * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis;* sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce patúriit injustítiam;* concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum;* & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus: * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

Ant. Justum adjutórium meum à Dómino, qui salvos facit rectos corde.

Hymnus Deus Creátor *Pag.* 42. *Et sic in aliis Feriis.* Capitulum verò *Responsorium* breve &

Ant. ad Nunc dimíttis, *& Preces, quando dicuntur habentur infrà post Completorium Sabbati.*

FERIA TERTIA,

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum pacis & dilectiónis, * Veníte, adorémus. 2. *Cor.* 13.

Psalm. Veníte. *pag.* 7.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. Quis requiéscet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 18.

Deus, tùm ex operibus, tùm ex sanctitate legis, cognitus.

CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calore ejus.

Divisio Psalmi 18.

LEx Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dó-

mini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multùm, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me, * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

Ant. Quis requiéscet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malum. *Ps.* 14.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. *Non proponébā.*

PSALMUS 71.

Christi regnum pacificum, amplum, felixque.

DEus, judícium tuum Regi da, & justítiam tuam filio Regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum; * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terrā.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Divisio Psalmi 71.

REges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum om-

nes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem à potente; * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & inopi, * & ánimas páuperum salvas faciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * tota die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus Benedíctum in sæcula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum; * & replébitur majestáte *ejus omnis terra: fiat, fiat.*

PSALMUS 100.

Bene vivendi forma: fugiendi mali.

Misericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, & intélligam in via immaculáta, * quandò vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum; * declinántem à me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecùm: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes

operántes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injústam : detrahéntem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. Adjúvit.

PSALMUS 106.

Deus suos è variis periculis servare, & donis cumulare amat.

Confitémini Dño, quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt, à Dómino, quos redémit de manu inimíci; * & de regiónibus congregávit eos.

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes & sitiéntes : * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos :

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus, fíliis hóminum :

Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbrâ mortis, * & víncula eórum disrúpit.

Divisio Psalmi 106.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominánata est ánima eórum : * & appropinquavérunt usque ad portas mortis :

Et

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et sacrríficent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & stetit spíritus procéllæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cœlos, & descéndunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram; * & *siluérunt fluctus ejus:*

Pars Autumnalis.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Altera Divisio Psal. 106.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exáltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum, * & éxitus aquárum in sitim;

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum * & terram sine aqua in éxitus aquárum

Et collocávit illic esuriéntes, * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimìs; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de

inópia ; * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur ; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc ; * & intélliget misericórdias Dómini ?

Ant. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia : vidébunt recti, & lætabúntur.

℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis ;

℟. Miséricors, & miserátor, & justus Dóminus. *Psal. 111.*

Pater noster, *&c.*

AD LAUDES.

Ant. 4. Qui non accépit.

PSALMUS 23.

Imperium Christi ; ipsius ad cœlos ascensus.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo :

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus & *mundo corde*, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dño, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras ; & elevámini portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras ; & elevámini : portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

Ant. 5. Aúdiam.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis ; futura Verbi Incarnatio.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram

tuam ; * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos ; * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuã;* & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúntamen propè timéntes eum salutare ipsius: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem ; * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit ; * & ponet in via gressus suos.

Ant. Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; quóniam loquétur pacem in plebem suam, & super sanctos suos.

Ant. 3. Qui dilígitis.

PSALMUS 96.

Christi regnum : ille solus adorandus.

DOminus regnávit ; exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus ; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis antè ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus ; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine ;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem

terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino,* & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum.

Ant. 7. Vivens.

IN FERIIS.

CANTICUM EZECHIÆ.

Isaïæ. 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium: * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut à texénte, vita mea; dùm adhuc ordírer succídit me: * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad manè, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea: * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei suspiciéntes in excélsum: * Dómine, vim pátior, respónde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima: * tu autem eruísti ánimam meam ut non períret:

Projecísti post tergum tuum* ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódiè: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me

ℸ psalmos nostros
ıus cunctis diébus
træ in domo Dó-

Vivens, vivens
fitébitur tibi, Dó-
ater filiis notam
ritátem tuam.

FESTIS.

NTICUM

Eccli. 36.

rére nostri, Deus
mnium, & réspice
& osténde nobis
niserationum tuá-

nmítte timórem
per gentes quæ
uisiérunt te, * ut
ınt quia non est
uisi tu, & enár-
gnália tua.
a manum tuam
ntes aliénas, * ut
potentiam tuam.
enim in conspéctu
sanctificátus es in
* sic in conspéc-
o magnificáberis

nóscant te, * sicut
cognóvimus quó-
n est Deus præ-
Dómine.
a signa, & immú-
bília: * glorífica
& bráchium dex-

Excita furórem, & effúnde iram: * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Festína tempus, & meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur; * & qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipũ inimicórum, * dicéntium: Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóscant quia non est Deus, nisi tu, & enárrent magnália tua: Et hæreditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum; * & Israël, quem coæquásti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuum.]

Ant. 1. Laudáte.

PSALMUS 150.

Deus omni musicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in Sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtúti-

bus ejus : * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus ; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum in Sanctis ejus : laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capitulum. 1. Joan. 2.

Mandátum novum scribo vobis, quod verum est & in Christo, & in vobis ; quia ténebræ transiérunt, & verum lumen jam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet, & scándalum in eo non est.

℣. Deus in médio civitátis suæ ; non commovébitur :

℟. Adjuvábit eam manè dilúculò. *Ps.* 45.

Ad Benedíctus,

Ant. 7. Eréxit Dóminus *cornu salútis* nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

Ant. 2. Cùm mihi.

PSALMUS 34.

Christus ab hostibus liberari deprecatur.

Judica, Dómine, nocéntes me, * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum, * & exúrge, in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me ; * dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur & revereántur * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum, * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui, * supervácuè exprobravérunt ánimã meã.

Véniat illi láqueus quem

ignórat ; & cáptio quam abscóndit, apprehéndat eum, * & in láqueum cadat in ipsum.

Divisio Psalmi 34.

ANima autem mea exultábit in Dómino ; * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent : * Dómine, quis símilis tibi ?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam ; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam, * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt, & convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti *sunt, nec com*púncti ; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne ; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quandò respícies ? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna : * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iniquè ; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacificè loquebántur, * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum ; * dixérunt : Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas ; * Dómine, ne discédas à me.

Altera Divisio Psal. 34.

EXúrge, & inténde judício meo, * Deus meus & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam, Dómine, Deus meus ; * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimæ *nostræ ;* * nec dicant : De-

vorávimus eum.

Erubéſcant & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ,* qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & lætėntur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper: magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Cùm mihi moléſti eſſent, quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam.

Capitulum, ℟. *brev.* & *Preces, poſt Completorium Sabbati.*

AD TERTIAM.

Ant. 1. Cum ímpiis non ſedébo.

PSALMUS 25.

Puræ conſcientiæ in conſpectu Dei humilis inquiſitio.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum, * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum;

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine.

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris ſánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes ſunt: * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréſſus ſum; * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in diréčto; * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

Non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt: * & vocávit terram,

A ſolis ortu uſque ad

occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifèstè véniet: * Deus noster & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet, * & in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cœlum desúrsùm, * & terram, discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, & loquar; Israël, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos:

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi omnia volatília cœli: * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et invoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Divisio Psalmi 49.

PEccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meũ per os tuum?

Tu verò odísti disciplínam, * & projecísti sermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo: * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris & advérsùs fílium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti, iníque, quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum: * nequándo rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illìc iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Cum ímpiis non sedébo: inter innocéntes circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25.

Capitulum. Eccli. 25.

SAcrifícium salutáre, est atténdere mandátis, & discédere ab omni iniquitáte, & propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias: & deprecátio pro peccátis, recédere ab injustítia.

℟. *breve.* Quis ascéndet in montem Dómini, stabit in loco sancto ejus? *Repet.* Quis ascéndet.

℣. Innocens mánibus & mundo corde, *Repet.* Quis ascéndet. Glória Patri. *Repet.* Quis ascéndet.

℣. Congregáte Domino sanctos ejus,

℟. Qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia. *Ps.* 49.

AD SEXTAM.

Ant. 4. Justus.

PSALMUS 36.

Bonorum malorumque status longè dispar.

NOli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréscent; * & quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tanquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, & derelínque furórem: * noli æmulári, ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur; * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum:

Ut dejíciant páuperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto, * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórũ conteréntur; * confirmat autem juſtos Dñs.

Diviſio Pſalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis ſaturabúntur: * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti; * deficiéntes quemádmodùm fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet; * juſtus autem miſerétur, & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui, * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur, & commódat, * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum, * & inhábita in ſæculum ſæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur, * & ſemen impiórum peribit.

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſæculũ ſæculi ſuper eam.

Altera Diviſio Pſal. 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Consíderat peccátor juſtum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non

derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & custódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispeníbunt simul; * relíquiæ impiórũ interíbunt.

Salus autem justórum à Dño, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, * & éruet eos à peccatóribus & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Justus totâ die miserétur & cómmodat; & semen illíus in benedictióne erit.

Capitulum. 1. Joan. 3.

QUi habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo, quómodò cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte.

℟. *breve.* Jucúndus homo, qui miserétur & cómmodat. *Repet.* Jucúndus.

℣. In ætérnum non commovébitur, *Repet.* Jucúndus. Glória Patri. *Repet.* Jucúndus.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus:

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

AD NONAM.

Ant. 7. Pro eo.

PSALMUS 108.

Christus Judæ proditori, aliísque impiis dignas pœnas, sibíque salutem precatur.

DEus, laudem meã ne tacúeris: * quia os peccatóris, & os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me: * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * &

ódium pro dilectióne mea.

Divisio Psalmi 108.

Constitue [Dómine] super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * & dirípiant alièni labóres ejus.

Non sit illi adjútor; * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contrà Dñm semper, & dispéreat de terra memória eórum; * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam;

Et persecútus est hóminem *inopem & mendícum*, * & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo;

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur, * & sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

Altera Divisio Psal. 108.

Líbera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intrà me.

Sicut umbra, cum declínat, ablátus sum; * & excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt

me, * & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * salvum me fac secúndùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * & tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundántur; servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiántur sicut diplóïde confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

Ant. Pro eo ut me dilígerènt, detrahébant mihi: ego autem orábam.

Capitulum. Rom. 12.

NOlíte esse prudéntes apud vosmetípsos, nulli malum pro malo reddéntes, providéntes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes.

℟. *breve.* Posuérunt advérsùm me mala pro bonis. *Repet.* Posuérunt.

℣. Et ódium pro dilectióne mea, *Repet.* Posuérunt. Glória Patri. *Repetit.* Posuérunt. *Ps. 108.*

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala,

℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps. 7.*

AD VESPERAS.

Ant. 3. Multùm íncola fuit.

PSALMUS 119.

Christi mansuetudo & patientia.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impu-

gnábant me gratis.

Ant. Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

Ant. 1. Propter fratres meos.

PSALMUS 121

Ecclesiæ concordia, pietas & justitia celebrantur.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem:

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tuâ, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos, & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

Ant. 4. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

ECce quàm bonum, & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aáron

Quod descéndit in oram vestiménti ejus; * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in sæculum.

Ant. Quàm bonum, & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum!

Ant. 8. In misericórdia.

PSALMUS 140.

Lingua coërcenda: in afflictionibus patientia.

DOmine, clamávi ad te, exáudi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium

circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea, quóniam potuérunt; * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secùs inférnum: * quia ad te, Dómine, Dómine óculi mei; in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. In misericórdia justus increpábit me; óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Ant. 6. Me expéctant

PSALMUS 141.

Humanâ ope destituta, contrà insectatores auxilium implorat Ecclesia.

Voce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspéctu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum; * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam, * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo: * me

expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expéctant justi, donec retríbuas mihi, Dñe.

Capitulum 1. Cor. 12.

SI quid pátitur unum membrum, compatiúntur ómnia membra; sive gloriátur unum membrum, congáudent ómnia membra: vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.

HYMNUS *S. Ambrosii.*

TELLURIS ingens cónditor,
Mundi solũ qui détegens,
Pulsis aquæ moléstiis,
Terram dedísti immóbilem:

UT germen aptum próferens,
Fulvis decóra flóribus,
Fœcúnda fructu sísteret,
Pastúmque gratum rédderet.

MENTIS perústæ vúlnera
Munda viróre grátiæ;
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.

JUSSIS tuis obtémperet,
Nullis malis appróximet,
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat.

PRÆSTA, *Pater piíssime,*
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea:

℟. Audiant mansuéti, & læténtur. *Ps.* 33.

Ad Magníficat

Ant. 8. Respéxit Deus humilitátem ancíllæ suæ. *Luc.* 1.

AD COMPLETOR.

Ant. 7. Tu remisísti.

PSALMUS 12.

Animæ fidelis in adversitate deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíscéris me in finem? * úsquequò avértis fáciem tuam à me?

Quándiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in Salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi,* & psallam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

Pia adhortatio ut quisque à peccatis se abstrahat.

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes,* & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum,* nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea,* dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum,* ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio me[a] érue me à circumdántib[us] me.

Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus,* quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum constrínge,* qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris: * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi,* & gloriámini omnes recti corde.

PSALMUS 78.

Urbis vastitas; pollutio Templi; persecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum,* posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli,* carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem; * &

non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus Salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

Et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris, * últio sánguinis servórum *tuórum, qui effúsus est.*

Introëat in conspéctu tuo gémitus compeditórum; * secúndùm magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum; quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Tu remisísti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31.

FERIA QUARTA

AD MATUTINUM

Invitatorium Deum spei, * Venite adorémus. *Rom.* 15.

Psalm. Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

PSALMUS 9.

Impiorum eversor Deus, idemque pauperum defensor.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * psallam nómini tuo, Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum; * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum, & causam meam: * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defécerunt frámeæ in finem, * & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu, * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Divisio Psalmi. 9.

MIserére meî, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in Salutári tuo; * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt;

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Altera Divisio Psalmi 9.

UT quid, Dómine, recessísti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iniquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus, * inquinátæ sunt viæ illius in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne oblivíscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas; * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi: * períbitis, gentes de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat

cátis eórum, * & non dispérdet eos.

Ant. Filii qui nascéntur, narrábunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. Abstulit.

EX PSALMO 77.

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram suam, * & non accéndit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt; * spiritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto; * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctum Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini
tus eórum, * & l
eórum locústæ.

Et occídit in gr
víneas eórum, * &
eórum in pruina.

Et trádidit gránd
ménta eórum, * &
siónem eórum igni.

Misit in eos ira
gnatiónis suæ, * in
tiónem, & iram,
bulatiónem, immi
per ángelos malos.

Viam fecit sémi
suæ, non pepércit
te animábus eórum
juménta eórum in
conclúsit;

Et percússit om
mogénitū in terra
ti, * primítias omni
ris eórum in taber
Cham.

Divisio Psalmi

ABstulit (Dóm
sicut oves pó
suum * & perdú
tanquàm gregem
sérto.

Et dedúxit eos in
non timuérunt; *
mícos eórū opéruit

Et indúxit eos in
tem sanctificatiónis
montem, quem acc
déxtera ejus.

Et ejécit à fácie
gentes; * & sorte

tis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélsum: * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodùm patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & sprevit: * & ad níhilum redégit valdè Israël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suũ, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum; * & pulchritúdinem eórum, in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

Altera Divisio Psal. 77.

EXcitátus est tanquam dórmiens Dóminus, * tanquam potens crapulátus à vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra; * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribũ Ephraïm non elégit:

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quẽ diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum, & sústulit eum de grégibus ovium: * de post fœtántes accépit eũ,

Páscere Jacob servum suum, * & Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui; * & in intelléctibus mánuũ suárum dedúxit eos.

Ant. Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, & dedúxit eos in spe.

℣. Ecce non dormitábit, neque dórmiet,

℟. Qui custódit Israël. *Psal. 120.*

Pater noster, *&c.*

AD LAUDES.

Ant. 4. Omnes.

PSALMUS 5.

Maligni malis; innocentes bonis afficiendi.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine;* manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi & vidébo;* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introïbo in domum tuam;* adorábo ad Templū sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ... eórum véritas: * cor ... rum vanum est.

Sepúlchrum patens ... guttur eórum, linguis ... dolósè agébant; * júd... illos, Deus.

Décidant à cogitatió... bus suis, secúndùm mu... túdinem impietátum ... rum expélle eos, * qu... niam irritavérunt te, D... mine.

Et læténtur omnes ... sperant in te: * in æt... num exultábunt, & ha... tábis in eis.

Et gloriabúntur in ... omnes qui díligunt nom... tuum, * quóniam tu ... nedíces justo.

Dómine, ut scuto bo... voluntátis tuæ * co... násti nos.

Ant. Omnes qui s... rant in te, Dómine ... ætérnum exultábunt; ... habitábis in eis.

Ant. 5. In tégmin...

PSALMUS 35.

Iniquorum malitia: just... Dei: gloria justorum...

DIxit injústus, ut ... línquat in seme... so: * non est timor ... ante óculos ejus.

Quóniam dolósè ... in conspéctu ejus, * ut...

veniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus : * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua : * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis, Dómine ; * quemádmodùm multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ ; * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine ; & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Ant. 3. Exáudi nos.

PSALMUS 64.

Dei in homines beneficentia : gentium conversio.

TE decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meã : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos ; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti, * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ ; * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis ; *

éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

Ant. 1. Ecce.

In Feriis.

CANTICUM.

Isaïæ. 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illa: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion: * quia magnus in médio tuî sanctus Israël.

Ant. Ecce Deus salvátor meus; fiduciáliter agam, & non timébo.

In Festis.

CANTICUM.

Tob. 13.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * & in ómnia sæcula regnum tuum.

Quóniam tu flagéllas, & salvas: dedúcis ad ínferos, & redúcis: * & non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, filii Israël, * & in conspéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ideò dispérsit

vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus,

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras; * & ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobíscum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; * Regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi: * quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, * credéntes quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam.

Ego autem & ánima mea * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.]

Ant. 6. Beneplácitũ est.

PSALMUS 146.

Deus ex sua in populum suũ providentia celebratur.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * *Deo nostro sit* jucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem, Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat juméntis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Capitulum. Isaïæ. 26.

IN sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : nomen tuũ, & memoriále tuũ in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuã;

℟. Quia in te sperávi.

Ps. 142. *Ad* Benedictus.

Ant. 1. Jurávit Dóminus datúrum se nobis, ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Comp. Sabbati. Orat. conveniens.

AD PRIMAM.

Ant. 8. Ego.

PSALMUS 30.

Vox Christi, & fidelium se Deo in mœrore committentium.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum p[...] tectórem, & in domũ r[...] gii ; * ut salvum me fa[...]

Quóniam fort[...] mea, & refúgium m[...] es tu ; * & propter [...] men tuum dedúces [...] & enútries me.

Edúces me de laq[...] hoc quem abscondé[...] mihi, * quóniam tu [...] protéctor meus.

In manus tuas comm[...] do spíritum meum : * [...] demísti me, Dómine, D[...] veritátis.

Odísti observántes [...] nitátes supervácuè : * [...] autem in Dómino sper[...]

Exultábo & lætábo[...] misericórdia tua ; * qu[...] niam respexísti humil[...] tem meam, salvásti de [...] cessitátibus ánimam me[...]

Nec conclusísti me in [...] nibus inimíci ; * statuísti [...] loco spatióso pedes me[...]

Divisio Psalmi 30.

MIserére meî, Dómi[...] ne, quóniam trib[...] lor : * conturbátus est [...] ira óculus meus, áni[...] mea, & venter meus.

Quóniam defécit in d[...] lóre vita mea, * & a[...] mei in gemítibus.

Infirmáta est in paup[...] táte virtus mea, * & o[...] mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valdè,* & timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me :* oblivióni datus sum tanquam mórtuus à corde.

Factus sum tanquam vas pérditum :* quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsùm me :* accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine ;* dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum ,* & à sequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum fac in misericórdia tua:* Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum :* muta fiant lábia dolósa,

Quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem,* in supérbia, & in abusióne.

Altera Divisio Psalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * *quam abscon*dísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus :* quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ :* Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus,* quóniam veritátem requiret Dóminus, & retribuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Ego in Dómino sperávi : exultabo & lætábor in misericórdia tua.

Capitulum, ℟. *breve*, *Preces*, *ut infra in Feriis per Annum post Completorium Sabbati.*

AD TERTIAM

Ant. 4. Spera in Deo.

PSALMUS 41.

Solatium justi, spes melioris vitæ, rerumque divinarum meditatio.

QUemadmódũ desíderat cervus ad fontes aquárum:* ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídiè: Ubi est Deus tuus.

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meã: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirabílis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis * sonus epuléntis.

Quare tristis es ánima mea, * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * Salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

AD meipsum ánima mea conturbáta est:* proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, Hermóniim à monte dico.

Abyssus abyssum i[illegible]cat, * in voce catar[illegible]rum tuárum.

Omnia excélsa tua fluctus tui * super transiérunt.

In die mandávit [illegible]minus misericórdiam [illegible] & nocte cánticum ej[illegible]

Apud me orátio vitæ meæ: * dicam [illegible] Suscéptor meus es:

Quare oblítus es m[illegible] & quare contristátu[illegible] cédo, dum afflígit me[illegible]mícus.

Dum confring[illegible] ossa mea, * exprob[illegible]runt mihi qui trib[illegible] me inimíci mei:

Dum dicunt mihi singulos dies: * U[illegible] Deus tuus?

Quare tristis es, á[illegible] mea, * & quare co[illegible]bas me?

Spera in Deo, quó[illegible] adhuc confitébor ill[illegible] Salutáre vultûs mei Deus meus.

PSALMUS 4[illegible]

De spe in Deo haben[illegible] persecutionibus[illegible]

JUdíca me, D[illegible] discérne causam [illegible] de gente non san[illegible]

hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? & quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * Salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Spera in Deo, ánima mea: Salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Capitulum Rom. 15.

QUæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt; ut per patiéntiam, & consolatiónem Scripturárum, spem habeámus.

℟. *breve* Memor esto verbi tui, Dómine, in quo mihi spem dedísti. *Repetitur* Memor esto.

℣. Hæc me consolát est, quia elóquium tuum vivificávit me. *Repetitu* Memor esto. Glória Patri. *Repetit.* Memor esto.

℣. Respondébo exprobrántibus mihi verbum;

℟. Quia sperávi in sermónibus tuis. *Ps. 118.*

Preces, si dicendæ sint infra in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM

Ant. 2. Qui sperat.

PSALMUS 20.

Christi regnum, potestas, & victoria.

DOmine, in virtúte tua lætábitur Rex, * & super Salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum:

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in Salutári tuo: * glóriam

& magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos; & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

Deus prædicandus: innumerabilia ejus beneficia.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intrà me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis, & multùm miséricors:

Non in perpétuum irascétur, * neque in ætérnum comminábitur:

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericór-

diam suam super timéntes se.

Quantùm distat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodò miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrū:

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo, sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet; * & non cognóscet ámpliùs locum suum:

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * & usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus * ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Qui sperat in Dómino, in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Psal.* 20.

Capitulum. 1. Joan. 3.

NUnc filii Dei sumus, & nondùm appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est.

℟. *breve.* Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus. *Repetitur.* Beátus vir.

℣. Et non respéxit in vanitátes & insánias falsas. *Repetitur.* Beátus vir. Glória Patri. *Repetitur.* Beátus vir. *Psal.* 39.

℣. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli:

℟. Effúndite coram illo corda vestra. *Psal.* 61.

Preces, si dicendæ sint, infrà post Completor. Sabbati.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Ant. 8. Factus est.

PSALMUS 81.

Injustè jura administrantibus exitium certum.

DEus stetit in synagóga deórũ; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem: * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem: * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * & filii Excélsi omnes.

℣ Vos autem sicut hómines moriémini: * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

Deus superborum osor & vindex.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt; * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo; * & stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculũ non consíderat.

Qui córripit gentes, non árguet; * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Divisio Psalmi 93.

BEátus homo quem tu erudíeris, Dómine,* & de lege tua docúeris eum;

Ut mitiges ei à diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * & hæreditátem suam non derelínquet;

Quoadúsque justítia convertátur in judícium:* & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis stabit mecum advérsùs operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * paulò minùs habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dñe, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Capábunt in ánimam justi: * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ:

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum dispérdet eos:* dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Factus est mihi Dóminus in refúgium, & Deus meus in adjutórium spei meæ. *Psal.* 93.

Capitulum. Hebr. 10.

NOlíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem: patiéntia enim vobis necessária est, ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem.

℞. *breve.* Bonum est confídere in Dómino, quàm confídere in hómine. *Repetitur.* Bonum est.

℣. Bonum est speráre in Dómino, *Repetit.* Bonum est. Glória Patri. *Repetitur.* Bonum est. *Psal.* 117.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est.

℞. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72.

Preces, si dicendæ sint, infrà post Completor. Sabbati.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 7. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

Ecclesiæ oratio contra impiorum calumnias.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum ;

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ suæ : * ità óculi nostri ad Dóminum Deum nostrũ, donec misereátur nostrì.

Miserére nostrì, Dómine, miserére nostrì ; * quia multùm repléti sumus despectióne :

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrũ, donec misereátur nostrì.

Ant. 5. Qui confidunt.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipse tutela : iniqui perituri.

QUi confidunt in Dómino sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem :

Montes in circúitu ejus : * & Dóminus in circúitu pópuli sui ; [...] hoc nunc, & usque [...] sæculum :

Quia non relin[...] Dóminus virgam pec[...] tórum super sortem j[...] tórum, * ut non ext[...] dant justi ad iniquitá[...] manus suas.

Bénefac, Dómine, b[...] nis, * & rectis corde.

Declinántes autem [...] obligatiónes, addúcet D[...] minus cum operánt[...] iniquitátem : * pax sup[...] Israël.

Ant. Qui confidunt [...] Dómino, sicut m[...] Sion : non commovéb[...] in ætérnum, qui háb[...] in Jerúsalem.

Ant. 8. Nisi Dómi[...]

PSALMUS 126.

Vani hominum labores, [...] bus Deus non opitula[...]

NIsi Dóminus ædific[...] verit domum, * v[...] vanum laboravérunt [...] ædíficant eam.

Nisi Dóminus cus[...] dierit civitátem, * frus[...] vígilat, qui custódit e[...]

Vanum est vobis [...] lucem súrgere : * súrg[...] postquam sedéritis, [...] manducátis panem [...] lóris, cùm déderit diléct[...] suis somnum.

Ecce hæréditas Dómi[...]

ii merces, fructus.
sagittæ in manu, ita filii excus-
s vir qui implévit
m suum ex ip-
non confundétur
étur inimícis suis
Nisi Dóminus
rit civitátem,
igilat qui custó-
1. Sustínuit.
LMUS 129.
e pœniténti per
tum promissa.
rofúndis clamávi
te, * Dómine: *
, exáudi vocem
aures tuæ inten-
in vocem depre-
meæ.
quitátes observá-
Dómine, * Dó-
uis sustinébit?
apud te propitiá-
* & propter le-
am sustínui te,
uit ánima mea in
jus: * sperávit
ea in Dómino.
ustódia matutína
d noctem, * spé-
in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dómino.

Ant. 4. Speret.

PSALMUS 130.

Humilitas & modestia gratum Deo sacrificium.

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Ant. Speret Israël in Dómino.

Capitulum. Rom. 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundétis in spe, & virtúte Spíritûs Sancti.

HYMNUS. S. Ambrosii.

CŒLI Deus sanctíssime,
Qui lúcidum centrum poli
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.

QUARTO die qui flámmeam
Solis rotam constítuens,
Lunæ minístras órdini
Vagos recúrsus syderum.

UT nóctibus vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis & ménsium
Signum daret notíssimum.

ILLUMINA cor ómnium;
Abstérge sordes méntium;
Resólve culpæ vínculum;
Evérte moles críminum.

PRÆSTA, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem,
℟. Speret Israël in Dómino. *Psal. 129.*

Ad Magníficat.

Ant. 8. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc. 1.*

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD COMPLETOR.

Ant. 4. Consérva me.

PSALMUS 10.

Vox justi in Deo confidentis, ejusque judicia meditantis.

IN Dómino confido; quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem, sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium; * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dómi-

nus & justitias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia : justis ex adventu Christi salus exoptatur

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super filios hóminum, * ut videat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est ; * consilium inopis confudístis, quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion Salutáre Israël? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

PSALMUS 15.

Pars justorum, Deus : resurrectionis spes.

COnsérva me, Dómine, quóniam sperávi in te : * dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

tem ; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * & in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum ;* quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemadmodum sperávimus in te.

Ant. Rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide.

IN II. NOCTURNO

Ant. 4. Dóminus.

PSALMUS 60.

Carmen triumphale de Christi victoriis, & Ecclesiæ cursu.

EXúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus ; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant ; * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei : * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei qui ascéndit super occásum ; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus ; * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo ; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine ; * símiliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota est ; étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínaï, * à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ ; * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum diléċti, diléċti; * & speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros; pennæ colúmbæ deargentátæ, * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cœléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis; * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitare in eo; * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium; * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum: cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dñm Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídiè: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi; * & *Dómini Dñi éxitus mortis.*

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris:

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

Altera Divisio Psalmi 67.

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum; * príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum; * ut exclúdant eos qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes quæ bella volunt; vénient legáti ex Ægypto;* Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo; * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascéndit super cœlum cœli, * ad oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis; date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ: * benedíctus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus: Deus Israël ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. Dómine.

PSALMUS 88.

Promissiones Davidi factæ: Christum differri humilis querela.

Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti; In ætérnũ misericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo; * usque in ætérnum præparábo semen tuum:

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dis-

persísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra; * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti;

Aquilónem & mare tu creásti; * Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt:

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua.

Justítia & judícium præparátio sedis tuæ; * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

Divisio Psalmi 88.

BEátus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum:

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meã, * & testaméntum meum fidéle ipsi;

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli;

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint, * & mandáta

mea non custodíerint;

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eōrū.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Altera Divisio Psalmi 88.

SEmel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * & sicut luna perfécta in ætérnum, & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulísti & despexísti, * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui; * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus; * perfudísti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt.

exultábunt totâ die, & in justítia tua exaltabúntur.

℣. Ténebræ non obscurabúntur à te, Dómine;

℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Psal. 138.*

Pater noster, &c.

AD LAUDES.

Ant. 4. Audi.

PSALMUS. 80.

Festa piè celebranda: hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum; * psaltérium jucúndum cum cíthara:

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ:

Quia præcéptum in Israël est, * & judícium Deo Jacob:

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti; * linguam, quam non nóverat, audívit:

Divértit ab onéribus dorsum ejus; * manus ejus in cóphino serviérunt.

In *tribulatione invocásti me, & liberávi te;* * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum:

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam; * & Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum; * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me; * Israël si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei, * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle saturávit eos.

Ant. Audi, pópulus meus, & contestábor te:

ego sum Dóminus Deus tuus.

Ant. 1. Parátum.

PSALMUS 107.

Oratio Ecclesiæ, Dei auxilium adversùs impios poscentis.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & psallam in glória mea.

Exúrge, glória mea; exúrge, psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * salvum fac déxterâ tuâ, & exáudi me.

Ant. Parátum cor meũ, Deus; exúrgam dilúculo: confitébor tibi, Dómine.

Ant. 6. Dómine.

Divisio Psalmi 107.

DEus locútus est in sancto suo: * exultábo, & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

*Meus est Gálaad, & meus est Manásses, * &* Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus: * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis: in Deo faciémus virtútem.

Ant. 8. Deus.

IN FERIIS.

CANTICUM ANNÆ.

1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est

rà te : * & non eſt
ut Deus noſter.
e multiplicáre lo-
mia, gloriántes : *
t vétera de ore

Deus ſcientiárum,
us eſt, * & ipſi
ántur cogitatiónes.
s fórtium ſuperá-
, * & infirmi ac-
nt róbore.
éti priùs, pro pá-
locavérunt ; * &
ſaturáti ſunt.
ec ſtérilis péperit
s ; * & quæ mul-
ébat filios, infir-
t.
inus mortíficat, &
t ; * dedúcit ad in-
& redúcit.
inus páuperem fa-
ditat ; * humíliat
evat.
at de púlvere egé-
* & de ſtércore
páuperem ;
edeat cum princi-
* & sólium gló-
eat.
ini enim ſunt cár-
erræ, * & póſuit
os orbem.
s ſanctórum ſuó-
vábit, & impii in
s conticéſcent ; *
*on in fortitúdine
rábitur vir.*

Dóminum formidábunt adverſárii ejus ; * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium regi ſuo, * & ſublimábit cornu Chriſti ſui.

Ant. Deus ſcientiárum, Dóminus eſt, & ipſi præparántur cogitationes.

In Festis.

CANTICUM.

1. Paral. 29.

BEnedictus es, Dómine, Deus Iſraël patris noſtri * ab ætérno in ætérnum.

Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória ; * & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo ſunt & in terra, * tua ſunt :

Tuum, Dómine, regnum, * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua eſt glória : * tu dominá-ris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo, & impérium omnium.

Nunc ígitur, Deus noſter, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuũ ínclytum.

Ant. 5. Annúntiat

Dóminus.

PSALMUS 147.

Ecclesia ad laudem Dei invitatur, quòd ei abundè provisum sit.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël:

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, & judícia sua Israël: non fecit táliter omni natióni.

Capitulum. I.

VOs genus regále sace gens sancta, pó quisitiónis: ut vi nuntiétis ejus, q nebris vos vocá mirábile lumen i

℣. Declaráti num tuórum illú

℟. Et intellé párvulis. *Ps.* 118

Ad Benedícti

Ant. 3. Tu, p phéta Altíssimi v ad dandam sciér lútis plebi ejus. *I*

Preces, si dicend infrà post Comple

Oratio conveni

AD PRIM

Ant. 3. Illúm

PSALMUS

Deus in toto orb cendus.

DEus m nostri, dícat nol lúminet vultũ sui nos, & misereátu

Ut cognoscám ra viam tuam, * bus géntibus salut

Confiteántur ti li, Deus; * con tibi pópuli omne

Læténtur & gentes: quóniam

pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes, * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos, Deus, Deus noster, benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

Inanis & fugax hominum vita : ideò gratia Dei exoratur.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúsquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis; * à sæculo & usque in sæculū tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixísti : Convertímini filii hóminum.

Quóniam mille anni antè óculos tuos, * tanquàm dies hestérna quæ prætériit, & custódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat, manè flóreat & tránseat; * véspere décidat, indúret & aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * & *in furóre tuo turbáti sumus.*

*Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sæculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.*

Quóniam omnes dies nostri defecérunt; & in ira tua defécimus : * anni nostri sicut aránea meditabúntur.

Dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni : * si autem in potentátibus, octogínta anni :

Et ámpliùs eórum, * labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

Divìsio Psalmi 89.

QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos : & ópera mánuum nostrárum dírige super nos ; *& opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Illúminet Dóminus vultum suum super nos ; ut cognoscámus in terra viam tuam, Dómine. *Ps.* 66.

. *Capitulum*, ℟. *breve*, *Preces habentur infra post Completorium Sabbati.*

Oratio conveniens.

AD TERTIAM

Ant. 4. Credo.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo: æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea ; & salus mea, * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appropíant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii á Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo :* in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me :* & nunc exaltávit caput meũ super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, & psalmum dicam Dño.

Divisio Psalmi 26.

EXáudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te ; * miserére meì, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum : exquisívi te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me ; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me, * neque despícias me, Deus Salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ;* & diri-

ge me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me;* quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini* in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

PSALMUS 83.

Supremæ beatitudinis desideria.

QUàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum; * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, *in valle lacrymárum*, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deorum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus; * & réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Psal.* 26.

Capitulum. Hæb. 11.

EST fides sperandárum substántia rerum, arguméntũ non apparéntiũ.

℟. *breve.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, *Dómine*, quám abscon-

dísti timéntibus te! *Repet.* Quàm magna.

℣. Perfecísti eis qui sperant in te, *Repetitur.* Quàm magna. Glória Patri. *Repet.* Quàm magna. *Psal. 30.*

℣. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes;

℟. Sed non ut lex tua. *Psal. 118.*

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 8. Veníte.

PSALMUS. 22.

Pro beneficiis à Deo acceptis, gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Paráſti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

Soli Deo adhærendum, qui justorum defensor, malorum eversor est.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet ángelus Dó-

mini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminũ, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divites eguérunt & esuriérunt, * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Divisio Psalmi 33.

VEníte, filii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum; * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & humíles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, * & non delínquent omnes qui spérant in eo.

Ant. Veníte, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.

Capitulum Ephes. 6.

STate ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, & indúti loricam justítiæ, in ómnibus suméntes scutum fidei.

℟. *breve* Gressus meos dírige, Dómine, secúndùm elóquium tuum. *Repetitur* Gressus.

℣. Ut custódiam mandáta tua. *Repet.* Gressus. Glória Patri. *Repetitur* Gressus.

℣. Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me.

℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Psal.* 118.

Preces, si dicendæ sint habentur infra in Feri

per Annum post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD NONAM

Ant. 1. Deus virtútum.

PSALMUS 79.

Christi adventus expostulatur.

QUi regis Isräël, inténde; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, & Manásse.

Excita poténtiam tuam, & veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos, & osténde fáciem tuam, * & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra.

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris; * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos; & osténde *fáciem tuam*, * & salvi *érimus*.

Divisio Psalmi 79.

[DOmine,] víneam de Ægypto transtulísti; * ejecísti gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus; * plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus; * & arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus, * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de sylva, * & singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, & vide, & vísita víneam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, & suffóssa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te.

vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos, * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

PSALMUS 69.

Justus sibi opem precatur.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, & reveréantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Ant. Deus virtútū convérte nos; & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Capitulum Rom. 4.

CRedénti *in eum qui justíficat ímpium, reputátur fides ejus ad justítiam*, secúndùm propósitum grátiæ Dei.

℟. *brev.* Salvávit eos Dóminus, & credidérunt verbis ejus. *Repetitur* Salvávit.

℣. Et laudavérunt laudem ejus. *Repetitur* Salvávit. Glória. *Repetitur* Salvávit. *Ps.* 105.

℣. In conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

Preces si dicendæ sint, habentur infra in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 2. Quid retribuam.

PSALMUS 115.

Deus in periculis fida tutela.

CRédidi propter quòd locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino red-

dam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea; * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

Ant. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Ant. 1. Confitébor.

PSALMUS 137.

Misericordia & veritas Dei laudantur: ipse à regibus adorandus.

CONfitébor tibi Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo,

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die in-*vocávero te, exáudi me;* * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua & veritáte tua.

Ant. 7. Generátio.

PSALMUS 146.

Dei potentia, misericordia, providentia, benignitas.

EXaltábo te, Deus meus rex; * & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi; * & laudábo

nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent; * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítiâ tuâ exultábunt.

Ant. Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Ant. 4. Fidélis.

Divisio Psalmi 144.

MIserátor & miséricors Dóminus; * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur:

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuã, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum; * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt; * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuã, * & imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Ant. 8. Prope est Dñs.

Altera Divisio Psal. 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum; * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet; * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se, * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Ant. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Capitulum Rom. 10.

CORde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem; dicit enim scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

HYMNUS S. *Ambrosii*

MAGNÆ Deus poténtiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remíttis gúrgiti,
Partim levas in äëra:
DEMERSA lymphis érigens,
Subvécta cœlis írrigans;
Ut stirpe ab una pródi-ta,
Divérsa rápiant loca:
LARGIRE cunc- sérvulis,
Quos mundat unda sán-guinis;
Nescíre lapsus crímin-
Nec ferre mortis t- dium:
UT culpa nullum d- primat,
Nullum levet jactántia;
Elísa mens ne cóncidat,
Eláta mens ne córruat.
PRÆSTA, Pater pii- me,
Patríque compar Unic-
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæcu- lum.
Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam,
℟. Totâ die Salutáre tuum. *Ps.* 70.

Ad Magníficat

Ant. 7. Potens est Dóminus, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, habentur infra in Feriis per Annum post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD COMPLETOR.

Ant. 1. Salvum me fac, Dómine.

PSALMUS. II.

Justorum paucitas : Dei erga impios promissa urgentur.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus : * quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : * lábia dolósa in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt : linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt : * quis noster Dóminus est ?

Propter misériam ínopum, & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in Salutári :* fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta;* argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplùm.

Tu, Dómine, servábis nos,* & custódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndùm altitúdinem tuam multiplicásti filios hóminum.

PSALMUS. 38.

Coërcenda lingua : mundi contemptus : vitæ brevitas.

DIxi : Custódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam : * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis : * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, & in meditatióne mea exardéscet ignis :* locútus sum in lingua mea.

Notum fac mihi, Dómine finem meum, & númerum diérum meórum quis est, * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * & substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed & frustra conturbátur.

Thesáurisat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea, nonne Dóminus ? * & substántia mea apud te est.

Divisio Psalmi 38.

AB omnibus iniquitátibus meis érue me :* oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu fecísti.

Amove à me plagas tuas: * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuísti hóminem, * & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus.

Verúmtamen vanè conturbátur * omnis homo.

Exáudi oratiónem meã, Dómine, & deprecatiónem meam:* áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi ut refrígerer, priúsquam ábeam;* & ámpliùs non ero.

Ant. Salvum me fac, Dómine, quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum. *Psalm.* 11.



FERIA SEX

AD MATUTIN

Invitatorium Deu
jútor est in tribulatió
* Veníte, adorémi
45.

Psalmus Veníte

IN I. NOCTUR

Ant. 7. Contristátu

PSALMUS 51.

Impiis exitium pro

QUid glori
malítia, * e
tens es in i
táte ?

Totâ die injustíti
gitávit lingua tua;
novácula acúta fecí
lum.

Dilexísti malítiam
benignitátem : * ini
tem magis, quàm
æquitátem.

Dilexísti ómnia
præcipitatiónis, *
dolósa.

Proptéreà Deus
truet te in finem : *
let te, & emigrábit
tabernáculo tuo, &
cem tuam de terra
tium.

Vidébunt justi, &
bunt, & super eum
bunt;* & dicent: E
mo qui non pósui

adjutórem ſuum:

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum, * & præváluit in vanitáte ſua.

Ego autem ſicut olíva fructífera in domo Dei: * ſperávi in miſericórdia Dei in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Confitébor tibi in ſæculum, quia fecíſti: * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpéctu ſanctórum tuórum.

Psalmus 54.

Deum, ut ſe à fictis amicis ſervet, obteſtatur Chriſtus.

Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exáudi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea, * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me; * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me, * & *contexérunt me ténebræ.*

Et dixi: quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens, * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, * & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non deſécit de pláteis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique.

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet: * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos; * & deſcéndant in inférnum vivéntes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in

médio eórum.

Ego autem ad Deum clamavi; * & Dóminus salvábit me.

Divisio Psalmi 54.

VEsperè, & manè, & merídiè narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum; * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem s[...] bo in te, Dómine.

Ant. Contristátus [...] quóniam declinavér[...] me iniquitátes.

IN II. NOCTUR[...]

Ant. 2. Ab insu[...] tibus in me.

PSALMUS 5[...]

Zelus Ecclesiæ ad[...] impios.

ERipe me de in[...] meis, Deus m[...] & ab insurgé[...] in me líbera me.

Erípe me de ope[...] bus iniquitátem, * [...] viris sánguinum salv[...]

Quia ecce cepérun[...] mam meam: * irr[...] in me fortes.

Neque iníquitas [...] neque peccátum m[...] Dómine: * sine iniq[...] cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occ[...] meum, & vide: * [...] Dómine, Deus virt[...] Deus Israël,

Inténde ad visit[...] omnes gentes: * n[...] misereáris ómnibus qu[...] rántur iniquitátem.

Converténtur ad [...] ram, * & famem p[...] tur ut canes, & c[...] bunt civitátem.

Ecce loquéntur

ſuo, & gládius in lábiis eórum : * quóniam quis audívit?

Et tu, Domine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Diviſio Pſalmi 58.

DEus oſténdet mihi ſuper inímicos meos : * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua : * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipsórum : * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execrátióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne : * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Converténtur ad véſperam, * & famem patiéntur ut canes, & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum : * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitudinem tuam : * & exultábo manè miſericórdiam tuam.

Quia factus es ſuſcéptor meus & refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia mea.

PSALMUS 60.

Eccleſia ab inſectatoribus oppreſſa : Chriſti regnum æternum.

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum : * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à facie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula : * prótegar in velaménto álarum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam : * dedíſti hæreditatem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſ-

lætentur:* quærite Deum, & vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Ego sum pauper & dolens: salus tua, Deus, suscépit me.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua:

℟. Convérsus sum in ærúmna mea, dùm configitur spina. *Psal.* 31.

Pater noster, *&c.*

AD LAUDES.

Ant. 1. Deus.

PSALMUS 53.

Oratio justi adversùs hostes auxilium deprecantis.

Deus in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam; * áuribus p
verba oris mei;

Quóniam alièni
rexérunt advérsùm
& fortes quæsiéru
mam meam, * &
proposuérunt Deu
conspéctum suum.

Ecce enim Deus
vat me; * & Dó
suscéptor est ánima

Avérte mala i
meis; * & in verit
dispérde illos.

Voluntárié sacr
tibi; * & confitéb
mini tuo, Dómine
niam bonum est:

Quóniam ex om
bulatióne eripuísti
& super inimícos
despéxit óculus m

Ant. Deus, in r
tuo salvum me fa

Ant. 4. Tu es.

PSALMUS

Ecclesia adversùs
auxilium deprec

In te, Dómine,
vi, non confún
ætérnum; * in just
líbera me & éripe

Inclína ad me
tuam, * & salva m

Esto mihi in Deu
tectórem, & in locu
nítum, * ut salvum
cias;

Quóniam firma

meum ; * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contrà legem agéntis, & iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : de ventre matris meæ tu es protéctor meus ; * in te cantátio mea semper.

Tanquàm prodígium factus sum multis, * & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me,

Quia dixérunt inimíci mei mihi ; * & qui custodiébant ánimam meam, consilium fecérunt in unum,

Dicentes : Deus derelíquit eum ; persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me : * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur & defi- ciant detrahéntes ánimæ meæ ; * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Tu es patiéntia mea, Dómine ; spes mea à juventúte mea.

Ant. 8. Quantas.

Divisio Psalmi 70.

OS meum annuntiábit justitiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justitiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte mea ; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua ;

Et usque in senéctam & sénium : * Deus, ne derelínquas me :

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est.

Poténtiam tuam & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fecísti magnália : * Deus, quis símilis tibi ?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, & malas ? * & convérsus, vivificásti me, & de abys-

sis terræ iterùm reduxísti me.

Multiplicásti magnificéntiam tuam ; * & convérsus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus: * psallam tibi in cíthara, Sanctus Israël.

Exultábunt labia mea cùm cantávero tibi ; * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam ; * cùm confúsi & reveriti fuérint qui quærunt mala mihi.

Ant. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, & convérsus vivificásti me.

Ant. 8. Cùm irátus fúeris.

In Feriis.

CANTICUM HABACUC.

Cap. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & timui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fuéris, misericórdiæ recordáberis.

*Deus ab Austro vé*niet, * & sanctus de[...] te Pharan.

Opéruit cœlos g[...] ejus, * & laudis ejus p[...] est terra.

Splendor ejus ut [...] erit, córnua in mán[...] ejus : * ibi abscóndit[...] fortitúdo ejus.

Ante fáciem ejus [...] mors ; * & egredi[...] diábolus ante pedes [...]

Stetit & mensus est [...]ram : * aspéxit, & di[...]vit gentes ; & cor[...] sunt montes sæculi.

Incurváti sunt c[...] mundi * ab itinéribus a[...]nitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi [...]tória Æthiópiæ ; * tu[...]búntur pelles terræ [...]dian.

Nùmquid in flumín[...] irátus es, Dómine ? [...] in flumínibus furor t[...] vel in mari indign[...] tua ?

Qui ascéndes s[...] equos tuos, * & quad[...] tuæ salvátio ;

Súscitans suscitábis [...]cum tuum : * juram[...] tríbubus quæ locútus [...]

Flúvios scindes te[...] vidérunt te, & dolué[...] montes; * gurges aqua[...] tránsiit.

Dedit abyssus v[...]

suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna steterúnt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii ; * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audivi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat,

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * ut ascéndam ad pópulum accinctum nostrum.

*Ficus enim non florébit ; * & non erit germen* in víneis.

Mentiétur opus olívæ ; * & arva non áfferent cibũ.

Abscindétur de ovíli pecus ; * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea ; * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

IN FESTIS

CANTICUM

Isaïæ. 26.

URbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor, * ponétur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit : servábis pacem ; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitántes in excélso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque

oves escárum, * & in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis & obloquéntis, * à facie inimíci & persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te, * & iníquè non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum, * & declinásti sémitas nostras à via tua;

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera Divisio Psalmi 43.

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad Deum aliénum;

Nonne Deus re[illegible] ista? * ipse enim [illegible] abscóndita cordis.

Quóniam prop[illegible] mortificámur totâ [illegible] æstimáti sumus sic[illegible] occisiónis.

Exúrge, quare [illegible] mis, Dómine? * e[illegible] & ne repéllas in f[illegible]

Quare fáciem [illegible] avértis? * oblivísce[illegible] piæ nostræ & trib[illegible] nis nostræ?

Quóniam humil[illegible] in púlvere ánima n[illegible] conglutinátus est i[illegible] venter noster.

Exúrge, Dómin[illegible] juva nos; * & [illegible] nos propter nomen [illegible]

Ant. Exúrge, [illegible] obdórmis, Dómine [illegible] ge, & ne repélla[illegible] nem.

Capitulum, ℟. [illegible]

Preces, habentur in[illegible] Completorium Sab[illegible]

Oratio convenien[illegible]

AD TERTI[illegible]

Ant. 2. Circumde[illegible]

PSALMUS [illegible]

Oratio Christi: ipse [illegible] & obedientiæ ty[illegible]

EXpéctans e[illegible] vi Dóminu[illegible] inténdit mih[illegible] Et exaudivit [illegible]

meas ; * & edúxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos, * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum ; * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi, & timébunt ; * & ſperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas.

Multa fecíſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua ; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui símilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum : * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluíſti ; * aures autem perfecíſti mihi.

Holocáuſtum & pro peccáto non poſtuláſti : * tunc dixi, Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, volui, & legem tuam in médio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiam *tuam in eccléſia magna ; * ecce lábia mea* non prohibébo : Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo : * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me : * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus ;* comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei ; * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsùm, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent & læténtur

super te omnes quæréntes te ; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum & pauper : * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

Calumniatorum supplicia, bonorumque præmia Deum justum arguent.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini ; * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva : * erravérunt ab útero : locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas ;

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens:* inténdit arcum suum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur : * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priúsquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum ; * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindíctam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : compláceat tibi, Domine, ut éruas me. *Psal. 39.*

Capitulum. 2. Cor. 1.

SUpra modum graváti sumus supra virtútem ita ut tæděret nos étiam vívere. Sed ipsi nobísmet ipsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidéntes in nobis, sed in Deo qui súscitat mórtuos qui de tantis perículis nos erípuit, & éruit ; in quem sperámus quóniam & adhuc erípiet.

℟. *breve.* Multiplicáti sunt, qui odérunt me gratìs. *Repetitur.* Multiplicá-

℣. Confortáti sunt qui persecúti sunt me injústè, *Repetit.* Multiplicáti. Glória Patri. *Repetitur.* Multiplicáti. *Psal 68.*

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me :

℟. Ad defensiónem meam cónspice. *Ps. 21.*

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Ant. 5. Potum meum.

PSALMUS 101.

Oratio ad Christum, quâ post calamitates, promissa salus exoratur.

DOmine, exáudi oratiónem meã;* & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me ;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, *& áruit cor meũ ; * quia oblítus sum comédere* panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei ; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt ; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes ; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 101.

TU exúrgens miseréberis Sion, * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus ;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera Divisio Psalmi 101.

INitio tu, Dómine, terram fundásti: * & *ópera mánuum tuárum sunt cœli.*

Ipsi períbunt; * tu autem pérmanes:

Et omnes sicut vestiméntum veteráscent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur.

Tu autem idem ipse es, * & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Ant. Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ & indignatiónis tuæ, Dómine.

Capitulum. Hebr. 12.

VObis, tanquam filiis, lóquitur [Deus] dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dóminus, castígat; flagéllat autem omnem filium quem récipit. In disciplína perseveráte.

℟. *breve.* Ego, Dómine, in flagélla parátus sum. *Repetitur.* Ego.

℣. Et dolor meus in conspéctu meo semper. *Repetitur.* Ego. Glória Patri. *Repetitur.* Ego.

℣. Dómine, ante te omne desidérium meum;

℟. Et gémitus meus à te non est abscónditus. *Ps.* 37.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Ant. 6. Deus meus.

PSALMUS 21.

Christus in cruce Patrem obsecrat, ut sibi adsit.

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Divisio Psalmi 21.

[DEus meus] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me, * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meã.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

Altera Divisio Psalmi 21.

QUi timétis Dóminũ, laudáte eum: * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël ; * quóniam non sprevit neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam à me ; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabúntur ; & laudábunt Dóminum qui re eum : * vivent co rum in sæculum s

Reminiscéntur & verténtur ad Dóm univérsi fines terr

Et adorábunt i péctu ejus * univé míliæ géntium ;

Quóniam Dóm regnum, * & ipse nábitur géntium.

Manducavérunt ravérunt omnes terræ : * in conspé cadent omnes qui dunt in terram.

Et ánima mea vet ; * & semen sérviet ipsi.

Annuntiábitur I generátio ventúra annuntiábunt cœl tiam ejus pópulo c cétur, quem fec minus.

Ant. Deus meu re me. dereliquísti à salúte mea verb tórum meórum.

Capitulum. Thr

QUare in per oblivísceris derelínques nos i gitúdine diérum ? vérte nos, Dómi te, & convertém nova dies nostros princípio ; sed pr

repulisti nos, irátus es contra nos veheménter.

℟. *breve.* Usquequò, Dómine, oblivisćéris me in finem? *Repetitur.* Usquequò.

℣. Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? *Repetitur.* Usquequò Glória Patri. *Repetit.* Usquequò. *Psal.* 12.

℣. Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua:

℟. Ne oblivifcáris páuperum. *Psal.* 9.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 4. Supra dorsum.

PSALMUS 128.

Recentis Ecclesiæ prælia, & victoriæ.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea,* dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus * concidit cervíces peccatórum.

Confundántur & convertántur retrórsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum,* quod, priúsquàm evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam, qui metit; * & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: prolongavérunt iniquitátem suam.

Ant. 3. Dómine.

PSALMUS 138.

Insignis Dei in nos à puero providentia.

DOmine, probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam & funículum meũ investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti,* quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formásti me, & posuísti su-

per me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me; * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illîc es: * si descéndero in inférnum, ades:

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te; & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Ant. Dómine, probásti me, & cognovísti me.

Ant. 6. Confitébor tibi.

Divisio Psalmi 138.

Confitébor tibi, [Dómine] quia terribíliter magnificátus es; * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occúlto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres: * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos; * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognósce sémitas meas;

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via ætérna.

Ant. Confitébor tibi Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima

mea cognóſcit nimis.

Ant. 3. Cuſtódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

Si ab improbis defendi precatur Chriſtus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis: * venénũ áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in laqueum; * juxta iter ſcándalũ poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 7. Dómine, Dómine.

Diviſio Pſalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne fortè exaltèntur.

Caput circúitus eórũ; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes: in ignem dejícies eos; * in miſériis non ſubsíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, ne derelínquas me.

Capitulum. Hebr. 12.

DEponéntes omne pondus & circúmſtans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen; aſpiciéntes in auctórem fídei & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gáudio, ſuſtinuit

crucem, confusióne contémptâ.

HYMNUS. *S. Ambrosii.*

PLASMATOR hóminis Deus,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes prodúcere
Reptántis & feræ genus.

QUI magna rerum córpora
Dictu jubéntis vívida,
Ut sérviant per órdinem
Subdens dedisti hómini.

REPÉLLE à servis tuis
Quidquid per immundítiam
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.

DA gaudiórum præmia,
Da gratiárum múnera,
Dissólve litis víncula,
Astringe pacis fœdera.

PRÆSTA, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Inténde in adjutórium meum,
℟. Dómine Deus salútis meæ. *Ps. 37.*

Ad Magníficat.

Ant. 1. Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo : dispérsit supérbos mente cordis sui. *Luc.* 1.

Preces, si dicendæ sint, habentur infrà in Feriis post Completorium Sabbati.

Oratio conveniens.

AD COMPLETOR.

Ant. 2. Dómine.

PSALMUS 37.

Mala vitæ sustinenda ad veniam peccatorum obtinendam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem : * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Divisio Psalmi 37.

AMíci mei, & próximi mei * advérsùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei; * &, dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum; * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

Justus fide erectus, in Deo solatium quærit.

MIserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die, *

quóniam multi belllántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo ; * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur : * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, sicut & in promissióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm * in quacúmque die invocávero te.

Ecce cognóvi * quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum : * in Dómino laudábo sermónem.

In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, *vota tua*, * quæ reddam laudatiónes tibi ;

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu ; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Dómine Deus meus, ne discésseris à me. *Psal.* 37.

Hymnus, Capit. ℟. *br. Ant. ad* Nunc dimíttis, *Preces, si dicendæ sint, infrà post Completor. Sabbati.*

SABBATO, AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum qui reddit mercédem labóris, * Veníte, adorémus. *Sap.* 10.

Psalm. Veníte. *pag.* 7.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Beátus.

PSALMUS 40.

Diligentium Christi paupertatem beatitudo.

Beátus qui intélligit super egénum & páuperem ; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórũ ejus.

Dóminus opem ferat

r lectum doloris
univérsum stra-
; versásti in infir-
jus.
dixi : Dómine,
: meî ; * sana áni-
eam, quia peccá-

ci mei dixérunt
nihi : * Quando
r, & períbit no-
is ?
ingrediebátur ut
, vana loquebá-
cor ejus congre-
iquitátem sibi.
liebátur foràs, *
ebátur in idípsum.
rsùm me susurrá-
nes inimíci mei :*
n me cogitábant
hi.
um iníquum consʃ-
: advérsùm me ; *
l qui dormit, non
ut resúrgat ?
m homo pacis
n quo sperávi, *
bat panes meos,
ávit super me
atiónem.
utem, Dómine,
meî, & resúscita
x retribuam eis.
oc cognóvi quó-
luísti me, * quó-
on gaudébit ini-
eus super me.
tem propter in-

nocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in consʃpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum : * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

Nil contra infernum prosunt opes : justitia sola ex eo eripit.

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum : * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in ætérnum, &

vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit ſapiéntes morientes.

Simul insípiens & ſtultus períbunt, * & relínquent aliénis divítias ſuas.

Et ſepúlcra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit:* comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis; * & póſteà in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt: * mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno; * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Diviſio Pſalmi 48.

NE timúeris, cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam, cùm interíerit, non ſumet ómnia; * neque deſcéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi, cùm beneféceris ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Ant. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem, in die mala liberábit eum Dóminus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. Tu reddes.

PSALMUS 61.

Fruſtra oppugnatur qui Dei ſubjectus in ejus tutela manet.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus: * ſuſcéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos tanquam pa-

néti inclináto, & macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea: * Deus auxílii mei; & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráte in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potéstas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia; * *quia tu reddes unicuíque uxta ópera sua.*

PSALMUS 63.

Vana impiorum concilia: Evangelii predicatio.

Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt, ut abscónderent láqueos: * dixérunt, Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum; * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo; * & laudabúntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

Ad vitandum Dei judicium, humilitas colenda.

Confitébimur tibi, Deus, * confitébimur & invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem;

Quia neque ab oriénte, neque ab occidénte, * neque à desértis móntibus.

Quóniam Deus judex est: * hunc humíliat, & hunc exáltat.

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto; * & inclinávit ex hoc in hoc.

Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem anuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabúntur córnua justi.

Ant. Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera sua. *Ps.* 61.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. Cogitátio.

PSALMUS 75.

Innumera Christi in Ecclesiam beneficia.

Notus in Judæa Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum; * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecísti judícium: * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

Adversùs Ecclesiam bella: pœna persequentium.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium; * & cogitavérunt advérsùs sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente; * *& non memorétur nomen Israël ultrà.*

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * simul advérsùm te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum & Ismahelítæ:

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis; * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis sicut Mádian, & Sísaræ, * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Dispeniérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

Divisio Psalmi 82.

DEus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * & sicut flamma combúrens montes;

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia; * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant & contur-

béntur in sæculum sæculi,* & confundántur, & péreant:

Et cognóscant quia nomen tibi, Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, Dómine. *Psal.* 75.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;

℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Psal.* 144.

Pater noster, &c.

AD LAUDES.

Ant. 4. Pérfice.

PSALMUS 16.

Oratio Ecclesiæ ab hostibus exagitatæ.

EXáudi, Dómine, justítiam meam; * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: * igne me examinásti; & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum, * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveántur vestígia mea.

Ant. 7. In justítia.

Divisio Psalmi 16:

INimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine præ-

n, & supplánta
éripe ánimam
) ímpio, frámeam
inimícis manûs

ine, à paucis de
vide eos in vita
* de abscónditis
nplétus est venter

iti sunt filiis; * &
nt relíquias suas
suis.
iutem in justítia
o conspéctui tuo:*
, cùm apparúerit
ia.
In justítia appa-
nspéctui tuo: sa-
cùm apparúerit
ia.
1. Parátum.
ALMUS 56.
nimicos opem im-
Christus, postèà
ides celebraturus.
ːrére meî, Deus,
serére meî; * quó-
te confídit ánima

umbra alárum
sperábo; * donec
iníquitas.
ábo ad Deum al-
, * Deum qui
it mihi.
de cœlo, & libe-
: * dedit in op-
conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam; * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & sagíttæ: * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam; * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & psalmum dicam.

Exúrge, glória mea; exúrge, psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: * & psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tuas.

Exaltáre super cœlos, Deus; * & super omnem terram glória tua.

Ant. Parátum cor meũ,

Deus, parátum cor meũ: cantábo, & psalmum dicam.

Ant. 5. Date magnificéntiam.

In Feriis.

Canticum Moysi.

Deut. 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea: * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfécta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus: * generátio prava atque pervérsa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te.

Meménto diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi: * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat filios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum, & dócuit, * & custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expándit alas suas, & assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo Deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petrâ, * oleúmque de saxo duríssimo;

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan,

Et hircos cum medúlla trítici; * & sánguinem uvæ biberet meracíssimũ.

Incrassátus

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * & recéssit à Deo Salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquísti; * & oblítus es Dómini Creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiã concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui, & filiæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inférni novíssima;

Devorabítque terram cum gérmine suo, * & móntiũ fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala; * & sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum.

Et dícerent: Manus nostra excélsa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia: * útinam sáperent, & intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodò persequátur unus mille, * & duo fugent decem millia?

Nonne ideò quia Deus suus véndidit eos, * & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum; * & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomórrhæ.

Uva eórum, uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesáuris meis?

Mea est últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis, * & adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

*De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum.*

Surgant, & ...
tur vobis, * & in
táte vos prótegan...

Vidéte quòd ...
solus, * & non ...
Deus præter me.

Ego occídam,
vívere fáciam; pe...
& ego sanábo: *
est qui de manu me...
erúere.

Levábo ad cœl...
num meam, & di...
Vivo ego in ætern...

Si acúero ut fulg...
dium meum, * ...
púerit judícium ...
nea,

Reddam ultióne...
tibus meis, * & ...
odérunt me, retr...

Inebriábo sagítt...
sánguine, * & ...
meus devorábit ca...

De cruóre occis...
& de captivitáte, ...
inimicórum cápitis.

Laudáte, gente...
pulum ejus; * qui...
guinem servórum s...
ulciscétur:

Et vindíctam re...
in hostes eórum; * ...
pítius erit terræ ...
sui.

Ant. Date magn...
tiam, Deo nostro ...
perfécta sunt opera...

IN FESTIS
CANTICUM
Judith. 16.

INcipite Dómino in tympanis : * cantáte Dómino in cymbalis.

Modulámini illi psalmum novum : * exaltáte & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella : * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne * in multitúdine fortitúdinis suæ :

Cujus multitúdo obturávit torréntes, * & equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio,

Infántes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus fœminæ, * & confódit eum.

Ant. 4. *Laudáte Dóminum.*

PSALMUS 116.
Deus à gentibus collaudandus ob Christum exhibitum.

LAudáte Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Capitulum. Coloss. 1.

NOn cessámus pro vobis orántes, & postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia & intelléctu spiritáli, ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes, & crescéntes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secùndùm poténtiam claritátis ejus.

℣. Deduc me, Dómine, & ingrédiar in veritáte tua :

℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

Ad Benedíctus

Ant. 8. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël. *Luc.* 1.

AD PRIMAM

Ant. 7. Notam.

PSALMUS 87.

Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, opem Dei implorat.

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meã.

Quia repléta est malis ánima mea, * & vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacũ: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber:

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non est memor ámpliùs; * & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Nunquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Nunquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Nunquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi, * & manè oratio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam? * avértis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis, Dei opem deprecantis.

DOmine, exáudi oratiónem meam: * au-

ribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua; exáudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ;* quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens.

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi ; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus : in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis :* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine ; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ;* & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam : * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Diviſio Pſalmi 142.

ERipe me de inimícis *meis, Dómine ; ad te* confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam,* quóniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Notam fac mihi viam in qua ámbulem ; quia ad te levávi ánimam meam, Dómine.

Capitulum, ℟. breve & Preces habentur infra poſt Completorium, & ſic ad cæteras Horas.

Oratio conveniens.

AD TERTIAM

Ant. 6. Affférte Dómino.

PSALMUS 28.

Gentium converſio verbi Dei efficaciâ.

AFférte Dómino, fílii Dei ; * affférte Dómino fílios aríetum.

Affférte Dómino glóriam & honórem ; affférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * & confrínget Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani, * & diléctus quemádmodùm fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis, vox Dómini concutiéntis desértum: * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 44.

Carmen nuptiale: Christi & Ecclesiæ dotes.

Eructávit cor meum verbum bonum; * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis; * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulcritúdine tuâ inténde, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem & mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabiliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ; pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga diréctiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta, & cássia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam, *

& oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui :

Et concupíſcet rex decórem tuum, * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs : * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in æternum, * & in ſæculum ſæculi.

PSALMUS 149.

Chriſtus celebrandus, qui ſuis in gentes ultricem poteſtatem ſit daturus.

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum ; * & fílii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano & pſaltério pſallant ei ;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória : * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis :

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum : * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Afférte Dómino glóriam & honórem. *Pſ.* 28.

Capitulum Coloſſ. 3.

OMne quodcúmque fácitis, in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti; grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

℟. *br.* Benedícam Dóminum in omni témpore.

Repetitur Benedicam.

℣. Semper laus ejus in ore meo. *Repetitur* Benedicam. Glória Patri. *Repetitur* Benedicam. *Ps.* 33.

℣. Laudábo Dóminum in vita mea.

℟. Psallam Deo meo quándiu fúero. *Ps.* 145.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM

Ant. 1. Adjútor.

PSALMUS 45.

Ecclesia Dei præsidio inconcussa.

DEus noster, refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra,* & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ unt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suũ Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Ex Jerusalem in omnes terras delapsa salus.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exult[illegible] univérsæ terræ m[illegible] Sion, * látera aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admirá-

ti sunt : * conturbáti sunt, commóti sunt.

Tremor apprehéndit eos : * ibi dolóres ut parturiéntis.

In spíritu veheménti * cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleΔtímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : & distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi ; * ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS 86.

Laus Ecclesiæ ; Fidelium infinitus numerus.

FUndaménta ejus in *móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion* super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthiópum ; * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet : Homo, & homo natus est in ea ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum ; * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Adjútor noster Deus ; propterea non timébimus. *Ps.* 45.

Capitulum. 2. Petr. 1.

SAtágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis ; hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

℞. *brev.* Quærite Dóminum & confirmámini. *Repetitur* Quærite.

℣. Quærite fáciem ejus semper. *Repetitur* Quærite. Glória. *Repetitur* Quærite. *Ps.* 109.

℣. Accédite ad eum, & illuminámini;

℟. Et fácies vestræ non confundéntur. *Ps.* 33.

Oratio conveniens.

AD NONAM

Ant. 8. Pauper.

PSALMUS 59.

Flebilis oratio Synagogæ.

DEus, repulísti nos, & destruxísti nos:* irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram, & conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura: * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberéntur dilécti tui:* salvum fac déxterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * lætábor & partibor Síchimam, & convállem tabernaculórũ metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses; * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

PSALMUS 73.

De populi, templique calamitate questus.

UT quid, Deus, repulísti in finem, * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa: * & non cognovérunt, sicut in exitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum: * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta; * & nos non cognóscet ámplius.

Divisio Psalmi. 73.

USquequò (Deus) improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam & déxteram tuam * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster ante sǽcula * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare; * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes & torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem & ver, tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuũ.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Pauper & inops laudábunt nomen tuum, Dómine. *Ps.* 73.

Capitulum Philip. 4.

QUæcúmque sunt vera, quæcúmque púdica, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæ-

cúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℟. *brev.* Mandásti justítiam testimónia tua. *Repetitur.* Mandásti.

℣. Et veritátem tuam nimis. *Repetit.* Mandásti. Glória. *Repetitur* Mandásti.

℣. Feci judícium & justítiam:

℟. Non tradas me calumniántibus me. *Ps.* 118.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 4. Beáti omnes.

PSALMUS 127.

Futuræ præsentisque vitæ beatitudo timore Dei comparatur.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuorum, * pacem super Israël.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum; qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 1. Surge, Dómine.

PSALMUS 131.

Oratio Ecclesiæ Christum David promissum exposcentis.

MEménto, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob.

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta: * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca

ctiónis tuæ.
dótes tui induán-
iam ; * & sancti
tent.
er David servum
non avértas fá-
risti tui.
Surge, Dómine,
em tuam ; & sancti
ent.
7. Sion, réquies

sio Psalmi 131.
t Dóminus David
tem, & non fruf-
eum : * de fructu
tuis ponam super
iam.
stodíerint filii tui
itum meum : * &
ia mea hæc quæ
eos :
i eórum usque in
* sedébunt super
iam.
niam elégit Dómi-
n : * elégit eam in
onem sibi.
réquies mea in
sæculi ; * hic ha-
quóniam elégi

im ejus benedí-
ied cam : * páu-
jus saturábo pá-

dótes ejus índuam
; * *& sancti ejus*
ie exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David : * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne ; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in sæculum sæculi : sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ant. 5. Deus meus.

PSALMUS 143.

Victoria ab hostibus, Dei donum est.

BEnedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & digitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum : * suscéptor meus, & liberátor meus.

Protéctor meus ; & in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei ? * aut filius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est ; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descénde : * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem & dissipábis eos : * emitte

ſagittas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto; éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus, misericórdia mea & ſuſcéptor meus.

Ant. 6. Beátus.

Diviſio Pſalmi. 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi: * in pſaltério decachórdo pſallam tibi.

Qui das ſalútem régibus; * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno, éripe me:

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum filii ſicut novéllæ plantatiónes * in juventúte ſua.

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fœtóſæ, abundántes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ.

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in pláteis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Capitulum Tit. 2.

SAlvátor noſter Jeſus Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectatórem bonórum óperum.

HYMNUS *S. Ambroſii.*

DEus Creátor ómnium,
Políque rector, véſtiens
Diem decóro lúmine,
Noctem ſopóris grátiâ:

ARTUS ſolútos ut quies
Reddat labóris úſui,
Mentéſque feſſas állevet,
Luctúſque ſolvat ánxios.

GRATES perácto jam die,
Et noctis exórtu preces,
Votis reos ut ádjuves,
Hymnum canéntes ſólvimus.

TE cordis ima cóncinant,
Te vox canóra cóncrepet,

Te díligat castus amor,
Te mens adóret sóbria.
UT cùm profúnda cláuserit
Diem calígo nóctium,
Fides ténebras néſciat,
Et nox fide relúceat.
DORMIRE mentem ne ſinas,
Dormíre culpa nóverit,
Caſtos fides refrigeret,
Somni vapórem témperet.
EXUTA ſenſu lúbrico,
Te cordis alta sómnient:
Ne hoſtis ínvidi dolo
Pavor quiétos ſúſcitet.
CHRISTUM rogémus & Patrem,
Chriſti Patríſque Spíritum:
Unum potens per ómnia,
Fove precántes Trínitas.
Amen.

℣. Beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo;
℟. Et exaltábit manſuétos in ſalútem. *Pſ.* 149.

Ad Magnificat *Antiphona & Oratio, ut in Proprio.*

AD COMPLETOR.

Ant. 8. Miſerére meî.

PSALMUS 50.

Pœnitentis animi humiles acerbique ſenſus.

MIſerére meî, Deus, * *ſecúndùm magnam* miſericórdiam tuam.

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilèxiſti: * incerta & occúlta ſapiéntiæ tuæ maniféſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſsópo, & mundábor; * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum innova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie

tua ; * & Spíritum Sanctũ tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam Salutáris tui ; * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas ; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries ; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocáusta ; * tunc impónẽnt super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

Oratio Christi pro fide gentium.

INclina, Dómine, aurem tuam, & exáudi *me ; * quóniam* inops & *pauper sum ego.*

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meã ; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine ; * & non est secúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient & adorábunt coram te, Dómine ; * & glorificábunt nomen tuum ;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ & verax.

Réspice in me, & miserére mei: * da impérium tuum púero tuo, & salvū fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Ant. Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die.



IN FERIIS PER ANNUM

AD LAUDES

In Jejuniis cùm sit de Feria, flexis genibus dicuntur sequentes

PRECES

KYrie, eléïson. Christe, eléïson.

Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster.

Altâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meì:

℟. Sana ánimam meã, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine, úsquequò?

℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *P.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos:

℟. Quemádmodũ sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam:

℟. Et Sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

℣. Orémus pro summo Pontífice *N.*

℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis sui. *Ps.* 77.

℣. Orémus pro Pastóre nostro *N.*

℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, *Ps.* 40.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ,

℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, salvum fac Regem nostrum *N.*

℟. Et exáudi nos in díe quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ.

℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. *Ps.* 27.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem:

℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Orémus pro frátribus nostris absséntibus.

℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflíctis & captívis.

℟. Líbera, Deus, Israël ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis.

℟. Edúcat eos Dómi-

nus in lucem, & videant justitiam ejus. *Mich. 7.*

Deinde dicitur Psalmus 129. De profundis *cum* Gloria *pag. 111. In Vesperis ejus loco Psalmus 50.* Miserere *cum* Gloria *pag. 183. Finito Psalmo convenienti dicitur*

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos;

℟. Et osténde fáciem tuã, & salvi érimus. *Ps. 79.*

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos;

℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps. 43.*

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam;

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps. 101.*

Non flexis genibus

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio propria cum integra conclusione.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Et sic ad cæteras Horas.

Hic fiunt Commemorationes occurrentes cum conclusione integra post unamquamque Orationem; deinde Suffragia ut sequitur.

De Sancta Cruce.

Singulis Feriis Sextis à Feria VI. post Octavam Corporis Christi usque ad Adventum Domini fit commemoratio post Laudes de sancta Cruce, modò non occurrat Festum Duplex aut supra: cæteris verò diebus, quoties fit de Feria tantùm per

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justitiæ vivámus. 1. *Petr.* 2.

In Jejuniis tantùm

℣. Ipse rédimet Israël

℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps. 129.*

Orémus

PErpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritûs Sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

SUFFRAGIA

seu

COMMEMORATIONES COMMUNES

Fiunt tantùm in Officio Feriali & in Simplicibus.

De B. Maria V.

Omittitur Suffragium sequens cùm fit Officium de B. Maria V.

Ant. Benedicéntur in te & in sémine tuo cun-

ctæ tribus terræ. *Genes.* 28.

In Jejuniis tantùm

℣. Pópuli confitebúntur tibi in ætérnum:

℟. Mémores erunt nóminis tui. *Psal* 44.

Orémus

CONcéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

De omnibus Sanctis

Et speciatim de iis quorum corpora, aut saltem Reliquiæ habentur

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

In Jejuniis tantùm

℣. In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis;

℟. Et gloriabúntur in te, Dómine. *Psal.* 5.

In Oratione sequenti extra Ecclesiam omittitur vox [hac]

Orémus

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiéscunt, & ómnium Sanctórum mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ultimò Pro Pace

Ant. Deus qui fecit nobíscum secúndùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50.

In Jejuniis tantùm

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit;

℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

Orémus

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla. Per Christum Dóminum nostrum Jesum Christum &c.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD PRIMAM

Secretò Pater. Ave. Sancti Spiritûs. *Altâ voce* Deus in adjutórium meum inténde. Glória, *&c.*

Hymnus Jam lucis orto fydere *ut supra ad Primam de Dom.* pag. 19.

In Officio Feriali Antiphona ut in Proprio. Psalmi de Feria occurrente, cætera ut sequitur.

In Solemnibus & supra Antiphona de Proprio vel de Communi, cætera ut in Dominica.

In Duplicibus ac intra Octavas Solemnes Antiph. de Proprio vel de Communi: Psalmi de Feria occurrente, cætera ut sequitur

In Semiduplicibus & Simplicibus Antiphona de Proprio vel de Communi: Psalmi de Feria occurrente: cætera ut sequitur

Capitulum Ephes. 5.

V Idéte, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes: rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. *breve* Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* *Christe.* Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. Chríste. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Hebr.* 1.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos;

℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

In Duplicibus & supra, necnon infra Octavas Solemnes, continuò dicitur ℣. Dóminus vobíscum, *Oratio* Dómine Deus *pag.* 192. ✠

In Semiduplicibus autem, Simplicibus, Octavis non-Solemnibus & Feriis, post ℣. Exúrge *dicuntur sequentes*

PRECES

Dicuntur flexis genibus in Jejuniis quando fit de Feria.

K Yrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster.

Altâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

Secretò Credo in Deum.

Altâ voce ℣. Carnis resurrectiónem,

℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi;

℟. Et manè orátio mea

prævéniet te *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude,

℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Avérte fáciem tuam à peccátis meis;

℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus;

℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua,

℟. Et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam Salutáris tui;

℟. Et spíritu principáli confírma me. *Ps.* 50.

℣. Adjutórium nostrum &c. *ut infra.* (†)

In Jejuniis cùm fit de Feria, adduntur sequentes ℣℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo:

℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. *Eripe me de inimícis meis, Deus meus;*

℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem;

℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi,

℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me;

℟. Quia tu es Deus Salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Deus in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Reminíscere miserationum tuárum, Dómine,

℟. Et misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino;

℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino;

℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis;

℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas *Ps.* 102.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam;

℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus. *Ps.* 102.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum:

℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Ps.* 102.

(†)

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem dicens voce mediocri

CONfiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [& vobis, fratres,] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere: Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ: Ideò precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [& *vos, fratres,*] *oráre pro me ad Dóminum Deum* nostrum.

Chorus respondet

Misereátur tui omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebd. respondet Amen.

Deinde idem Chorus facit Confessionem, & ubi dictum est vobis, fratres, *&* vos fratres, *dicit* tibi, Pater, *&* te Pater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit

MIsereátur vestri omnipotens Deus: &, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Qui solus recitat, dicit Confíteor &c. *omissis illis vocibus* vobis, fratres, *&* vos, fratres; tibi, Pater, *&* te, Pater *additâ particulâ* & *ante voces* ómnibus *&* omnes.

Deinde Misereátur *dicendo* nostrî, nostris, *&* nos: *Tùm* Indulgéntiam.

Posteà Hebdomadarius elevans vocem dicit

℣. Exáudi nos, Deus, Salutáris noster,

℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostri, Dómine,

℟. Miserére nostri. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos;

℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.



℣. Dóminus vobíscum;

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte, ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. *Amen.*

℣. *Dóminus vobíscum;*

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI

Primò fit Lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur, sed statim Hebdomadarius dicit

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini

℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SAncta María, & omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secúndùm eum qui vocávit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti simus. ℟. Amen. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1.

Deinde ubi legitur Necrologium, post ejus lectionem dicitur Psalmus De profúndis *& in fine* Réquié. *cum* ℣℣℣. Requiéscant in pace. Dómine, exáudi. Dóminus vobíscum. *& Orat. ut in fine Officii Defunctorum.*

Posteà dicitur ℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum

vándum me festina.

℣. Deus, Rex pie, fortis & clemens, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína: Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster *altâ voce* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem:

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Psalm. 89.*

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum *tuórum, ut hîc* & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi, Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Posteà Lector dicit

Jube, Domne, benedícere.

Benedictio Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas.

℟. Amen. *Hebr. 8.*

Tùm fit Lectio Canonis, qui pro singulis diebus habetur suo loco, in cujus fine dicitur Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Qui privatim recitant, non dicunt Jube, Domne, benedícere *sed legunt Benedictionem & Canonem addendo in fine* Tu autem, Dómine *&c.*

Post Lectionem Canonis

℣. Adjutórium nostrũ in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps. 123.*

℣. Sit nomen Dómini benedíctum:

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. *Ps. 112.*

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave, María. Sancti Spíritûs. Deus in adjutórium *&c.*

Hymnus. Nunc Sancte *ut suprà in Dominica ad Tertiam* pag. 27.

¶ *In Officio Feriali ad Tertiam, Sextam & Nonam Psalmi, Antiphonæ, Capituli, Responsoria brevia, Versiculi, de Feria occurrente ut supra in Psalterio. In Festis Solemnibus & supra, Psalmi de Dominica: In Duplicibus & infra, de Feria occurrente. Antiphonæ verò, Capitula, Responsoria brevia & Versiculi de Proprio, vel de Communi convenienti, si non adsint in Proprio.*

PRECES.

Sequentes dicuntur flexis genibus ad Tertiam, Sextam & Nonam in Jejuniis quando fit de Feria.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster.

Altâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos;

℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érim[...] 79.

℣. Exúrge, Dó[...] ádjuva nos,

℟. Et rédime no[...] ter nomen tuum. *Ps*[...]

℣. Dómine, [...] oratiónem meam;

℟. Et clamor [...] ad te véniat. *Ps.* 10[...]

℣. Dóminus vobí[...]

℟. Et cum spíritu[...]

Oratio conveniens.

℣. Dóminus vobi[...]

℟. Et cum spíritu[...]

℣. Benedicámus [...] mino. ℟. Deo grát[...]

AD SEXTA[...]

Pater. Ave. Sancti [...] ritûs. Deus in adjutó[...]

Hymnus Rector [...] tens *ut suprà in Do*[...] *ca ad Sextam.* pag.

AD NONA[...]

Pater. Ave. Sanct[...] ritûs. Deus in adjutó[...]

Hymnus Rerum [...] *ut suprà in Domini*[...] *Nonam* pag. 33.

AD VESPER[...]

Pater. Ave. Sancti [...] ritûs. Deus in adj[...]

In Jejuniis si fi[...] *ria, dicuntur flex*[...] *Preces de Laudi*[...] *pra* pag. 186. *Deind*[...] commemorationes occ[...]

leà (Feriâ Sextâ
de Sancta Cruce,
fiunt Suffragia.
ANTA CRUCE
lis Feriis Sextis à
I. post Octavam
Christi usque ad
im fit commemora-
ancta Cruce, modò
urrat Festum Du-
supra.
Mihi absit gloriá-
in cruce Dómini
esu Christi. *Gal. 6.*
uniis tantùm. ℣. In
utáre meum,
glória mea. *Ps. 61.*
Orémus.
egem tuum, quæ-
mus, Pastor bone,
conserva, & oves
pretióso sánguine
ti, diabólicâ non
cursióne lacerári.
vis & regnas cum
tre in unitáte ejúf-
iritûs Sancti Deus,
nia sæcula sæcu-
℟. Amen.

FFRAGIA
tur tantùm in Offi-
ali & in Festis Sim-
.

BEATA MARIA.

ttitur sequens Suf-
quoties fit de B.
Virgine. In Sabba-
ùm dicitur Officium Parvum.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc. 1.*

In Jejuniis tantùm.

℣. Vultum tuum deprecabúntur

℟. Omnes dívites plebis. *Psal. 44.*

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriosâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Christum.

DE OMNIBUS SANCTIS & *speciatim de iis quorum corpora, aut saltem reliquiæ habentur.*

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in regno patris eórum. *Math* 13.

In Jejun. tantùm. ℣. Justi confitebúntur nómini tuo, Dómine;

℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139.

Orémus.

Propitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiéscunt, & ómnium Sanctórum mé-

rita gloriósa, ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Christum.

Ultimò Pro Pace.

Ant. Deus meminerit testaménti sui, & fáciat pacem; nec déserat in témpore malo. *2. Mach. 1.*

In Jejuniis tantùm.

℣. Dóminus loquétur pacem ℟. In plebem suam. *Psal. 84.*

Orémus.

DEus à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD COMPLETOR.

Secretò Pater. Ave. Sancti Spíritûs.

COnvérte nos, Deus salutáris noster;

℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Psalm. 84.*

℣. Deus in adjutórium &c.

In Solemnibus & supra Antiphona, Psalmi, Capitulum de Dominica. In Duplicibus & infra, ac si fiat de Feria, Antiphona & Pss. de Feria occurrente.

Hymnus per Annum Deus Creátor ómnium. *ut suprà ad Completorium de Dominica pag. 42.*

In omni Officio de Beata, Hymnus Virgo Dei Génitrix *ibidem.*

Capitulum. 1. Petr. 5.

SObrii estóte, & vigiláte, quia adversárius vester diábolus, tanquàm leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. In manus.

℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. In manus. Glória Patri. In manus. *Ps. 30.*

℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi:

℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps. 16.*

Ant. 6. Sive vigilémus.

Canticum Simeonis.

Luc. 2.

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndùm verbum tuum in pace;

vidérunt óculi
lutáre tuum,
parásti * ante fá-
nium populórum,
n ad revelatió-
ntium, * & gló-
bis tuæ Iſraël.
Sive vigilémus,
rmiámus, ſimul
risto vivámus. *1.*

R E C E S

ntes omittuntur in
us & ſupra, ac
avas Solemnes.
ur flexis genibus in
cùm ſit de Feria.

e, eléïſon.
Chriſte eléïſon.
eléïſon.
ò Pater noſter
voce ℣. Et ne nos
in tentatiónem;
ed líbera nos à

Credo in Deum
voce ℣. Carnis
iónem
itam ætérnam.
men.
enedíctus es, Dó-
Deus patrum noſ-

t laudábilis, &
s, & ſuperexaltá-
ecula. *Dan. 3.*
enedíctum nomen
uæ ſanctum;

℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſæculis. *Dan. 3.*

℣ Benedíctus es in firmaménto cœli;

℟. Et laudábilis, & gloriósus in ſæcula. *Dan. 3.*

℣. Benedicat nos Deus, Deus noſter;

℟. Benedícat nos Deus. *Pſalm 66.*

Hebdomadarius facit Confeſſionem voce mediocri dicens

CONfiteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [& vobis, fratres;] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere; meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptíſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [& vos, fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus dicit

Miſereátur tuì omnípotens Deus; &, dimíſſis peccátis tuis, perdúcat

te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius respondet Amen.

Deindè Chorus facit Confessionem, & ubi dictum est vobis, fratres, & vos, fratres, *dicit* tibi, Pater, & te, Pater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit

MIsereátur vestrî omnípotens Deus; & dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Qui solus recitat, semel dicit Confiteor *omissis vocibus* vobis, fratres; tibi, Pater; vos, fratres; te, Pater *additâ particulâ* & *antè voces* ómnibus & omnes.

Deindè Misereátur *semel, ad quod dicit* nostrî, nostris, nos.

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster:

℟. Spes ómnium finium terræ. *Psalm.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine:

℟. Miserére nost[...] 122.

℣. Fiat miserico[...] tua, Dómine, super [...]

℟. Quemádmodū [...] rávimus in te. *Psal.* [...]

℣. Dómine, e[...] oratiónem meam;

℟. Et clamor me[...] te véniat. *Psalm.* 10[...]

℣. Dóminus vobis[...]

℟. Et cum spíritu [...]

Orémus.

VIsita, quæsumus [...] mine, habitatio[...] nostram, & omnes [...] dias inimíci ab ea [...] repélle: Angeli tui [...] hábitent in ea, qui [...] pace custódiant, & [...] díctio tua sit super nos [...] per. Per Dóminum [...] trum Jesum Christum [...] lium tuum, Qui t[...] vivit & regnat in u[...] Spíritûs Sancti Deus [...] ómnia sæcula sæcul[...]

℟. Amen.

℣. Dóminus vobis[...]

℟. Et cum spíritu [...]

℣. Benedicámus [...] mino. ℟. Deo grát[...]

ANTIPHO[...]

DE BEAT[...]

Ad Devotionem [...]

SALVE, Regína, [...] ter misericórdiæ, dulcédo & spes n[...]

salve : Ad te clamámus éxules filii Evæ, ad te suspirámus geméntes & flentes in hac lacrymárum valle : Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte ; & Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium osténde, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María.

℣. Vultum tuum deprecabúntur

℟. Omnes dívites plebis. *Psal.* 44.

Orémus.

OMnipotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperánte, præparásti ; da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercessióne ab instántibus malis & à morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



PROPRIE



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS AUTUMNALIS.

FERIA QUARTA *Intra Hebdomadam XI. post Pentecosten.*

¶ *In Feriis per Annum omnia ut in Psalterio, exceptis quæ sunt propria unicuique Feriæ. Orat. Domin. præced. Cum sit de Feria, commem. de S. Cruce post Laud. usque ad Adventum. Benedictiones habentur ante Psalterium.*

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap. 7.*

EGo natus accépi commúnem áerem, & in similiter factam décidi terram, & primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum, & curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróïtus est ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum, in comparatióne illíus, aréna est exígua, & tanquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine

omnium Lectionum.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, ut mecum sit, & mecum labóret, ut sciam quid accéptum sit apud te; * Illa dedúcet me in opéribus meis sóbriè. ℣. Quæ desúrsum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modésta, non júdicans, sine simulatióne. * Illa dedúcet. *Sap.* 9. *Jac.* 3.

Lectio ij.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus: & lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia; & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur, quóniam ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor. In manu enim illíus & nos, & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia & disciplína.

℟. Vani sunt omnes hómines * In quibus non subest sciéntia Dei; & de his quæ vidéntur bona, non potúerunt intellígere eum qui est. ℣. Invisibília Dei per ea quæ facta sunt, intelléca conspiciúntur, ita ut sint inexcusábiles. * In quibus. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

Lectio iij.

QUæcúmque sunt abscónsa & improvísa, dídici; ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, & qui cápiat omnes spíritus, intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia; attíngit autem ubíque propter suam mundítiã. Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est

omnipoténtis Dei sincéra; & ideò nihil iniquitátum in eam incúrrit: candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine mácula Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus.

℟. Finem loquéndi páriter omnes audiámus: * Deum time, & † Mandáta ejus obsérva; hoc est enim omnis homo. ℣. Finis præcépti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ & fide non fictâ. * Deum. Glória. † Mandáta. *Eccles.* 12. 1. *Tim.* 1.

Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, qui abundántiâ pietátis tuæ & mérita súpplicum excédis & vota, effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimíttas quæ consciéntia métuit, & adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

C A N O N

Ex Concílio Aquisgranénsi.

Anno 816. *Lib.* 1. *Cap* 26.

ILle cui dispensátio verbi commíssa est, etiámsi sanctè vivat, si tamen pérditè vivéntes argúere aut erubéscat, aut métuat, c[illegible] omnibus qui, eo ta-[illegible] perierint, perit.

FERIA QUINTA

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap.* 8.

SApiéntia attíngit à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, & exquisívi à juventúte mea, & quæsívi sponsam mihi eam assúmere, & amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glórificat, contubérnium habens Dei; sed & ómnium Dóminus diléxit illam: doctrix enim est disciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum quæ sunt, magis quàm illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim & prudéntiam docet, & justítiam, & virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Dómine, ne adincréscant ignorántiæ meæ, & multiplicéntur delícta mea, & peccáta mea abúndent & incidam in conspéctu adversariórum meo-

rum. * Dómine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuscémodi Dómino nostro non sérviunt, sed per dulces sermónes & benedictiónes sedúcunt corda innocéntium. *Dómine. *Eccli.* 23. *Rom.* 16.

Lectio ij.

PRopósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud senióres júvenis: & acútus invéniar in judício, & in conspéctu poténtium admirábilis ero, & fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, & loquéntem me respícient; &, sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætéreà habébo per hanc immortalitátem, & memóriam ætérnam his qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos, & natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi: in multitúdine vidébor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam & gáudium. Hæc cógitans apud me, & commémorans in corde meo, quóniam immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honéstas sine defectióne, & in certámine loquélæ illíus sapiéntia, & præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus; circuíbam quærens, ut mihi illam assúmerem.

℟. Vanitátem & verba mendácia longè fac à me, Dómine: * Mendicitátem & divítias ne déderis mihi; tribue tantùm víctui meo, necessária. ℣. Qui volunt dívites fíeri, íncidunt in desidéria multa inutília & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum & perditiónem. * Mendicitátem. *Prov.* 30. 1. *Tim.* 6.

Lectio iij. Cap. 8. & 9.

ET ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiéntiæ scire cujus esset hoc donum: ádii Dóminum,

& deprecátus sum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine misericórdiæ, qui fecisti ómnia verbo tuo, & sapiéntiâ tuâ constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ à te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte & justítia, & in directióne cordis judícium júdicet: da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis, quóniam servus tuus sum ego, & filius ancíllæ tuæ, homo infirmus, & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & si quis erit consummátus inter filios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in nihilum computábitur.

℟. Nonne Dóminus abyssum & cor hóminum investigávit? Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam: * Non præterit illum omnis cogitátus, & † Non abscóndit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta sunt óculis ejus. * *Non præterit. Glória.* † *Non abscóndit. Eccli. 42. Hebr. 4.*

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *part.* 6. *cap.* 8.

AD Evangelizándum missi sunt Párochi. Væ ergo illis, si non Evangelizáverint. Si quis autem eórum sapiéntiâ índiget, scrutétur Scriptúras & póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter & non impróperat, & dábitur ei.

FERIA SEXTA.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap.* 13.

VAni sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem, aut spíritum, aut citátum áerem, aut gyrum stellárum, aut nímiam aquam, aut solem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt, sciant quantò his dominátor eórum speciósior est; speciéi enim generátor hæc

ómnia constítuit. Aut si virtútem, & ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi & creatúræ, cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri. ℟. Da mihi *p.* 202.

Lectio. ij.

SEd tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortásse errant, Deum quæréntes, & voléntes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus converséntur, inquírunt, & persuásum habent quóniã bona sunt quæ vidéntur. Iterum autem nec his debet ignósci. Si enim tantùm potuérunt scire, ut possent æstimáre sæculum; quómodò hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem sunt, & inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventiónem, & similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij. *Cap.* 14.

ET hæc fuit vitæ humánæ decéptio, quóniam aut afféctui, aut régibus deserviéntes hómines, incommunicábile nomen lapídibus & lignis imposuérunt. Et non suffécerat errásse eos circa Dei sciéntiam; sed & in magno vivéntes insciéntiæ bello, tot & tam magna mala pacem appéllant. Aut enim filios suos sacrificántes, aut obscúra sacrifícia faciéntes, aut insániæ plenas vigílias habéntes, neque vitam, neque núptias mundas jam custódiunt; sed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contrístat: & ómnia commísta sunt; sanguis, homicídium, furtum & fictio, corrúptio & infidélitas, turbátio & perjúrium, tumúltus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mœchiæ & impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra omnis mali causa est, & inítium & finis.

℟. Finem *pag.* 203.

Hodie & deinceps singulis Feriis Sextis usque ad Adventum, fiet commemoratio de Sancta Cruce post Laudes & Vesperas.

nisi occurrat Festum Duplex & supra, ut in Feriis per Annum.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 23.

PRima prudéntiæ virtus est, eam quam docére opórteat, existimáre persónam: rúdibus pópulis, seu carnálibus plana atque commúnia, non summa, atque árdua, prædicánda sunt, ne immensitáte doctrinæ opprimántur pótiùs quàm erudiántur.

VESPERÆ de Beata Maria nisi occurrat Festum Semiduplex & supra.

SABBATO.

Hodie & aliis Sabbatis usque ad Adventum fit Officium de Beata Maria in Sabbato, nisi occurrat Semiduplex, aut supra, vel dies intra Oct. Solemn. vel aliqua Feria privilegiata.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap.* 15.

TU, Deus noster, suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, *tui sumus, sciéntes* magnitúdinem tuam; & si non peccavérimus, scímus quóniã apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est; & scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. Non enim in erró-rem, indúxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ, labor sine fructu, effigies sculpta per vários colóres, cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam, & díligit mórtuæ imáginis effigiem sine ánima. Malórum amatóres digni sunt qui spem hábeant in tálibus, & qui fáciunt illos, & qui díligunt, & qui colunt.

Si fiat de Sabbato ℣. ℟. ℟. *sumentur è Feria quinta præcedenti* pag. 203.

Lectio. ij.

SEd & figulus mollem terram premens laboriósè fingit ad usus nostros unumquódque vas, & de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, & símiliter quæ his sunt contrária: horum autem vasórum quis sit usus, judex est figulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto; ille qui paulò ante de terra factus

fúerat, & post pusíllum redúcit se unde accéptus est, repetítus ánimæ débitum quam habébat. Sed cura est illi, non quia laboratúrus est, nec quóniam brevis illi vita est, sed concertátur aurificibus & argentáriis; sed & ærários imitátur, & glóriam præfert, quóniam res supervácuas fingit. Cinis est enim cor ejus, & terra supervácua spes illíus, & luto vílior vita ejus, quóniam ignorávit qui se finxit, & qui inspirávit illi ánimam quæ operátur, & qui insufflávit ei spíritum vitálem. Sed & æstimavérunt lusum esse vitam nostram, & conversatiónem vitæ compósitam ad lucrum, & oportére undecúmque étiam ex malo acquírere. Hic enim scit se super omnes delínquere, qui ex terræ matéria fragília vasa & sculptília fingit.

Lectio iij.

OMnes enim insipiéntes, & infelíces supra modum ánimæ supérbi, sunt inimíci pópuli tui, & imperántes illi, quóniam ómnia idóla natiónum deos æstimavérunt, quibus neque oculórum usus est ad vidéndum, neque nares ad percipiéndum spíritum, neque aures ad audiéndum, neque dígiti mánuum ad tractándum, sed & pedes eórum pigri ad ambulándum. Homo enim fecit illos; & qui spíritum mutuátus est, is finxit illos. Nemo enim sibi símilem homo póterit deum fíngere. Cùm enim sit mortális, mórtuum fingit mánibus iníquis. Mélior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortális; illi autem nunquam.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *C.* 26.

HOc dicat Sacérdos quod ex divína lectióne didícerit, non quod præsumptióne humáni sensûs invénerit. Audies, inquit Prophéta, sermónem ex ore meo, & annuntiábis eis ex me. Ex me, & non ex te verba loquéris.



DOMINICA XII.
post Pentecosten.

¶ *Quoties fit de Dominica, in toto Officio omnia ut in Psalterio, exceptis quæ sequuntur.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 3. Doctrinam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit Jesus filius Sirach: Beátus qui in istis versátur bonis. Si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit. *Eccli.* 50.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap* 1.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profúndum abyssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? *Prior ómnium creáta est* sapiéntia, & intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excélsis, & ingréssus illíus mandáta ætérna. Radix sapiéntiæ cui reveláta est? & astútias illíus quis agnóvit? Disciplina sapiéntiæ cui reveláta est & manifestáta? & multiplicatiónem ingréssûs illíus quis intelléxit? Unus est Altíssimus Creátor omnípotens, & Rex potens, & metuéndus nimis, sedens super tronum illíus, & dóminans Deus.

℟. Da mihi, Dómine *pag.* 202.

Lectio ij.

TImor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gáudium, & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, & in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne & in agnitióne magnálium suórum. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini; & cum fidélibus in vulva consecrátus est: cum eléctis fœminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. *Timor Dómini*, sciéntiæ

religiósitas. Religiósitas custódiet & justificábit cor, jucunditátem atque gáudium dabit. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illius benedicétur.

℟. Vani sunt *p.* 202.

Lectio iij.

FIli, concupíscens sapiéntiam, consérva justítiam, & Deus præbébit illam tibi. Sapiéntia enim & disciplína, timor Dómini: & quod beneplácitum est illi, fides & mansuetúdo; & adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini; & ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum, & non scandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne fortè cadas, & addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, & revélet Deus abscónsa tua, & in médio synagógæ elídat te, quóniam accessísti malígnè ad Dóminum, & cor tuum plenum est dolo & falláciâ.

℟. Finem *pag.* 203.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Morálium sancti *Gregórii Papæ.*

Lectio iv. lib. 1. cap. 25.

SUnt nonnúlli qui vitam suam négligunt, & dum transitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vel intelléćta contémnunt; nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt. Cùmque supérna quæ amisérunt, non consíderant, esse se (heu míseri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: Nequáquam ad contemplatiónem ætérnæ pátriæ, desidérii áciem tendunt; sed semetípsos in iis ad quæ projécti sunt, deseréntes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiúntur, & in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Dómine *pag.* 203.

Lectio v.

AT contra, electórum mentes, dum cuncta transitória nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt: Cùmque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsâ inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio in conditóris sui spe & contemplatióne requiéscit,

supérnis intérseri cívibus áppetit; & unusquísque eorum adhuc in mundo, córpore pósitus, mente jam extra mundum surgit; ærúmnam exílii, quam tólerat, deplórat; & ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cùm ergò dolens videt quàm sit ætérnum quod pérdidit, invénit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percúrrit; & quò magis créscit consílii sciéntia, ut peritúra déserat, eò augétur dolor quòd necdum ad mansúra pertíngat.

℟. Vanitátem *p.* 204.

Lectio vj.

INtuéndum quoque est quàm nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seipsos rerum evéntibus præcípites déserunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui solérter in vitæ consílio figit mentem, cautè sese in omni actióne circumspiciéndo consíderat: & ne ex re quæ ágitur, repentínus finis adversúsque subrípiat, hunc priùs mólliter pósito pede cogitatiónis palpat: Pensat ne ab his quæ agénda sunt, formído præpédiat; ne in his quæ differénda sunt, præcipitátio impéllat; ne prava per concupiscéntiam apérto bello súperent; ne recta pèr inánem glóriam insidiándo supplántent.

℟. Nonne *pag.* 205.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Convérsus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Oratio 6. adversùs Judæos.

IMitáre Samaritánum illum qui in Evangélio fácilem ergà vulnerátum præstitit sollicitúdinem. Etenim præterit Levíta, præterit Pharisæus, ac neuter defléctit ad jacéntem, sed incleménter crudelitérque relícto seminece, abiérunt. Sama-

ritánus autem quíspiam qui nulla ex parte ei conjúnctus erat, non prætercúrrit, sed accúrrens misértus est: Instillávit óleũ & vinum, impósuit ásino, duxit ad diversórium, pecúniam partim dedit præséntem, partim pollícitus est pro ejus qui nihil ad ipsum pertinébat curatióne, nec dixit apud se: Quæ mihi cura est istíus? Samaritánus sum, nihil mihi cum illo, procul ábsumus à civitáte, & ille ne íngredi quidem potest. Quid autem si ferre non possit viæ longitúdinem, mórtuum éfferam? Capiéndus sum ob cædem, obnóxius ero homicídio.

℟. Latrónes despoliavérunt hóminem; &, plagis impósitis, abiérunt semivívo relícto. * Sacérdos, viso illo, præterívit, simíliter & Levíta: Samaritánus autem videns eum, misericórdiâ motus est.

℣. Fácere misericórdiam & judícium magis placet Dómino, quàm víctimæ. * Sacérdos. *Luc.* 10. *Prov.* 21.

Lectio viij.

VErùm humánus ille ac mitis nihil horum métuit, sed his ómn[...] contémptis, impósuit [...] ásino, & in diversór[...] perdúxit, neque q[...] quam harum rerum s[...] tábat, non perícul[...] non pecuniárum im[...] dium, non áliud præt[...] quidquam. Quod si [...] maritánus ádeò hum[...] mitísque fuit erga h[...] nem ignótum, quam [...] bitúri sumus nos véni[...] si próprios fratres nos [...] glexérimus in gravíór[...] malis. Nam & isti inc[...] runt in prædónes: [...] ómnibus prædónibus [...] vióres; neque enim [...] tes illórum lacerárú[...] neque córpori inflixé[...] vúlnera, sed ánin[...] sauciárunt, multísque [...] néribus illis inflíctis, abiérunt, illos relinqué[...] in fóvea peccáti jacér[...] Ne ígitur prætereá[...] incleménter tam mis[...] bile spectáculum. Q[...] etiámsi álii hoc fécer[...] tu, ne féceris. Ne dí[...] apud te ipsum, ista [...] cerdótum sunt, ista [...] nachórum: Neque e[...] Samaritánus ille hæc [...] cébat: Ubi nunc sace[...] tes? Ubi nunc phari[...] Ubi Judæórum doctó[...] Sed períndè quasi v[...]

tum quémpiam máximum nactus esset, ita lucrum arripuit.

℟. Alligávit Samaritánus vúlnera ejus, infúndens óleum & vinum ; & * Impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, & curam ejus egit. ℣. Qui credit in Dómino, misericórdiam díligit : misericórdia & véritas præparant bona. * Impónens. *Luc.* 10. *Prov.* 14.

Lectio ix.

ET tu igitur cùm víderis áliquem egéntem curatióne vel córporis, vel ánimæ, ne dícito apud teípsum : Quare hic & ille eum non curavérunt ? Sed à morbo libera. Ne petas ab illis causas negligéntiæ, si invéneris aurum jacens, num dicis apud teípsum : Quare hic aut ille non sustulérunt ? Sed festínas ante álios rápere. Itidem & de frátribus collápsis cógita : Putatóque te thesáurum reperísse nimírum occasiónem illis medéndi. Etenim si instilláveris illi velut óleum sermónis doctrinã, si obligáveris mansuetúdine, si sanáveris tolerántiâ, ille te fáciet ditiórem quovis thesauro. Quid huic póterit æquiparári ? Quod neque jejúnium, neque humi peráctæ cubatiónes, neque pervigília, neque áliud quidquam potest efficere, éfficit fratris procuráta salus.

℟. Diligámus nos ínvicem, quia cáritas ex Deo est, & * Omnis qui díligit ex Deo natus est, & cognóscit Deum.

℣. Fílii sapiéntiæ, Ecclésia justórum, & nátio illórum obediéntia & diléctio. * Omnis. Glória. * Omnis. 1. *Joan.* 4. *Eccli.* 3.

Te Deum. (*Et dicitur in omnibus Dominicis usque ad Adventum.*)

Ad Benedictus

Ant. 2. Legisperítus tentans Jesum, dixit : Magister, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo ? At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? Quómodò legis ? Ille respóndens dixit : Díliges Dóminum Deum tuum. *Luc.* 10.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter serviátur, tri-

bue, quæsumus, nobis, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Rotomagénsi.

Anno 1581.

ADmonére debent Sacerdótes plebes súbditas sibi, ut pastóres vel aratóres qui in agro assíduè commorántur, vel in sylvis, & ídeò more pecúdum vivunt, in Domínicis & áliis diébus festis saltem ad Missam fáciant vel permíttant venire; nam & hos Christus pretióso sánguine suo redémit.

Ad Magníficat

Ant 7. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tua, & próximum tuum sicut teípsum: hoc fac, & vives. *Luc.* 10.

Oratio ut suprà ad Laud.



FERIA SECUNDA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 2.

FIlli, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia & timóre & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & sústine; inclína aurem tuam, & súscipe verba intelléctûs; & ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, & sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applícitum fúerit, áccipe: & in dolóre sústine, & in humilitáte tua patiéntiam habe, quóniam in igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te; & dírige viam tuam & spera in illum: serva timórem illíus, & in illo veteráſce.

℟. Da mihi Dómine, *pag.* 202.

Lectio ij.

REspícite, fílii, natiónes hóminum, & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. Quis enim permánsit

in mandátis ejus, & derelíctus est? aut quis invocávit eum, & despéxit illum? Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. Væ dúplici corde, & lábiis sceléstis, & mánibus malefaciéntibus, & peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo? & ideò non protegéntur ab eo. Væ his qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inspícere cœperit Dóminus?

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij.

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; & qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; & qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, & in conspéctu illíus sanctificábunt ánimas suas. *Qui timent Dóminum,* custódiunt mandáta illíus; & patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secúndùm enim magnitúdinem ipsíus, sic & misericórdia illíus cum ipso est.

℟. Finem *pag.* 203.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi.

Anno 1565. *Part.* 1.

PArochi síngulis Domínicis, & áliis Festis diébus, púeris sínguli in suis Paróchiis inítia fídei tradant; ac proptéreà à prándio, statâ horâ, próprio campánæ sono ad Ecclésiam convocándos curábunt.

FERIA TERTIA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 3.

QUi honórat patrem suum, vitâ vivet longióre; & qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat paréntes; & quasi dóminis sérviet his qui se genuérunt. In ópere & sermóne, & omni patiéntia

honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórũ; maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui; non enim est tibi glória, ejus confúsio: glória enim hóminis ex honóre patris sui, & dédecus fílii pater sine honóre. Fili, súscipe senéctam patris tui, & non contrístes eum in vita illíus; & si defécerit sensu, véniam da, & ne spernas eum in virtúte tua.

℟. Dómine *pag.* 203.

Lectio ij.

FIli, in mansuetúdine ópera tua pérfice, & super hóminum glóriam diligéris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris; sed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper, & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium ea quæ abscóndita sunt vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multipliciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus; plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, & in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Vanitátem *p.* 204.

Lectio iij.

COr durum habébit malè in novíssimo; & qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit succéssus, & pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, & peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ superbórum non erit sánitas; frutex enim peccáti radicábitur in illis, & non intellígetur. Cor sapiéntis intellígitur in sapiéntia; & auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abstinébit se à peccátis; & in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis; & Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam: méminit

ejus

ejus in pósterum, & in témpore casûs sui invéniet firmaméntum.

℟. Nonne *pag.* 205.

CANON

Ex Concílio Narbonénsi. *Anno* 1606. *Cap.* 32.

INvígilent Párochi super gregem, & paráti semper sint, ne per illórum negligéntiam, aut párvuli sine Baptísmo, aut adúlti sine Sacraméntis Pœniténtiæ, Communiónis & Extrémæ-Unctiónis moriántur; infírmos sæpius vísitent, & consoléntur, ac de salúte ánimæ móneant.

FERIA QUARTA

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 4.

FIli, eleemósynam páuperis ne defráudes, & óculos tuos ne transvértas à páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris, & non exásperes páuperem in inópia sua. Cor inopis ne afflíxeris, & non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias, & non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab inope *ne avértas óculos tuos propter iram; &* non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere: maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus; exáudiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito; & presbytero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declína páuperi sine tristítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & respónde illi pacífica in mansuétudine. Líbera eum qui injúriam pátitur de manu supérbi, & non ácidè feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis miséricors ut pater, & pro viro matri illórum: & eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, & miserébitur tuî magis quàm mater.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij.

FIli, consérva tempus; & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, & est confúsio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem advérsùs fáciem tuam, nec advérsùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo, nec retineas ver[bum]

in tempore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuã in decóre suo : in lingua enim sapiéntia dignóscitur ; & sensus & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti, & firmaméntum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo ; & de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij.

NOn confundáris confitéri peccáta tua, & ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro justítia agonizáre pro ánima tua, & usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua ; & inútilis, & remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evértens domésticos tuos, & ópprimens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum, & ad dandum colléctа.

℟. Finem *pag.* 203.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

Anno 1583. *Tit. de Simonia. num.* 9.

SAcerdótes qui de prétio pacíscúntur ut Missas célebrent, & Párochi qui pro Sacramentórum administratióne, vel fúnere, vel sepultúris áliquid éxigunt præter ea quæ de jure, lege, vel consuetúdine laudábili conferúntur, habeántur simoníaci ; non autem si spontè obláta recípiant.

FERIA QUINTA

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 5.

NOli atténdere ad possessiónes iníquas ; & ne díxeris : Est mihi sufficiens vita ; nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui ; & ne díxeris : Quómodò pótui ? aut quis me subjíciet propter facta mea ? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris : Peccávi, & quid mihi áccidit triste ? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et

ne dicas : Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus.

℟. Dómine *pag.* 203.

Lectio ij.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem ; súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. Noli ánxius esse in divítiis injústis ; non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam ; sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua. Esto firmus in via Dómini, & in veritáte sensûs tui, & sciéntia ; & prosequátur te verbum pacis & justítiæ.

℟. Vanitátem *p.* 204.

Lectio iij.

ESto mansuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas, & cum sapiéntia proféras respónsum verum. Si est tibi intelléctus, respónde próximo : sin autem, sit manus tua super os tuum, *ne capiáris in verbo indisciplináto, &* confundáris. Honor & glória in sermóne sensáti ; lingua verò imprudéntis subvérsio est ipsius. Non appelléris susúrro, & linguâ tuâ ne capiáris & confundáris. Super furem enim est confúsio & pœniténtia, & denotátio péssima super bilínguem : susurratóri autem ódium, & inimicítia, & contumélia. Justífica pusíllum & magnum simíliter.

℟. Nonne *pag.* 205.

CANON.

Ex Concílio Narbonénsi. *Anno* 1609. *cap.* 32.

PEr seípsos Párochi Sacraménta minístrent ; & múnera atque offícia suárum Ecclesiárum præstent ; neque ab ipsis étiam secundáriis, nisi justâ causâ deténti, ministrári permíttant.

FERIA SEXTA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 6.

VErbum dulce multíplicat amícos, & mítigat inimícos : & lingua éucharis in bono hómine abúndat. Multi pacífici sint tibi, & consiliárius sit tibi unus de mille. Si póssides amícum,

in tentatióne póssíde eum; & ne fácilè credas ei. Est enim amícus secúndùm tempus suum, & non permanébit in die tribulatiónis. Et est amícus qui convértitur ad inimicítiã: & est amícus qui ódium & rixam & convícia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, & non permanébit in die necessitátis. Amícus, si permánserit fixus, erit tibi quasi coæquális, & in doméfticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij.

AB inimícis tuis separáre, & ab amícis tuis atténde. Amícus fidélis, protéctio fortis: qui autem invénit illum, invénit thesáurum. Amíco fidéli nulla est comparátio; & non est digna ponderátio auri & argénti contra bonitátem fidei illíus. Amícus fidélis, medicaméntum vitæ & immortalitátis; & qui métuunt Dóminum, invénient illum. Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam, quóniã secúndùm illum erit amícus illíus.

℟. *Vani* sunt omnes *hómines pag.* 202.

Lectio iij. Cap. 7.

NOlí quærere à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle vidéri sápiens. Noli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes; ne fortè extiméscas fáciem poténtis, & ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immíttas in pópulum, neque álliges duplícia peccáta; nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pùsillánimis in ánimo tuo. Exoráre, & fácere eleemósynam ne despícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus; & offerénte me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet.

℟. Finem *pag.* 203.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Refor.*

CHristiána cáritas, urgens necéssitas, débita obediéntia, ac évidens Ecclésiæ vel reipúblicæ utílitas áliquos (pastóres) nonnúnquam abésse póstulant & exigunt.

Decérnit sacro-sancta Synodus has legítimæ obediéntiæ causas.

SABBATO.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 7.

NOn irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ; est enim qui humíliat & exáltat circumspéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsùs fratrem tuum: neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium; assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine Presbyterórum; & non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laboriósa ópera, & rusticatiónem creátam ab Altíssimo. Non te réputes in multitúdine indisciplinatórum. Meménto iræ quóniam non tardábit.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. *sumentur è Feria V. Hebd. XI. post Pentecost.* p. 203.

Lectio ij.

NOn lædas servum in veritáte operántem, neque mercenárium dantem ánimam suam. Servus *sensátus sit tibi diléctus* quasi ánima tua: Non defráudes illum libertáte, neque ínopem derelínquas illum. Pécora tibi sunt? atténde illis; & si sunt utília, persevérent apud te. Fílii tibi sunt? érudi illos, & curva illos à puerítia illórum. Fíliæ tibi sunt? serva corpus illárum, & non osténdas hílarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, & grande opus féceris; & hómini sensáto da íllam. Múlier si est tibi secúndùm ánimam tuam, non projícias illam; & odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, & gémitûs matris tuæ ne oblivíscáris: Meménto quóniam nisi per illos natus non fuísses; & retríbue illis, quómodò & illi tibi.

Lectio. iij.

IN tota ánima tua time Dóminum; & sacerdótes illíus sanctífica. In omni virtúte tua dírige eum qui te fecit; & minístros ejus ne derelínquas. Honóra Deum ex tota ánima tua, & honoríf́ica sacerdótes, & propúrga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum &

purgatiónis ; & de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórū tuórum , & sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, & inítia sanctórum. Et páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Grátia dati in conspéctu omnis vivéntis ; & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne, & cum lugéntibus ámbula. Non te pigeat visitáre infirmum ; ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in ætérnum non peccábis.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 23. de Refor. cap. 1.*

QUandocúmque eos (qui benefícium Ecclesiásticum curam animárum habens óbtinent) abésse contígerit, Vicárium idóneum ab Ordinário approbándum, cum débita mercédis assignatióne relínquant.



DOMINICA XIII. *post Pentecosten.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 6. Sapiéntia, & disciplína, & sciéntia legis apud Deum : diléctio, & viæ bonórum apud ipsum. *Eccli.* 11.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap. 8.*

NOn júdices contra júdicem ; quóniam secúndùm quod justum est, júdicat. Cum audáce non eas in via, ne fortè gravet mala sua in te : Ipse enim secúndùm voluntátem suam vadit, & simul cum stultítia illíus péries. Cum iracúndo non fácies rixam, & cum audáce non eas in desértum, quóniam quasi nihil est ante illum sanguis : Et ubi non est adjutórium, elídet te. Cum fátuis consílium non hábeas ; non enim póterunt dilígere nisi quæ eis placent. Coram extráneo ne fácias consilium ; nes-

cis enim quid páriet. Non omni hómini cor tuum manifèstes, ne fortè ínferat tibi grátiam falsam, & conviciétur tibi.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij. *Cap.* 10.

JUdex sápiens judicábit pópulum suum, & principátus sensáti stábilis erit. Secúndùm júdicem pópuli, sic & minístri ejus: Et qualis rector est civitátis, tales & inhabitántes in ea. Rex insipiens perdet pópulum suum, & civitátes inhabitabúntur per sensum poténtium. In manu Dei potéstas terræ, & útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, & super fáciem scribæ impónet honórem suum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ.

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij.

ODíbilis coram Deo est & homínibus supérbia; & execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentem transfértur propter injustítias, & injúrias, & *contumélias, & divérsos* dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid supérbit terra & cinis? Nihil est iníquius quàm amáre pecúniam. Hic enim & ánimam suam venálem habet, quóniam in vita sua projécit íntima sua. Omnis potentátûs brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem præcídit médicus: Sic & rex hódie est, & cras moriétur. Cùm enim moriétur homo, hæreditábit serpéntes, & béstias, & vermes. Inítium supérbiæ hóminis, apostatáre à Deo, quóniam ab eo qui fecit illum, recéssit cor ejus, quóniam inítium omnis peccáti est supérbia. Qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & subvértet eum in finem. Proptéreà exhonorávit Dóminus convéntus malórum, & destrúxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, & sedére fecit mites pro eis.

℟. Finem *pag.* 203.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 20. *in Epist.* 2. *ad Corinthios.*

Lectio iv.

NE tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem; nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim & metus est in dilatióne; salus verò certa ac secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem ígitur cole, sic enim sive júvenis hinc abscédas, tutò abscédes; sive ad senectútem pervénias, cum amplíssimis ópibus excédes; duplicémque festivitátem per omnem vitam habébis, & à vítio ábstinens, & virtútem ampléxans.

℟. Dómine *pag.* 203.

Lectio v.

NE dicas: Erit tempus quando convérti licébit; verba enim hæc Deum valde exásperant. Cur enim, cùm ipse tibi ætérna sæcula promíserit, tu in præsénti vita quæ brevis & momentánea est, laboráre non vis; sed sic ignávus ac dissolútus agis, quasi hâc breviórem áliam quamdam inquíras? Annon eædem quotidiè commessatiónes? Annon eædem mensæ? Annon éadem theátra? *Annon eædem* pecúniæ?

℟. Vanitátem *p.* 204.

Lectio vj.

INebriátus es? Ventri indulsísti? Rapuísti? Siste jam gradum, verte te in divérsum: confitére Deo grátiam, quòd non in médiis peccátis te abripúerit: ne quære áliud tibi prorogári tempus, ut malè operéris. Multi álii fraudem faciéntes abrépti sunt, & in manifésta m damnatiónem abiérunt: time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus spátium, ut in última senécta confiteréntur. Quid igitur? Numquid & tibi dabit? Fortásse dabit, inquis. Cur dicis, Fortásse? Contíngit aliquóties. Cógita quòd de ánima delíberas; & contrárium étiam pone, ac réputa, & dic: Quid autem, si non det? Quid autem si det, inquis? Dedit quidem ipse: Verúmtamen hoc illo tútius est & utílius.

℟. Nonne *pag.* 205.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 17.

IN illo témpore; Dum iret Jesus in Jerúsalem,

transíbat per médiam Samaríam & Galilæam: & cùm ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri lepróʃi. Et réliqua.

Homília ʃancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 27. de Diverʃ. contra vitium ingratitudinis.

NOnne decem mundáti ʃunt? Et novem ubi ʃunt? Meminíʃtis, credo, verba Salvatóris hæc eʃʃe, novem illórum ingratitúdinem arguéntis. Bene síquidem oráʃʃe, obsecráʃʃe, poʃtuláʃʃe legúntur, qui levavérunt vocem, dicéntes: Jeʃu fili David, miʃerére nobis. Sed défuit eis quarta, quam adjécit, Apóʃtolus, gratiárum áctio, quóniam non rediérunt, nec egérunt grátias Deo. Multos quoque vidémus uʃque hódie ʃatis importúnè peténtes quod ʃibi deéʃʃe cognóverint; ʃed paucos ádmodùm nóvimus, qui dignas ʃuper accéptis beneficiis grátias ágere videántur. Nec reprehensíbile eʃt quod inʃtánter pétimus; ʃed planè petitióni negat effectum, quòd invenímur ingráti. Et fortè hoc étiam cleméntiæ eʃʃe vidétur, ingrátis negáre quod póʃtulant; ne contingat nobis, ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis beneficiis ingráti probábimur extitíʃʃe. Ergo miʃericórdiæ res eʃt in hac parte ʃubtráhere miʃericórdiam, quemádmodùm iræ & indignatiónis miʃericórdiam exhibére.

℟. Dum irent lepróʃi, mundáti ʃunt: * Unus autem regréʃʃus eʃt cum magna voce magníficans Deum, & cécidit in fáciem ante pedes Jeʃu, gratias agens; & hic erat Samaritánus.

℣. Oblíti ʃunt benefactórum Dei & mirabílium ejus. * Unus autem. *Luc.* 17. *Pʃal.* 77.

Lectio viij.

QUàm multos enim vidémus & plángimus, fratres, non conʃiderántes quemádmodùm ingratitúdinis vermis interióra corródens, ob hoc tantùm córticem, quem vident, transforáre diʃsímulet, ne fortè recógitent & erubéʃcant, ipsâque verecúndiâ emendéntur! Vides ergo non ómnibus prodéʃʃe, quòd à lepra ʃeculáris converʃatiónis,

cujus peccáta maniféſta ſunt, emundántur; ſed nonnúllis pejus in occúlto ingratitúdinis ulcus oríri, quod tantò periculóſius ſit quantò intérius. Et bene Salvátor hinc in Evangélio novem illos, ubi ſunt quærit, quóniam longè à peccatóribus ſalus. Sic enim & primum hóminem poſt peccátum ubi ſit intérrogat, & in judício neſcíre ſeſe profitébitur operários iniquitátis, cùm legámus in Pſalmo: Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, & iter impiórum períbit.

℟. Opórtet prævenire ſolem ad benedictiónem tuam, Dómine, & ad ortum lucis te adoráre: * Ingráti enim ſpes tanquam hybernális glácies tabéſcet, & diſpériet tanquam aqua ſupervácua. ℣. Grátias ágere debémus ſemper Deo, ita ut dignum eſt. * Ingráti. *Sap.* 16. 2. *Theſſ.* 1.

Lectio ix.

FElix autem Samaritánus ille, qui cognóvit ſe nihil habére quod non accepíſſet: Et idcírco ſervávit depóſitum, & cum gratiárum actióne ad *Dóminum eſt* revérſus. Felix, qui ad ſingula dona grátiæ redit ad eum, in quo eſt plenitúdo ómnium gratiárum; cui dum nos pro accéptis non ingrátos exhibémus, locum in nobis fácimus grátiæ, ut majóra adhuc accípere mereámur. Omníno enim ſola nos à proféctu converſatiónis ímpedit ingratitúdo noſtra, dum quodam modo amíſſum réputans dator quod ingrátus accépit, cavet ſibi de cætero ne tantò plura amítteret, quantò plura conférret ingráto. Felix proínde, qui ſe alienígenam réputans, étiam pro mínimis quibúſque benefíciis non mínimas refert grates, gratúitum eſſe non dúbitans neque diſſímulans, quod aliéno impénditur & ignóto.

℟. Bénedic ánima mea, Dómino, & * Noli oblivíſci omnes retributiónes ejus, † Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, qui ſanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Dedit ſemetípſum pro nobis ut nos redímeret ab omni iniquitáte & mundáret pópulum acceptábilem. * Noli. Glória. † Qui. *Pſal.* 102. Tit. 2.

Ad Benedictus

Ant. 1. Dixit Jesus: Nonne decem mundáti sunt? & novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. *Luc.* 17.

Oratio.

OMnipotens, sempitérne Deus, da nobis fidei, spei & caritátis augméntum, & ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per.

CANON.

Ex Concílio Turonénsi. *Anno* 1583. *Tit.* 11.

CUm juxta divi Pauli præcéptum, qui Christi sunt, sobrietátem semper sectári débeant: Diébus Domínicis præsértim & áliis Festis commessatiónes, convívia pública, tripúdia, saltatiónes, strépitus & chóreas fieri; venátu & aucupátu tempus térere, in hospítiis seu caupónis, áliis quàm peregrinis cibária & vinum ministrári, ludos palmários & álios, máximè dum sacra conficiúntur laudésque Deo decantántur, aperíri, comœdias, ludos scénicos vel *theatráles & ália ejus* géneris irreligiósa spectácula agi sub anathématis pœna próhibet hæc Synodus.

Ad Magníficat

Ant. 5. Ait Samaritáno Jesus: Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. *Luc.* 17.

Oratio ut supra ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 11.

IN vestítu ne gloriéris unquam, nec in die honóris tui extolláris, quóniam mirabília ópera Altíssimi solíus, & gloriósa, & abscónsa, & invísa ópera illíus. Multi tyranni sedérunt in trono, & insuspicábilis portávit diadéma. Multi poténtes oppréssi sunt válidè, & gloriósi tráditi sunt in manus alterórum. Priúsquàm intérroges, ne vitúperes quemquam; & cum interrogáveris, córripe justè. Priúsquàm áudias, ne respóndeas verbum; & in médio sermónum ne adjícias loqui. De ea re quæ te non moléstat, ne certéris; & in judício peccántium ne consístas. Fili, ne in multis sint actus tui;

& si dives fúeris, non eris immúnis à delícto.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij. *Cap.* 13.

QUi tetígerit picem, inquinábitur ab ea; & qui communicáverit supérbo, induet supérbiã. Pondus super se tollet, qui honestióri se commúnicat. Et ditióri te ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? Quando enim se collíserint, confringétur. Dives injústè egit, & fremet; pauper autem læsus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te: & si non habúeris derelínquet te. Si habes, convívet tecum, & evacuábit te, & ipse non dolébit super te. Si necessárius illi fúeris, supplantábit te: & subrídens spem dabit narrans tibi bona, & dicet, Quid opus est tibi?

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij.

ADvocátus à potentióre, discéde; ex hoc enim magis te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris; & ne longè sis ab eo, ne eas in obliviónem. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo, nec credas *multis verbis illíus*; ex multa enim loquéla tentábit te, & subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua, & non parcet de malítia & de vínculis. Cave tibi, & atténde diligénter audítui tuo, quóniam cum subversióne tua ámbulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilábis. Omni vitâ tuâ dílige Deũ, & ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi; sic & omnis homo próximum sibi.

℟. Finem *pag.* 203.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi tértio Œcuménico.

Anno 1179. *cap.* 8.

NUlla Ecclesiástica ministéria, seu étiam benefícia, vel Ecclésiæ alícui tribuántur seu promittántur ántequam vacent, ne desideráre quis mortem próximi videátur, in cujus locum & benefícium se credíderit successúrum.



FERIA TERTIA.

De Libro Ecceſiáſtici.

Lectio j. *Cap.* 13.

VEnátio leónis, ónager in erémo; ſic & páſcua dívitum ſunt páuperes. Et ſicut abominátio eſt ſupérbo humílitas, ſic & execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis ſuis; húmilis autem, cùm cecíderit, expellétur & à notis. Díviti decépto multi recuperatóres: locútus eſt ſupérba, & juſtificavérunt illum. Húmilis decéptus eſt, ínſuper & argúitur: locútus eſt ſenſátè, & non eſt datus ei locus. Dives locútus eſt, & omnes tacuérunt, & verbum illíus uſque ad nubes perdúcent. Pauper locútus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offénderit, ſubvértent illum. Bona eſt ſubſtántia, cui non eſt peccátum in conſciéntia, & nequíſſima paupértas in ore ímpii.

℞. Dómine *pag.* 203.

Lectio ij. *Cap.* 14.

BEátus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulátus in triſtítia delícti. Felix qui non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non éxcidit à ſpe ſua. Viro cúpido & tenáci ſine ratióne eſt ſubſtántia; & hómini lívido ad quid aurum? Qui acérvat ex ánimo ſuo injúſtè, áliis cóngregat, & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui ſibi nequam eſt, cui álii bonus erit? & non jucundábitur in bonis ſuis. Qui ſibi ínvidet, nihil eſt illo néquius, & hæc reddítio eſt malítiæ illíus; &, ſi bene fécerit, ignoránter & non volens facit; & in novíſſimo maniféſtat malítiã ſuã.

℞. Vanitátem *p.* 204.

Lectio iij.

INſatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis; non ſatiábitur, donec conſúmat arefáciens ánimam ſuam. Oculus malus ad mala, & non ſatiábitur pane; ſed índigens & in triſtítia erit ſuper menſam ſuam. Fili, ſi habes, bénefac tecum, & Deo dignas oblatiónes offer. Memor eſto quóniam mors non tardat, & teſtaméntum inferórũ, quia demonſtrátum eſt tibi; teſtaméntum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, & ſecúndùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris

à díe bono, & particula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres, & labóres tuos in divisióne sortis? Da & áccipe, & justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam; quóniam non est apud ínferos inveníre cibum.

℟. Nonne *pag.* 205.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seff.* 24. *cap.* 1. *de Ref.*

SAncta Synodus, omnes & síngulos, qui ad promotiónem præficiendórum quodcúmque jus .... habent, ... hortátur & monet ut imprímìs memínerint nihil se ad Dei glóriam & populórum salútem utílius posse fácere, quàm si bonos pastóres, & Ecclésiæ gubernándæ idóneos promovéri stúdeant.

FERIA QUARTA

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 20. *&* 21.

XEnia & dona excæcant óculos júdicum & quasi mutus in ore avértit correptiónes eórum. Sapiéntia abscónsa, & thesáurus invísus; quæ utílitas in utrísque? Mélior est qui celat insipiéntiam suam, quàm homo qui abscóndit sapiéntiam suam. Fili, peccásti? non adjícias íterum; sed & de prístinis deprecáre, ut tibi dimittántur. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: & si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus interficiéntes ánimas hóminum. Quasi rhomphæa bis acúta omnis iníquitas; plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio & injúriæ annullábunt substántiam: & domus quæ nimis lócuplex est, annullábitur supérbiâ; sic substántia supérbi eradicábitur.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij. Cap. 25.

IN tribus plácitum est spirítui meo, quæ sunt probáta coram Deo & homínibus: concórdia fratrum, & amor proximórum, & vir & múlier bene sibi consentiéntes. Tres spécies odívit ánima mea, & ággravor valde ánimæ illorum; páuperem supérbum, dívitem mendácem, senem fátuum & insensátum. Quæ in juventúte tua non congregásti, quómodò in senectúte tua invénies? Quàm speciósum canítiéi judícium, & pres-

byteris cognóscere consílium! Quàm speciósa veteránis sapiéntia, & gloriósis intelléctus & consílium! Coróna senum, multa perítia, & glória illórum timor Dei.

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij. *Cap.* 28.

QUi vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam; & peccáta illíus servans servábit. Relinque próximo tuo nocénti te; & tunc deprecánti tibi peccáta solvéntur. Homo hómini resérvat iram, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & de peccátis suis deprecátur? ipse, cùm caro sit, resérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? Quis exorábit pro delíctis illíus? Meménto novissimórum, & désine inimicári: tabitúdo enim & mors imminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, & non irascáris próximo. Memoráre testaméntum Altíssimi, & déspice ignorántiam próximi. Abstine te à lite, & minues peccáta.

℟. Finem *pag.* 203.

CANON.

Ex Concílio Albiénsi. Anno 1254. *cap.* 56. *de Collat. Benef.*

CUm in collatióne Bonórum ecclesiasticórũ habéri débeat principáliter ante óculos solus Deus; distríctè præcípimus & mandámus ut ómnia Ecclesiástica bona persónis idóneis, & statúto à Canónibus témpore conferántur.

FERIA QUINTA

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 31.

INtéllige quæ sunt próximi tui ex te ipso: útere quasi homo frugi his quæ tibi apponúntur, ne, cùm mandúcas multùm, ódio habeáris. Cessa prior causâ disciplínæ, & noli nímius esse, ne fortè offéndas. Et si in médio multórum sedísti, prior illis ne exténdas manum tuam, nec prior poscas bíbere. Quàm sufficiens est hómini erudíto vinum exíguum! & in dormiéndo non laborábis ab illo, & non sénties dolórem. Vigília, chólera & tortúra viro infrunito: somnus sanitátis in hómine parco; dórmiet usque manè, &

ánima illíus cum ipso delectábitur.

℟. Dómine *pag.* 203.

Lectio ij.

AUdi me, fili, & ne spernas me; & in novíssimo invénies verba mea. In ómnibus opéribus tuis esto velox, & omnis infírmitas non occúrret tibi. Spléndidum in pánibus benedícent lábia multórum, & testimónium veritátis illíus fidéle. Nequíssimo in pane murmurábit cívitas, & testimónium nequítiæ illíus verum est. Diligéntes in vino noli provocáre; multos enim extermínávit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus vinum in sobrietáte: si bibas illud moderátè, eris sóbrius. Quæ vita est ei qui minúitur vino? Quid defráudat vitam? Mors.

℟. Vanitátem *p.* 204.

Lectio iij.

VInum in jucunditátem creátum est, & non in ebrietátem, ab inítio. Exultátio ánimæ & cordis vinum moderátè potátum. Sánitas est ánimæ & córpori sóbrius potus. Vinum multum potátum irritatiónem, & iram, & ruínas multas facit. Amaritúdo animæ vinum multum potátum. Ebrietátis animósitas, imprudéntis offénsio, minórans virtútem & fáciens vúlnera. In convívio vini non árguas próximum, & non despícias eum in jucunditáte illíus: verba impropérii non dicas illi, & non premas illum in repeténdo.

℟. Nonne *pag.* 205.

C A N O N.

Ex Concílio Auscitáno.

Anno 1300. *cap.* 4.

SI quis Benefícium cui cura ímminet animárum vi occupáverit, seu sciénter intrúserit in eódem; ipso jure privátus exístat benefício, quod cura símili prímitùs obtinébat.

FERIA SEXTA

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 32.

AUdi tacens, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléscens, lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput respónsum tuum. In multis esto quasi ínscius,

& audi tacens simul, & quærens. In médio magnatórum non præsúmas; & ubi sunt senes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio, & ante verecúndiam præíbit grátia; & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et horâ surgéndi non te trices: præcúrre autem prior in domum tuam, & illic avocáre, & illic lude, & age conceptiónes tuas, & non in delíctis & verbo supérbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Da mihi *pag.* 202.

Lectio ij. Cap. 32. & 33.

FIlli, sine consílio nihil fácias, & post factum non pœnitébis. In via ruínæ non eas, & non offéndes in lápides; nec credas te viæ laborióſæ, ne ponas ánimæ tuæ scándalum: & à fíliis tuis cave, & à doméſticis tuis atténde. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ: hoc est enim conservátio mandatórum. Qui credit Deo, atténdit mandátis, & qui confidit in illo non minorábitur. *Timénti Dómi*num non occúrrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, & liberábit à malis. Sápiens non odit mandáta & justítias, & non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. Vani sunt *pag.* 202.

Lectio iij. Cap. 34.

QUi offert sacrifícium ex substántia páuperum, quasi qui víctimat fílium in conspéctu patris sui. Panis egéntium, vita páuperum est: qui defráudat illum, homo sánguinis est. Qui aufert in sudóre panem, quasi qui occídit próximum suum. Qui effúndit sánguinem, & qui fraudem facit mercenário, fratres sunt. Unus ædíficans, & unus déstruens; quid prodest illis nisi labor? Unus orans & unus maledícens; cujus vocem exáudiet Deus? Qui baptizátur à mórtuo, & íterum tangit eum, quid próficit lavátio illíus? Sic homo qui jejúnat in peccátis suis, & íterum éadem fáciens, quid próficit humiliándo se? Oratiónem illíus quis exáudiet?

℟. Finem loquéndi pag. 203.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi secúndo Œcuménico.

Anno 1139. *Can.* 16. & *Remensi An.* 1119. *c.* 4.

INdubitátum est quóniam honóres Ecclesiástici, sánguinis non sunt sed mériti: & ecclésia Dei non hæreditário jure áliquem neque secúndùm carnem successóre expéctat; sed ad sua regímina & officiórum suórum dispensatiónes honéstas, sapiéntes & religiósas persónas expóscit. Nullus omnínò de clero ecclesiásticas dignitátes vel beneficia quasi hæreditário jure derelínquat.

SABBATO.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 37.

CUm viro sancto assíduus esto, quemcúmque cognóveris observántem timórem Dei, cujus ánima est secúndùm ánimam tuam; & qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii státue tecum: non est enim tibi áliud plúris illo. Anima viri sancti enúntiat aliquándo vera, quàm septem circumspectóres sedéntes in excélso ad speculándum. Et in his ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile. Verbum nequam immutábit cor, ex quo partes quátuor oriúntur, bonum & malum, vita & mors; & dominátrix illórum est assídua lingua. Est vir astútus multórum erudítor, & ánimæ suæ inútilis est. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ suæ suávis est. Qui sophísticè lóquitur, odíbilis est: in omni re defraudábitur.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è Feria V. Hebd. XI. post Pentecost.* p. 203.

Lectio ij. *Cap.* 41.

O Mors, quàm amára est memória tua hómini pacem habénti in substántiis suis, viro quiéto & cujus viæ rectæ sunt in ómnibus, & adhuc valénti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigénti, & qui minorátur víribus, defécto ætáte, & cui de ómnibus cura est, & incredíbili, qui perdit patiéntiam! Noli metúere judícium mor-

tis. Meménto quæ ante te fuérunt, & quæ superventúra sunt tibi: hoc judícium à Dómino omni carni. Et quid supervéniet tibi in beneplácito Altíssimi? sive decem, sive centum, sive mille anni: non est enim in inférno accusátio vitæ.

Lectio iij.

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquístis legem Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini: Et si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt in terram converténtur; sic ímpii à maledícto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipsórum: nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine; hoc enim magis permanébit tibi, quàm mille thesáuri pretiósi & magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Disciplínam in pace conserváte, filii.

CANON.

Ex Concílio Bituricénsi. *Anno* 1584. *Tit.* 41. *de Simoniacis. Can.* 2.

BEneficia prétio obtenta, & in *confidéntiam seu custódiam, occúltè aut* apértè trádita ipso jure vacent: qui percípiunt eórum fructus, suos non fáciant, sed ad restitutiónem teneántur.

DOMINICA XIV.
post Pentecosten.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 3. Ezéchiel vidit conspéctum glóriæ, quam osténdit illi Deus in curru Chérubim. *Eccli.* 49.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cœli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem filium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secùs flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus *túrbinis* veniébat ab Aquilóne: & nubes magna,

& ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus, & de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis.

℟. Fili hóminis, vade ad domum Israël, & loquéris verba mea ad eos. Domus autem Israël attríta fronte est & duro corde. * Ecce dedi fáciem tuam valentiórem fáciébus eórum, & frontem tuam duriórem fróntibus eórum. ℣. Ex his sunt qui resístunt veritáti, corrúpti mente, réprobi circa fidem, sed ultra non profícient. * Ecce dedi. *Ezech.* 3. 2. *Tim.* 3.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium, & hic aspéctus eórum similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti; & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum; non revertebántur, cùm incederent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Ecce, dicit Dóminus Deus, erit manus mea super prophétas, qui vident vana & divínant mendácium. * In consílio pópuli mei non erunt, eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax; & non est pax. ℣. Fuérunt pseudoprophétæ in pópulo, sicut & in vobis erunt magístri mendáces. * In consílio. *Ezech.* 13. *Petr.* 2.

Lectio iij.

SImilitúdo autem vultûs eórum, fácies hóminis, & fácies leónis à dextris ipsórum quátuor, fácies autem bovis à siníſtris ipsórum quátuor, & fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, & pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, & duæ tegébant córpora eórum; & unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur, cùm ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium,

aspéctus lampa-

vo ego, dicit Dó-
'eus: * Vir si fúerit
ad usúram non
láverit, & ám-
n accéperit, † Hic
st, vitâ vivet.
útuum date, nihil
erántes, & erit
vestra multa.* Vir
ia. † Hic justus.
8. *Luc.* 6.

NOCTURNO

o undécimo Com-
iórum sancti Hie-
i Presbyteri in
élem Prophétam.
iv. In cap. 37
is est sermo Dó-
ad me dicens: Et
hóminis, sume tibi
unum, & scribe
ud: Judæ & filió-
iël sociórum ejus;
lignum álterum,
: super illud: Jo-
ignum Ephraïm,
is domus Israël
ique ejus. Et ad-
a unum ad álterum
gnum unum. Præ-
phetía hæc ex ore
pollicétur quòd
ie sibi jungátur im-
hoc est, regnum
regnum Israël;
e virga Ephraïm
qui de Joseph stirpe generátus est cum reliquis tríbubus quæ sociátæ sunt, & jungátur virgæ Juda, ut nequáquàm vocétur Juda & Israël, sed uno nómine appelléntur Juda: & sub figúra prophétæ qui præcédit in typo Dómini Salvatóris, nequáquàm duábus mánibus, sed unâ Christi teneántur manu. Dicit enim se assúmere fílios Israël de médio natiónum ad quas captívi ducti sunt, & reductúrum eos in terram, & in montes Israël, & appellándam unam gentem, uniúsque regis regéndam império, ut ultra non polluántur in idólis, & abominatiónibus suis; sed cùm fúerint de captivitátis sédibus liberáti in quibus peccavérunt, ómnibus vítiis esse mundándos, & futúros pópulum Dei, ita ut Dóminus sit Deus eórum.

℟. Suscitábo super oves meas pastórem unum qui pascat eas, servum meum David: * Ipse erit eis in pastórem; ego autem Dóminus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in médio eórum.

℣. Páscite qui in vobis est gregem Dei; & cùm

apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónã. ℣. Ipse. *Ezech.* 34. *Petr.* 5.

Lectio v.

ET servus, inquit, meus David rex super eos. De quo & ángelus lóquitur in Evangélio, quòd regnatúrus sit super domum Jacob, & regni ejus non sit finis: tantæque erit cleméntiæ, ut non solùm rex, sed & pastor appellétur, eò quòd supérbum nomen impérii, pastóris vocábulo mítiget. Qui postquàm fúerint in gentem unam, & in terra Israël, ac móntibus habitáverint, ambulatúri sint in ómnibus judíciis Dómini, & præcépta illíus custoditúri: habitatúri autem non in ália terra, sed in ea quam dedit servo suo Jacob; in qua habitavérunt patres eórum Abraham, Isaac & Jacob, & réliqui sancti: & non solùm ipsi habitatúri sint, sed & filii eórum ac nepótes; habiténtque non ad breve tempus, sed in perpétuum. Vultis autem scire quis sit iste rex & pastor? Ipse est de quo supra dixi, Servus meus David. Qui cùm in forma Dei esset, non est rapínam arbitrátus esse se æquálem Deo: sed se exinanívit, formam servi accípiens, & factus est obédiens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Cùmque sub tali rege fúerint, percútiam illis fœdus pacis: nequáquàm ut in véteri testaménto, certáminum atque bellórum, sed pactum pacis quæ exsúperat omnem sensum, de qua Salvátor lóquitur ad Apóstolos: Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis. Et Prophéta dicit: Factus est in pace locus ejus.

℟. Liberábo oves meas de ómnibus locis in quibus dispérsæ fúerant in die nubis & calíginis, & indúcam eas in terram suam: * In páscuis ubérrimis pascam eas. ℣. Per me si quis introíerit, salvábitur, & páscua invéniet. Ego veni ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant. * In páscuis. *Ezech.* 34. *Joan.* 10.

Lectio vj.

QUos cùm in Ecclésia fundáverit & stabilíerit, tunc multiplicabúntur vel credéntium número, vel multiplicatióne virtútum. Et dabo, inquit, sanctificatiónem meam,

ctuárium in médio
n perpétuũ : quod
e templo interpre-
quod sub Zoróba-
rúctum est. Sed
lò stare póterit
d dícitur, in per-
; cùm templum il-
d à Zoróbabel ex-
est, & pósteà à
nstaurátum, ro-
gne succénsum sit?
mnia referénda sunt
ésiã & ad témpora
ris, quando taber-
a ejus pósitum est
ésia, ubi factus est
oster, & nos pó-
pus. Verè enim in
Dómini Salvató-
virgæ & duo lig-
anum júncta sunt
n; & in baptísma-
cti dudum separáta
ur, ut fiant in unum
hóminem & in
entem, neque pol-
ultra in idólis &
atiónibus; sed mun-
cro sint pópulus
ímperet eis Chris-

Congregábo filios
& non erunt ultra
ntes, neque pol-
in idólis suis; &
mihi pópulus; * Et
r unus erit ómnium
℣. *Alias oves há*beo, quæ non sunt ex hoc ovíli : illas opórtet me addúcere, & fiet unum ovíle. * Et pastor. Glória Patri. † Pastor. *Ezech.* 37. *Joan.* 10.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus Discípulis suis : Nemo potest duóbus Dóminis servíre. Aut enim unũ ódio habébit, & álterum díliget; aut unum sustinébit & álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre & mammónæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *de Serm. Domini in Monte. Cap.* 14.

NEmo potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens; Aut enim unum ódio habébit, & álterum díliget : aut álterum patiétur, & álterum contémnet. Quæ verba diligénter consideránda sunt; nam qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cùm dicit : Non potéstis Deo servíre & mammónæ. Mammóna

apud Hebræos divitiæ appellári dicúntur. Cóngruit & Púnicum nomen; nam lucrum Púnicè mammon dícitur.

℟. Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini? * Nonne ánima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestiméntum? ℣. Quadragínta annis in desérto nihil pátribus défuit; vestiménta eórum non inveteráverunt. * Nonne ánima. *Matth.* 6. 2. *Esdr.* 9.

Lectio viij. *Cap.* 16.

NOlíte ergo sollíciti esse dicéntes: Quid edémus, aut quid bibémus, aut quid vestiémur? Hic manifestíssimè osténdit non hæc esse appeténda tanquam tália bona nostra ut propter ipsa debeámus bene fácere, si quid fácimus; sed tamen esse necessária. Quid enim intérsit inter bonum quod appeténdum est, & necessárium quod suméndum est, hâc senténtiâ declarávit, cùm ait: Quærite primùm regnum Dei & justítiam ejus, & hæc ómnia apponéntur vobis. Regnum ergo & justítia Dei bonum nostrum est: & hoc appeténdum, & ibi finis constituéndus, propter quod ómnia faciámus quæcúmque fácimus.

℟. Respícite volatília cœli: non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: & pater vester cœléstis pascit illa. * Nonne vos magis pluris estis illis? ℣. Dat juméntis escam ipsórum, & pullis corvórum invocántibus eum. * Nonne. *Matth.* 6. *Ps.* 146.

Lectio ix.

SEd quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre possímus, quæ vita sine his necessáriis agi non potest: Apponéntur vobis hæc, inquit; sed vos regnum Dei & justítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud, Primùm, significávit quia hoc postérius quæréndum est, non témpore, sed dignitáte; illud, tanquam bonum nostrum; hoc, tanquam necessárium nostrum: necessárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi grátiâ, ideò debémus evangelizáre ut manducémus; sed ideò manducáre ut evangelizémus: nam si proptéreà evangelizámus

ut manducémus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; & erit jam bonum nostrum in manducándo, necessárium autem in evangelizándo.

℟. Nolíte sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quo operiémur? * Hæc ómnia gentes inquírunt: † Scit Pater vester quia his indigétis. ℣. Peccatóri dedit Deus curam supérfluam, ut addat & cóngreget; & hoc vánitas est, & cassa sollicitúdo. * Hæc. Glória. † Scit. *Matth.* 6. *Eccles.* 2.

Ad Benedictus

Ant. 3. Nemo potest duóbus dóminis servíre: non potéstis Deo servíre & mammónæ. *Matth.* 6.

Oratio.

CUstódi, Dómine quǽsumus, Ecclésiam tuã propitiatióne perpétuâ: & quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis & abstrahátur à nóxiis & ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tolosáno.

Anno 1229. *cap.* 21.

STatúimus ut Parochiáni, dóminus & dómina cujúslibet domûs Domínicis & festívis diébus in quibus ab opéribus est cessándum, teneántur ad Ecclésiam veníre, auditúri ibidem ex íntegro prædicatiónem & divínum offícium, nec inde recessúri, donec Missa compleátur omnínò. Quod si alter ipsórum absens fúerit extrà villam, vel ália de causa rationábili præpedítus, alter saltem teneátur veníre.

Ad Magnificat

Ant. 1. Quærite primùm regnum Dei & justítiam ejus, & hæc ómnia adjiciéntur vobis. *Matth.* 6.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

FIli hóminis, mitto ego te ad filios Israël, ad géntes apostatríces quæ recessérunt à me: ipsi & patres eórum prævaricáti sunt pactũ meum usque ad diem hanc. Et filii durâ fácie & indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te; & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Si fortè vel ipsi áudiant, & si fortè quiéscant, quóniam domus exáspefrans est; & scient quia Prophéta fúerit in medio

eórum. Tu ergo, fili hóminis, ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas, quóniam incréduli & subversóres sunt tecum, & cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, & vultus eórum ne formídes, quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si fortè áudiant & quiéscant, quóniam irritatóres sunt.

℟. Fili hóminis *p.* 236.

Lectio ij. Cap. 3.

ET dixit ad me: Fili hóminis, vade ad domum Isräel, & loquéris verba mea ad eos. Non enim ad pópulum profúndi sermónis & ignótæ linguæ tu mitteris ad domum Isräel, neque ad pópulos multos profúndi sermónis & ignótæ linguæ, quorum non possis audíre sermónes: & si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Isräel nolunt audíre te, quia nolunt audíre me: omnis quippe domus Isräel attrítâ fronte est & duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, & frontem tuam duriórem fróntibus eórum. *Ut* adamántem & ut sílicem dedi fáciem tuam: ne tímeas eos, neque métuas à fácie eórum; quia domus exásperans est.

℟. Ecce *pag.* 236.

Lectio iij.

FIlli hóminis, speculatórem dedi te dómui Isräel, & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. Si dicénte me ad ímpium: Morte moriéris, non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur à via sua ímpia, & vivat; ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, & ille non fúerit convérsus ab impietáte sua & à via sua ímpia; ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberásti. Sed & si convérsus justus à justítia sua fúerit, & fécerit iniquitátem, ponam offendículum coram eo; ipse moriétur, quia non annuntiásti ei; in peccáto suo moriétur, & non erunt in memória justítiæ ejus quas fecit; sanguinem verò ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris justo

ut non peccet justus, & ille non peccáverit, vivens vivet, quia annuntiásti ei; & tu ánimam tuam liberásti. ℟. Vivo *pag.* 237.

CANON.

Ex Concílio Parisiénsi.

Anno 829. *lib.* 1. *cap.* 18.

CONvenit Pastóribus Ecclesiárum res Ecclésiæ possidére, non ab his possidéri: & ut Prosper scribit, eas possidéndo debent contémnere, & non sibi, sed áliis possidére.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 9.

GLória Dómini Israël assúmpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domûs: & vocávit virum qui indútus erat líneis, & atramentárium scriptóris habébat in lumbis suis. Et dixit Dóminus ad eum: Transi per médiam civitátem in médio Jerúsalem, & signa Thau super frontes virórum geméntium & doléntium super cunctis abominatiónibus quæ fiunt in médio ejus. Et illis dixit, audiénte me: Transíte *per civitátem sequéntes* eum, & percútite: non parcat óculus vester, neque misereámini. Senem, adolescéntulum, & vírginem, párvulum, & mulíeres interfícite usque ad interneciónem; omnem autem super quem vidéritis Thau, ne occidátis, & à sanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo à viris senióribus qui erant ante fáciem domûs. Et dixit ad eos: Contamináte domum, & impléte átria interféctis: egredímini. Et egréssi sunt, & percutiébant eos qui erant in civitáte. ℟. Suscitábo *p.* 237.

Lectio ij. *Cap.* 13.

ET factus est sermo Dómini ad me dicens: Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Israël, qui prophétant; & dices prophetántibus de corde suo: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ prophétis insipiéntibus, qui sequúntur spíritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophétæ tui, Israël, erant. Non ascendístis ex advérso, neque opposuístis murum pro domo Israël, ut starétis in prælio in die Dómini. Vident vana, & divínant mendá-

cium, dicéntes : Ait Dóminus, cùm Dóminus non míserit eos : & perseveravérunt confirmáre sermónem. Numquid non visiónem cassam vidístis, & divinatiónem mendácem locúti estis ? Et dícitis : Ait Dóminus, cùm ego non sim locútus.

℟. Liberábo *pag.* 238.

Lectio iij.

PRoptéreà hæc dicit Dóminus Deus : Quia locúti estis vana, & vidístis mendácium ; ídeò ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus. Et erit manus mea super prophétas, qui vident vana & divínant mendácium : in consílio pópuli mei non erunt, & in scriptúra domûs Israël non scribéntur, nec in terram Israël ingrediéntur, & sciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes : Pax, & non est pax : & ipse ædificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto absque páleis. Dic ad eos qui líniunt absque temperatúra, quod casúrus sit : erit enim imber inúndans, & dabo lápides prægrándes désuper irruéntes, & ventum procéllæ dissipántem.

℟. Congregábo

CANO

Ex Concílio Aq
nénsi.

An. 816. *lib.* 1. *ca*

REs Ecclésiæ,
sanctis pátribu
tur . . . . . vota sur
lium, prétia peccat
& patrimónia páup
. . . quaprópter vigi
solérti curâ provid
est, his qui ejus fa
adminístrant, ne
suos solúmmodò us
vértant, sed magi
possibilitátẽ rerum,
to famulántium, i
rum in quibus Chris
citur & vestítur,
gérere pénitùs no
gligant.

FERIA QUA

De Ezechiéle Pro

Lectio j. *Ca*

HÆc dicit
nus Deus
quæ cónsu
víllos sub omni cúbi
nûs, & fáciunt ce
sub cápite univérs
ad capiéndas ánim
cùm cáperent ánim
puli mei, vivificába
mas eórum. Et vi
me ad pópulum
propter pugíllum
& fragmen panis,

tersicerent ánimas quæ non moriúntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentiéntes pópulo meo credénti mendáciis. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad pulvíllos vestros quibus vos cápitis ánimas volántes, & dirúmpam eos de bráchiis vestris; & dimíttam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volándum. Et dirúmpam cervicália vestra, & liberábo pópulum meum de manu vestra, neque erunt ultrà in mánibus vestris ad prædándum; & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Fili hóminis *p.* 236.

Lectio ij. *Cap.* 14.

HÆc dicit Dóminus Deus: Homo, homo de domo Israël, qui posúerit immundítias suas in corde suo, & scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, & vénerit ad prophétam intérrogans per eum me; ego Dóminus respondébo ei in multitúdine immunditiárum suárum, ut capiátur domus Israël in corde suo, quo recessérunt à me in cunctis idólis suis. Proptéreà dic ad domum Israël: *Hæc dicit Dóminus Deus*: Convertímini, & recédite ab idólis vestris, & ab univérsis contaminatiónibus vestris avértite fácies vestras. Quia homo, homo de domo Israël, & de proselytis quicúmque ádvena fúerit in Israël, si alienátus fúerit à me, & posúerit idóla sua in corde suo, & scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, & vénerit ad prophétam, ut intérroget per eum me; ego Dóminus respondébo ei per me.

℟. Ecce *pag.* 236.

Lectio iij.

ET prophéta cùm erráverit & locútus fúerit verbum, ego Dóminus decépi prophétam illum, & exténdam manum meã super illũ, & delébo eũ de médio pópuli mei Israël. Et portábunt iniquitátem suã juxta iniquitátem interrogántis, sic iníquitas prophétæ erit; ut non erret ultrà domus Israël à me; neque polluátur in univérsis prævaricatiónibus suis, sed sint mihi in pópulum, & ego sim eis in Deum, ait Dóminus exercítuum. Et factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, terra cùm peccá-

verit mihi, ut prævaricétur prævaricans, exténdam manum meam super eam, & cónteram virgam panis ejus, & immíttam in eam famem, & interfíciam de ea hóminem & juméntum.

℟. Vivo ego *p.* 237.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Refor.*

OMníno Pastóribus & Clréricis sancta Synodus interdícit, ne ex redítibus Ecclésiæ consanguíneos familiarésve suos augére stúdeant: cùm & Apostolórum Cánones prohíbeant, ne res Ecclesiásticas, quæ Dei sunt, consanguíneis donent, sed, si páuperes sint, iis ut paupéribus distríbuant; eas autem non dístrahant, nec díssipent illórum causâ.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 18.

ECce omnes ánimæ, meæ sunt; ut ánima patris, ita & ánima filii mea est: ánima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Et vir si fúerit justus, & fécerit judícium & justítiam, in móntibus non *coméderit*, & óculos suos non leváverit ad idóla domûs Israël, & uxórem próximi sui non violáverit, & ad mulíerem menstruátam non accésserit, & hóminem non contristáverit; pignus debitóri reddíderit, per vim nihil rapúerit; panem suum esuriénti déderit, & nudum operúerit vestiménto; ad usúram non commodáverit & ámpliùs non accéperit; ab iniquitáte avérterit manum suam, & judícium verum fécerit inter virum & virum; in præcéptis meis ambuláverit, & judícia mea custodíerit ut fáciat veritátem: hic justus est, vitâ vivet, ait Dóminus Deus.

℟. Suscitabo *pag.* 237.

Lectio ij.

QUòd si genúerit filium latrónem effundéntem sánguinem, & fécerit unum de istis, & hæc quidem ómnia non faciéntem, sed in móntibus comedéntem, & uxórem próximi sui polluéntem, egénum & páuperem contristántem, rapiéntem rapínas, pignus non reddéntem, & ad idóla levántem óculos suos, abominatiónem faciéntem; ad usúram dantem, & am-

plìùs accipiéntem; numquid vivet? Non vivet; cùm univérsa hæc detestánda fécerit, morte moriétur; sanguis ejus in ipso erit. Quòd si genúerit filium, qui videns ómnia peccáta patris sui quæ fecit, timúerit, & non fécerit símile eis, super montes non coméderit, & óculos suos non levàverit ad idóla domûs Israël, & uxórem próximi sui non violáverit; & virum non contristáverit, pignus non retinúerit, & rapínam non rapúerit; panem suum esuriénti déderit, & nudum operúerit vestiménto, à páuperis injúria avertérit manum suam, usúram & superabundántiam non accéperit, judícia mea fécerit, in præcéptis meis ambuláverit: hic non moriétur in iniquitáte patris sui, sed vitâ vivet.

℟. Liberábo *pag.* 238.

Lectio iij.

ANima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Fílius non portábit iniquitátem patris, & pater non portábit iniquitátem fílii: justítia justi super eum erit & impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit *pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis* quæ operátus est, & custodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & justítiam, vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus quas operátus est, non recordábor: in justítia sua quam operátus est, vivet. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus; & non ut convertátur à viis suis, & vivat?

℟. Congregabo *p.* 239.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno.

Anno 1549. *cap.* 72.

CUm Apóstolus, victu, adeóque ipsâ vitâ, indígnos júdicet hómines otiósos, qui panem non labóre suo partum, cum gravámine aliórum edunt; quantò gravióri indignatióni divínæ eos subjácere putándum est, qui census Ecclésiæ sanctórũ Mártyrum patrimónia & donária piæ plebis ad divíni ministérii sustentatiónem colláta, otiósè absúmunt.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 33.

DIc ad domum Israël: Vivo ego, dicit Dóminus

Deus; nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius à via sua, & vivat. Convertímini, convertímini à viis vestris péssimis, & quare moriémini, domus Israël? Tu ítaque, fili hóminis, dic ad fílios pópuli tui: Justítia justi non liberábit eum in quacúmque die peccáverit, & impíetas ímpii non nocébit ei in quacúmque die convérsus fúerit ab impietáte sua: & justus non póterit vívere in justítia sua, in quacúmque die peccáverit. Etiámsi díxero justo quòd vitâ vivat, & confísus in justítia sua fécerit iniquitátem; omnes justítiæ ejus oblivióni tradéntur, & in iniquitáte sua quam operátus est, in ipsa moriétur. Si autem díxero ímpio: Morte moriéris; & égerit pœniténtiam à peccáto suo, fecerítque judícium & justítiam, & pignus restitúerit ille ímpius, rapinámque reddíderit, in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injústum, vitâ vivet, & non moriétur.

℟. Fili hominis *p.* 236.

Lectio ij. *Cap.* 34.

HÆc dicit Dóminus *Deus: Væ* pastóribus Israël qui pascébant semetípsos: nonne greges à pastóribus pascúntur? Lac comedebátis, & lanis operiebámini, & quod crassum erat occidebátis; gregem autem meum non pascebátis. Quod infirmū fuit non consolidástis; & quod ægrótum non sanástis; quod confráctum est non alligástis, & quod abjéctum est non reduxístis, & quod períerat non quæsístis; sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum poténtia. Et dispérsæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor; & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, & dispérsæ sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus & in univérso colle excélso, & super omnem fáciem terræ dispérsi sunt greges mei, & non erat qui requíreret: non erat, inquam, qui requíreret.

℟. Ecce *pag.* 236.

Lectio iij.

PRoptéreà, pastóres, audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quód facti sunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eò quòd

non esset pastor: neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant pastóres semetipsos, & greges meos non pascébant: proptéreà, pastóres, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres, requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastóres semetípsos; & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultra eis in escam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum: sic visitábo oves meàs, & liberábo eas de ómnibus locis in quibus dispérsæ fúerant in die nubis & calíginis.

℟. Vivo ego *pag.* 237.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 116.

FIdéles fídei ardóre, & Christi amóre succénsi ob animárum suárum remédium, & cœléstis pátriæ desidérium, suis própriis facultátibus, sanctam locúpletem fecérunt Ecclésiam, ut his & mílites Christi alerentur, & Ecclésiæ exornárentur, páuperes recreárentur, & captívi pro témporum opportunitáte rediméréntur.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 34.

HÆc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipse júdico inter pecus pingue & macíléntum; pro eò quòd latéribus & húmeris impingebátis, & córnibus vestris ventilabátis ómnia infirma pécora, donec dispergeréntur foràs: salvábo gregem meũ & non erit ultra in rapínam; & judicábo inter pecus & pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus sum.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij. *Cap.* 36.

PEpérci nómini sancto meo quod pollúerat domus Israël in géntibus, ad quas ingréssi sunt. Idcírco dices dómui Israël: Hæc dicit Dóminus Deus: Non propter vos ego fáciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum quod polluístis in géntibus, ad quas intrástis. Et sanctificábo nomen meum magnum, quod pollútum est inter gentes, quod polluístis in médio eárum; ut sciant gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm sanctificátus fuéro in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus, & congregábo vos de univérsis terris, & addúcam vos in terram vestram.

Lectio iij.

ET effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinámentis vestris; & ab univérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestri: & áuferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum Et Spíritum meum ponam *in médio* vestri; & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini. Et habitábitis in terra quam dedi pátribus vestris; & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum. Et salvábo vos ex univérsis inquinámentis vestris.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 12.

APóstolus dixit sic Dóminum disposuísse, ut qui Evangélium anúntiant, de Evangélio vivant... Unde ergo vivitur, necessitátis est accípere, caritátis est præbére... Accípiant sustentatiónem necessitátis à pópulo, mercédem dispensatiónis à Dómino.

DOMINICA XV. *post Pentecosten.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 7. Anánias, & Azárias, & Mísaël credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. 1. *Machab.* 2.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, & partem vasórum domûs Dei, & asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, & vasa íntulit in domum thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de filiis Israël, & de sémine régio & tyrannórum, púeros in quibus nulla esset mácula, decóros formâ, & erudítos omni sapiéntiâ, cautos sciéntiâ, & doctos disciplínâ, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos litteras & linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino unde bibébat ipse; ut enutríti tribus annis, pósteà starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de filiis Juda, Dániel, Ananías, Mísael & Azárias. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum nómina: Daniéli, Baltássar; Ananíæ, Sidrach; Misaéli, Misach; & Azáriæ, Abdénago.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum; quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt. * Ipse revélat abscóndita, & novit in ténebris constitúta; & lux cum eo est. ℣. Dei sapiéntiam quæ abscóndita est, nemo príncipum hujus sæculi cognóvit; nobis autem revelávit Deus. * Ipse revélat. *Dan. 2. 1. Cor. 2.*

Lectio ij.

PRopósuit autem Dániel in corde suo, ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potûs ejus; & rogávit eunuchórum præpósitum, ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli gratiam & misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminũ meum regem, qui constítuit vobis cibum & potum; qui, si víderit vultus vestros macilentióres præ cæteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput

meum regi. Et dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananíam, Misaélem & Azáriam: Tenta nos, óbsecro, servos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad vescéndum, & aqua ad bibéndum; & contempláre vultus nostros, & vultus puerórum qui vescúntur cibo régio; & sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui, audíto sermóne hujuscémodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres præ ómnibus púeris qui vescebántur cibo régio.

℟. Fuérunt in palátio regis Babylónis de filiis Juda, Dániel, Anánias, Mísael & Azárias. Et * Propósuit Dániel in corde suo, ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potûs ejus. ℣. Qui secúndùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sápiunt; qui verò secúndùm spíritum sunt, quæ sunt spíritûs, séntiunt. * Propósuit. *Dan.* 1. *Rom.* 8.

Lectio iij.

PORrò Málasar tollébat cibária & vinum potûs eórum, dabátque eis legúmina. Púeris autem his dedit Deus sciéntiam & disciplínam in omni libro & sapiéntiâ; Daniéli autem intelligéntiam ómniũ visiónum & somniórum. Complétis ítaque diébus, post quos díxerat rex ut introduceréntur, introdúxit eos præpósitus eunuchórum in conspéctu Nabuchodónosor. Cùmque eis locútus fuísset rex, non sunt invénti tales de univérsis ut Dániel, Anánias, Mísael & Azárias; & stetérunt in conspéctu regis: & omne verbum sapiéntiæ & intelléctûs, quod sciscitátus est ab eis rex, invénit in eis décuplum super cunctos aríolos & magos qui erant in univérso regno ejus. Fuit autem Dániel usque ad annum primum Cyri regis.

℟. Apparuérunt vultus eórum melióres præ ómnibus púeris qui vescebántur cibo régio. * Púeris his dedit Deus sciéntiam & disciplínam in omni libro & sapiéntiâ; Daniéli autem intelligéntiam ómnium visiónum. ℣. Alii

quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ, álii sermo sciéntiæ secúndũ eúmdem Spíritum, álii interpretátio sermónum. * Púeris. Glória. * Púeris. *Dan.* 1. 1 *Cor.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

De Off. Minist. Lib. 2. *Cap.* 10. & 11.

Lectio iv.

DAniel ex captívis, regálium consultórũ árbiter factus, consíliis suis emendávit præséntia, annuntiávit futúra. Ex his enim quæ frequénter interpretátus osténderat veri se esse annúntium, fides ei in ómnibus deferebátur. Quis Daniéli consílium refúgeret, de quo Deus ipse dixit: Quis Daniéle sapiéntior? Aut quómodò hómines de eórum dubitáre méntibus possent, quibus Deus tantam conferébat grátiam? Quàm purus Daniélis ánimus, ut mulcéret bárbaros mores, mitigáret leónes! quæ in illo temperántia! quanta ánimi & córporis continéntia! Nec immérito mirábilis factus ómnibus, quando (*quod vehementer admiràntur hómines*) regálibus fultus amicítiis, aurum non quærébat, nec delátum sibi honórem pluris faciébat quàm fidem. Quin étiam periclitári malébat pro lege Dómini, quàm pro grátia hóminis infléeti.

℟. Loquens rex, ait Daniéli: * Verè Deus vester Deus deórum est, & Dóminus regum, & revélans mystéria; quóniam tu potuísti aperíre sacraméntum. ℣. Animális homo non pércipit ea quæ sunt Spíritus Dei; stultítia enim est illi, & non potest intelligere. * Verè Deus vester. *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

Lib. 3. *de Spiritu Sancto* *Lectio v.* *Cap.* 6.

PEr Spíritum datur sermo sapiéntiæ. Dániel, nisi accepísset Dei Spíritum, nunquam potuísset deprehéndere adultérium libídinis, mendácium fraudis. Nam cùm Susánna presbyterórum conjuratiónibus appetita, infléxam pópuli mentem vidéret contemplatióne seniórum; & ómnibus destitúta subsídiis, sola inter hómines pudicitiæ suæ cónscia Deum árbitrum pre-

carétur : Exaudívit, inquit, Dóminus vocem ejus, cùm ducerétur ut períret; & excitávit Dóminus Spíritum Sanctū púeri adoleſcéntis, cui nomen Dániel. Itaque ſecúndùm accépti Spíritûs Sancti grátiam, vacillántia perfidórum teſtimónia deprehéndit : neque enim ália niſi divínæ fuit operátio poteſtátis, ut eos vox ſua próderet, quórum latébat affféctus. Ac ne quis fortè exíſtimet, quia, dicénte Scriptúrâ, excitávit Deus Spíritum Sanctū púeri adoleſcéntis, ſpíritum in eo putet fuíſſe hóminis, non Spíritum Sanctum; legat in poſterióribus, & invéniet quia Spíritum Sanctum accépit Dániel, & ídeò prophetávit. Dénique & rex eum prætúlit, quia habébat grátiam ſpiritálem. Sic enim dicit : Tu autem, Dániel, potes; quia Spíritus Sanctus Dei in te eſt. Et infrà Scriptúra dicit : Et fuit Dániel præpóſitus illis, quóniam Spíritus erat ſúperans in eo.

℟. Exclamávit Susánna, & dixit : Deus ætérne, qui abſconditórum es cógnitor, tu ſcis quóniam *falſum teſtimónium* tulérunt contra me; & ecce mórior. * Exaudívit autem Dóminus vocem ejus. ℣. Deus qui juſtíficat, quis eſt qui condémnet ? * Exaudívit autem Dóminus. *Dan.* 13. *Rom.* 8.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Epiſt. Joan. Tract. 8. *Cap.* 4 *num.* 7.

Lectio vj.

INténdite quid dicam. Homo, agnóſce eum qui ſupra te eſt, ut agnóſcant te quæ infra te ſunt. Ideò cùm Dániel agnoviſſet ſupra ſe Deum, agnovérunt illum ſupra ſe leónes. Si autem non agnóſcis illum qui ſupra te eſt, ſuperiórem contémnis, súbderis inferióri. Proptéreà ſupérbia Ægyptiórum unde dómita eſt ? De ranis & muſcis. Póterat Deus & leónes míttere; ſed áliquis magnus leóne terréndus eſt. Quantò illi erant ſuperbióres, tantò de rebus contemptibílibus & abjéctis fracta eſt eórum cervix mala. Sed Daniélem agnovérunt leónes, quia ille súbditus Deo erat. Quid ! Mártyres qui ad béſtias pugnavérunt, & ferárum mórſibus laceráti ſunt, non erant ſub Deo ?

Aut erant servi Dei tres viri, & non erant servi Dei Machabæi? Agnóvit ignis servos Dei tres viros, quos non ussit, quorum nec vestiménta corrúpit: & non agnóvit Machabæos? agnóvit Machabæos: sed opus erat quodam flagéllo, permitténte Dómino, qui dixit in Scriptúra: Flagéllat omnem fílium quem récipit. Visibíliter quosdam visus est deseruísse, quosdam visus est eripuísse. Ideò quosdam erípuit, ne putes illum non potuísse erípere. Testimónium dedit, quia potest; ut ubi non facit, secretiórem intélligas voluntátem, non suspicéris difficultátem.

℟. Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui credidérunt in eum: * Et † Tradidérunt córpora sua, ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. ℣. Per fidem obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis. * Et. Glória. † Tradidérunt. *Dan.* 3. *Hebr.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 7.

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm; & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 98. *de verbis Evang. Luc.* 7. *Cap.* 4.

VIdeámus quid Christus nos díscere vóluit in tribus mórtuis quos suscitávit. Resuscitávit fíliam mórtuam Archisynagógi, ad quam ægrotántem petebátur ut eam de ægritúdine liberáret. Excitávit & hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti sumus; ut hinc ista quæ ipse largíri dignátur, cum vestra caritáte loquerétur. Modò audístis quómodò excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti: & ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Misericórdiâ commótus quòd flebat mater vídua, & destitúta único fílio, fecit quod audístis, dicens: Adoléscens, tibi dico, Surge. Surréxit ille mórtuus, cœpit loqui, &

réddidit illum matri suæ. Excitávit & Lázarum de sepúlcro.

℟. Defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ; & hæc vídua erat. Quam cùm vidísset * Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit illi: Noli flere. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effúndat loquélam gémitûs. * Dóminus. *Luc.* 7. *Eccli.* 35.

Lectio viij. *Cap.* 5.

ISta tria génera mortuórum sunt tria génera peccatórum, quos hodiéque súscitat Christus. Illa enim mórtua fília Archisynagógi intùs erat in domo, nondum erat de secrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs suscitáta est, viva paréntibus réddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepúlcro, pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui suscitávit mórtuam nondum elátam, suscitávit mórtuum jam elátum, nondum sepúltum. Tértium restábat, ut & sepúltum suscitáret; & hoc fecit in Lázaro.

℟. Accéssit Jesus, & tétigit lóculum; hi autem *qui portábant*, stetérunt. Et * Ait: Adoléscens; tibi dico, Surge. Et resédit qui erat mórtuus. ℣. Deus noster, Deus salvos faciéndi; & Dómini Dñi éxitus mortis. * Ait. *Luc.* 7. *Ps.* 67.

Lectio ix. *Cap.* 7.

HÆc ergo, caríssimi, sic audiámus, ut qui vivunt vivant; qui mórtui sunt, revivíscant. Sive adhuc peccátum in corde concéptum est, & non procéssit in factum; pœníteat, corrigátur cogitátio, surgat mórtuus intra domum consciéntiæ. Sive jam quod cogitávit, admísit; nec sic desperétur. Non surréxit mórtuus intùs, surgat elátus. Pœníteat facti: de próximo revivíscat: non erat in profúndum sepultúræ: non accípiat désuper consuetúdinis molem. Sed fortè jam illi loquor, qui jam duro sui moris lápide prémitur, qui jam urgétur consuetúdinis póndere, qui jam quatriduánus putet; nec ipse despéret: profúndus mórtuus est; sed altus est Christus. Novit clamándo terréna ónera rúmpere, novit intrínsecùs per seípsum vivificáre, solvéndum discípulis trádere. A-

gant étiam tales pœniténtiam; neque enim Lázaro resuscitáto post quatriduũ ullus putor in vivénte remánserat. Ergo qui vivunt, vivant: quicúmque autem mórtui sunt, in quacúmque harum trium morte se invénerint, agant ut celériter jam resúrgant.

℟. Magnus es, Dómine, in ætérnum, * Et † In ómnia sæcula regnum tuũ, quóniam tu flagéllas & salvas, dedúcis ad ínferos & redúcis. ℣. Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus. * Et. Glória. † In ómnia. *Tob.* 13. *Apoc.* 15.

Ad Benedíctus

Ant. 2. Qui erat mórtuus, cœpit loqui; & dedit illum Jesus matri suæ. *Luc.* 7.

Oratio.

ECclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet & múniat: &, quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *An.* 1583. *Tit de diebus Festis. Num.* 2. *&* 3.

DIébus Domínicis & festis in suas paræcias pópulus convéniat, & Missæ, Concióni, ac Vésperis intérsit. Iísdem diébus nemo lúsibus aut chóreis det óperam, máximè dum divínum celebrátur offícium: monebitúrque ab Ordinário vel Párocho Magistrátus, ut id nequáquam fieri permíttat.

Ad Magnificat

Ant. 1. Accépit omnes timor, & magnificábant Deum, dicéntes: Quia Prophéta magnus surréxit in nobis, & quia Deus visitávit plebẽ suam. *Luc.* 7. *Oratio ut supra ad Laud.*

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

IN anno secúndo regni Nabuchodónosor, vidit Nabuchodónosor sómnium, & contérritus est spíritus ejus, & sómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem rex ut convocaréntur arioli, & magi, & maléfici, & Chaldæi, ut indicárent regi sómnia sua: qui cùm veníssent, stetérunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi sómnium, & mente confúsus ignóro quid víderim. Responderúntque

Chaldæi regi Syriacè: Rex, in sempitérnum vive; dic sómnium servis tuis, & interpretatiónem ejus indicábimus. Et respondens rex, ait Chaldæis: Sermo recéssit à me; nisi indicavéritis mihi sómnium, & conjectúram ejus, períbitis vos, & domus vestræ publicabúntur: si autem sómnium & conjectúram ejus narravéritis, præmia, & dona, & honórem multum accipiétis à me.

℟. Sit nomen *p.* 251.

Lectio ij.

Respondéntes ergo Chaldæi coram rege, dixérunt: Non est homo super terram qui sermónem tuum, rex, possit implére; sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujuscémodi sciscitátur ab omni aríolo, & mago, & Chaldæo: sermo enim quem tu quæris, rex, gravis est; nec reperiétur quisquam qui índicet illum in conspéctu regis, excéptis diis quorum non est cum homínibus conversátio. Quo audíto, rex in furóre & in ira magna præcépit ut perírent omnes sapiéntes Babylónis. Et egréssâ senténtiâ, sapiéntes interficiebántur, quærebantúrque Dániel & sócii ejus, ut perírent. Tunc Dániel requisívit de lege atque senténtia ab Arioch príncipe milítiæ regis.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

Cum ergo rem indicásset Arioch Daniéli, Dániel ingréssus rogávit regem, ut tempus daret sibi ad solutiónem indicándam regi. Et ingréssus est domum suam: Ananíæque, & Misaéli, & Azáriæ sóciis suis indicávit negótium, ut quærerent misericórdiam à fácie Dei cœli super sacraménto isto, & non perírent Dániel & sócii ejus, cum cæteris sapiéntibus Babylónis. Tunc Daniéli mystérium per visiónem nocte revelátum est: & benedíxit Dániel Deum cœli. Et locútus, ait: Sit nomen Dómini benedíctum à sæculo & usque in sæculum, quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt, & ipse mutat témpora & ætátes, transfert regna atque constítuit; dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam. Ipse revélat profúnda & abscóndita, & novit in ténebris constitú-

ta; & lux cum eo est. Tibi, Deus patrum nostrórum, confiteor, teque laudo, quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi: & nunc ostendísti mihi quæ rogávimus te, quia sermónem regis aperuísti nobis.

℟. Apparuérunt *p.* 252.

CANON.

Ex Concílio Bituricénsi. *Anno* 1584. *Tit. de Benef. Can.* 1.

Cum benefícium ecclesiásticum non otiósis, sed officium suum exequéntibus sit constitútum, & propter officium detur benefícium; denúntiat hæc Synódus ómnibus cujuscúmque gradûs & conditiónis, qui benefícia ecclesiástica solíus temporális provéntûs grátiâ suscípiunt, eos non fácere fructus suos, sed ad restitutiónem tenéri.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 2.

Daniel ingréssus ad Arioch quē constitúerat rex ut pérderet sapiéntes Babylónis, sic ei locútus est: Sapiéntes Babylónis ne perdas; intróduc me in conspéctu regis, & solutiónem regi narrábo. Tunc Arioch festínus introdúxit Daniélem ad regem, & dixit ei: Invéni hóminem de fíliis transmigratiónis Juda, qui solutiónem regi annúntiet. Respóndit rex, & dixit Daniéli cujus nomen erat Baltássar: Putásne verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, & interpretatiónem ejus? Et respóndens Dániel coram rege, ait: Mystérium quod rex intérrogat, sapiéntes, magi, aríoli & arúspices néqueunt indicáre regi; sed est Deus in cœlo revélans mystéria, qui indicávit tibi, rex Nabuchodónosor, quæ ventúra sunt in novíssimis tempóribus.

℟. Loquens *pag.* 253.

Lectio ij.

Tu, rex, vidébas, & ecce quasi státua una grandis, státua illa magna; & statúrâ sublímis stabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro óptimo erat, pectus autem & bráchia de argénto: porrò venter & fémora ex ære; tíbiæ autem férreæ; pedum quædam pars erat

férrea, quædam autem fictilis. Vidébas ita, donec abscíssus est lapis de monte sine mánibus, & percússit státuam in pédibus ejus férreis & fictílibus, & commínuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argéntum, & aurum, & redácta quasi in favíllam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento; nullúsque locus invéntus est eis: lapis autem qui percússerat státuam, factus est mons magnus, & implévit univérsam terram. Hoc est sómnium.

℟. Exclamávit *p.* 254.

Lectio iij.

INterpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es; & Deus cœli regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia in quibus hábitant filii hóminum, & béstiæ agri; vólucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditióne tua univérsa constítuit: tu es ergo caput áureum. Et post te consúrget regnum áliud minus te, argénteum. Et regnum tértium áliud, æreum, quod imperábit univérsæ terræ. Et regnũ quartum erit velut ferrum; quómodò ferrum comminuit & domat ómnia, sic comminuet & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidísti pedum & digitórũ partem testæ figuli, & partem férream; regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secúndùm quòd vidísti ferrum mistum testæ ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fictiles, ex parte regnum erit sólidum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidísti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebúntur quidem humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testæ. In diébus autem regnórum illórum suscitábit Deus cœli regnum quod in ætérnum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet autem & consúmet univérsa regna hæc; & ipsum stabit in ætérnum.

℟. Benedíctus *p.* 255.

CANON.

Ex Concílio Nanneténsi.

Anno 895. *Can.* 10.

INstruéndi sunt Presbyteri, pariterque admonéndi quátenùs nóverint

décimas & oblatiónes, quas à fidélibus accípiunt, páuperum & hóspitum & peregrinórum esse stipéndia, & non quasi suis, sed quasi commendátis uti: de quibus ómnibus sciant se ratiónem positúros in conspéctu Dei.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 3.

NAbuchodónosor rex fecit státuam áuream, altitúdine cubitórum sexagínta, latitúdine cubitórum sex, & státuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregándos sátrapas, magistrátus & júdices, duces & tyránnos, & præféctos, omnésque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Tunc congregáti sunt sátrapæ, magistrátus & júdices, duces & tyránni, & optimátes qui erant in potestátibus constitúti, & univérsi príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Stabant autem in conspéctu státuæ quam posúerat Nabuchodónosor rex; & præco clamábat valénter: Vobis dícitur pópulis, tríbubus & linguis: In hora qua audiéritis sónitum tubæ, & fístulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & univérsi géneris musicórum, cadéntes adoráte státuam áureã quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eâdem horâ mittétur in fornácem ignis ardéntis.

℟. Sit nomen *p.* 251.

Lectio ij.

STatímque in ipso témpore accedéntes viri Chaldæi accusavérunt Judæos, dixerúntque Nabuchodónosor regi: Rex, in ætérnum vive; tu, rex, posuísti decrétum, ut omnis homo qui audíerit sónitum tubæ, fístulæ, & cithǽræ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & univérsi géneris musicórum, prostérnat se, & adóret státuam áuream; si quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardéntis. Sunt ergo viri Judæi quos constituísti super ópera re-

giónis Babylónis, Sidrach, Misach, & Abdénago: viri isti contémpserunt, rex, decrétum tuum; deos tuos non colunt; & státuam áuream quam erexísti, non adórant. Tunc Nabuchodónosor in furóre & in ira præcépit ut adduceréntur Sidrach, Misach & Abdénago; qui conféstim addúcti sunt in conspéctu regis. Pronuntiánsque Nabuchodónosor rex, ait eis: Verè ne, Sidrach, Misach & Abdénago, deos meos non cólitis, & státuam áuream quam constítui, non adorátis?

℞. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

Respondéntes Sidrach, Misach & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non opórtet nos de hac re respondére tibi; ecce enim Deus noster quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non cólimus, & státuam áuream quam eréxisti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre; & aspéctus faciéi illius immutátus est super Sidrach, Misach & Abdénago: & præcépit ut succenderétur fornax séptuplùm quàm succéndi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit ut, ligátis pédibus Sidrach, Misach & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardéntis. Et conféstim viri illi vincti cum braccis suis, & tiáris, & calceaméntis, & véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis; nam jússio regis urgébat: fornax autem succénsa erat nimis. Porrò viros illos qui míserant Sidrach, Misach & Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach & Abdénago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammæ, laudántes Deum, & benedicéntes Dómino.

℞. Apparuérunt *p.* 252.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

Anno 1565. *part.* 2. *tit.* 62.

Cavéndum est ne cupiditáte prolápsi, quæ radix est ómnium malórum, dùm vel própriis

vel propinquórum & familiárium divítiis & honóribus ſtudémus, quæ Deo dicáta ſunt bona & Eccléſiæ detriménto, & páuperum gémitu, & bonórum offenſióne ad aliórum uſum convertámus.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 3.*

NAbuchodónoſor rex obſtúpuit, & ſurréxit próperè, & ait optimátibus ſuis: Nonne tres viros míſimus in médium ignis compedítos? Qui reſpondéntes regi, dixérunt: Verè, rex. Reſpóndit, & ait: Ecce ego vídeo quátuor viros ſolútos, & ambulántes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis eſt, & ſpécies quarti ſímilis Fílio Dei. Tunc accéſſit Nabuchodónoſor ad óſtium fornácis ignis ardéntis, & ait: Sidrach, Miſach & Abdénago, ſervi Dei excélſi, egredímini, & veníte. Statímque egréſſi ſunt Sidrach, Miſach & Abdénago de médio ignis. Et congregáti sátrapæ, & magiſtrátus, & júdices, & poténtes regis, contemplabántur viros illos, quóniam nihil poteſtátis habuíſſet ignis in corpóribus eórum, & capíllus cápitis eórum non eſſet adúſtus, & sarábala eórum non fuiſſent immutáta, & odor ignis non transíſſet per eos.

℟. Loquens *p.* 253.

Lectio ij.

ET erúmpens Nabuchodónoſor, ait: Benedíctus Deus eórum, Sidrach, vidélicet, Miſach & Abdénago, qui miſit ángelum ſuum, & éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum, & verbum regis immutavérunt, & tradidérunt córpora ſua, ne ſervírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. A me ergo pósitum eſt hoc decrétum, ut omnis pópulus, tribus, & lingua, quæcúmque locúta fúerit blaſphémiam contra Deũ Sidrach, Miſach & Abdénago, diſpéreat, & domus ejus vaſtétur; neque enim eſt álius Deus qui poſſit ita ſalváre.

℟. Exclamávit *p.* 254.

Lectio iij.

TUnc rex promóvit Sidrach, Miſach & Abdénago in provínciis

Babylónis. NABUCHODONOSOR rex, ómnibus pópulis, géntibus & linguis, qui hábitant in univérsa terra, pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excélsus. Plácuit ergo mihi prædicáre signa ejus, quia magna sunt, & mirabília ejus, quia fórtia; & regnum ejus regnum sempitérnum, & potéstas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. Benedictus *p.* 255.

CANON.

Ex Concílio Reménsi.

Anno 1583. *tit. de Simon. num.* 7.

SI quis benefíciũ propter obséquium, vel impénsæ servitútis mercédem cónferat, vel de retinénda pensióne sibi vel álteri paciscátur, aut partem frúctuum vel áliud benefícium in compensatiónem collatiónis étiam álteri conferéndum éxigat, vel áliam quámlibet pactiónem à sede Románа non approbátam fécerit, simoniácus esse censeátur.



FERIA SEXTA

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 4.

DAniel cujus nomẽ Baltássar, cœpit intrà semetípsum tácitus cogitáre quasi unâ horâ, & cogitatiónes ejus conturbábant eum. Respóndens autem rex, ait: Baltássar, sómnium & intepretátio ejus non contúrbent te. Respóndit Baltássar, & dixit: Dómine mi, sómnium his qui te odérunt, & interpretátio ejus hóstibus tuis sit. Arborem quam vidísti sublímem atque robústam, cujus altitúdo pertíngit ad cœlum, & aspéctus illíus in omnem terram, & rami ejus pulchérrimi, & fructus ejus nímius, & esca ómnium in ea, subter eã habitántes bestiæ ágri, & in ramis ejus commorántes aves cœli: tu es rex qui magnificátus es, & invaluísti; & magnitúdo tua crevit & pervénit usque ad cœlum, & potéstas tua in términos univérsæ terræ.

℟. Sit nomen Dómini benedictum *pag.* 251.

Lectio ij.

QUòd autem vidit rex vigilem & sanctum descéndere de cœlo, & dícere: Succídite árborem, & dissipáte illam; áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite. Et vinciátur ferro & ære in herbis foris, & rore cœli conspergátur, & cum feris sit pábulum ejus, donec septem témpora mutèntur super eum: hæc est interpretátio senténtiæ Altíssimi, quæ pervénit super dominum meum regem. Ejícient te ab homínibus, & cum béstiis ferísque erit habitátio tua, & fœnum ut bos cómedes, & rore cœli infundéris: Et septem témpora mutabúntur super te, donec scias quòd dominétur Excélsus super regnum hóminum, & cuicúmque volúerit, det illud.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

QUòd autem præcépit ut relinquerétur germen radícum ejus, id est, árboris: regnum tuum tibi manébit, postquàm cognóveris potestátem esse cœléstem. Quam ob rem, rex, consílium meum pláceat tibi, & peccáta tua eleemósynis rédime, & iniquitátes tuas misericórdiis páuperum: fórsitan ignóscet delíctis tuis. Omnia hæc venérunt super Nabuchodónosor regem.

℟. Apparuérunt *p.* 252.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 24. *de Refor. cap.* 17.

QUóniam multi improbæ cupiditàtis afféctu seipsos, non Deum decipiéntes, ea quæ benè constitúta sunt variis ártibus elúdere, & plura simul beneficia obtinére non erubéscunt: sancta Synodus débitam regéndis Ecclésiis disciplínam restitúere cúpiens, præsénti decréto státuit, ut in pósterum unum tantùm beneficium Ecclesiásticum síngulis conferátur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confértur, honéstè sustentándam non sufficiat, líceat nihilóminùs áliud simplex sufficiens, dúmmodò utrúmque personálem residéntiam non requírat, eídem conférri,



SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 5.*

BAltasar rex fecit grande convívium optimátibus suis mille; & unusquísque secúndùm suam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus, ut afferréntur vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo quod fuit in Jerúsalem, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxoréfque ejus & concubínæ. Tunc alláta sunt vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat de templo quod fúerat in Jerúsalem; & bibérunt in eis rex, & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum & laudábant deos suos áureos & argénteos, æreos, férreos, ligneósque & lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quasi manus hóminis scribéntis contra candelábrum in superfície paríetis aulæ régiæ: & rex aspiciébat artículos manus scribéntis. Tunc fácies regis commutáta est, & cogitatiónes ejus conturbábant eum, & compáges renum ejus solvebántur, & génua ejus ad se ínvicem collidebántur.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij.

IGitur introdúctus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex ait: Tu es Dániel de fíliis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniam spíritum deórum hábeas: & sciéntia, intelligentíaque, ac sapiéntia amplióres invéntæ sunt in te. Et nunc introgréssi sunt in conspéctu meo sapiéntes magi, ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi; & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porro ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, & ligáta dissólvere: si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, & torquem áuream circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respóndens Dániel, ait coram rege: Múnera

at tibi, & dona do-
uæ álteri da : scrip-
autem legam tibi,
& interpretatiónem
sténdam tibi.

Lectio iij.

ÆEc est autem scrip-
túra quæ digésta est :
E, THECEL, PHA-
Et hæc est interpretá-
mónis. MANE : Nu-
it Deus régnum tuũ,
mplévit illud. THE-
Appénsus es in sta-
& invéntus es minùs
s. PHARES : Divísum
gnum tuum, & da-
st Medis & Persis.
, jubénte rege, in-
est Dániel púrpurâ,
cúmdata est torques
collo ejus : & præ-
m est de eo quòd
et potestátem tértius
gno suo. Eâdem
interféctus est Bal-
rex Chaldæus : &
s Médus succéssit in
m annos natus sexa-
duos.

A N O N.

oncílio Nanneténsi.
no 1274. *cap.* 1.

Illus Prælátus Eccle-
ásticus vel patrónus
lítteras óbliget ad
ónem seu præsenta-
beneficii *non va-
& si contra féce*rit, decérnimus ipsum ex obligatióne hujúsmodi non tenéri : Et promíttens per superiórem pœnâ canónicâ puniátur.

DOMINICA XVI.

post Pentecosten.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magníficat

Ant. 5. Omnes habitatóres terræ apud Altíssimum in nihilum reputáti sunt ; juxta voluntátem enim suam facit, & non est qui resístat mánui ejus, & dicat ei : Quare fecísti ? *Dan.* 4.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 6.

PLácuit Dário, & constítuit super regnum sátrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo ; & super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat, ut sátrapæ illis rédderent rationem, & rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes & sátrapas, quia Spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex co-

gitábat constitúere eum super omne regnum; unde príncipes & sátrapæ quærébant occasiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis: nullámque causam & suspicióne reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset, & omnis culpa & suspício non inveniréturin eo. Dixérunt ergo viri illi: non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

℟. Sit nomen *pag.* 251.

Lectio ij.

TUnc príncipes & sátrapæ surripuérunt regi, & sic locúti sunt ei: Dari rex, in ætérnum vive: consílium iniérunt omnes príncipes regni tui, magistrátus & sátrapæ, senatóres & júdices, ut decrétum imperatórium éxeat & edíctum; ut omnis qui petíerit áliquam petitiónem à quocúmque deo & hómine, usque ad trigínta dies, nisi à te, rex, mittátur in lacum leónum. Nunc ítaque, rex, confirma senténtiam, & scribe decrétum, ut non immutétur quod statútum est à Medis & Persis, nec prævaricári cuíquam líceat. Porrò rex Dárius propósuit edíctum, & státuit. Quod cùm Dániel comperísset, id est, constitútam legem, ingréssus est domum suam; & fenéstris apértis in cœnáculo suo contra Jerúsalem, tribus tempóribus in die flectébat génua sua, & adorábat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & ante fácere consuéverat.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

VIri ergo illi curióśiùs inquiréntes, invenérunt Daniélem orántem & obsecrántem Deum suum. Et accedéntes locúti sunt regi super edícto: Rex, numquid non constituísti, ut omnis homo qui rogáret quemquam de diis & homínibus usque ad dies trigínta, nisi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos respóndens rex, ait: Verus est sermo juxta decrétum Medórum atque Persárum, quod prævaricári non licet. Tunc respondéntes, dixérunt coram rege: Dániel de filiis captivitátis Juda non curávit de lege tua & de edícto quod constituísti; sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod

verbum cùm audísset rex, satis contristátus est: & pro Daniéli pósuit cor ut liberáret eum, & usque ad occásum solis laborábat ut erúeret illum.

℟. Apparuérunt *p.* 252.

IN II. NOCTURNO.

De Expositióne S. Hierónymi Presbyteri in Daniélem Prophétam.

Lectio iv. *Cap.* 9.

AFricánus in quinto Témporum volúmine, de septuagínta hebdomádibus hæc locútus ad verbum est: Capítulum quod in Daniéle de septuagínta hebdomádibus légimus, multa & mirabília cóntinet, quæ nunc longum est dícere: ergo, quod ad præsens opus pértinet, de tempóribus disseréndum est, nullíque dúbium quin de advéntu Christi prædicátio sit, qui post septuagínta hebdómadas mundo appáruit, post quem consummáta sunt delícta, & finem accépit peccátum, & deléta est iníquitas, & annuntiáta justítia sempitérna quæ legis justítiam vínceret; & impléta est vísio & prophetía, quia lex & prophétæ usque ad Baptístam Joánnem; & unctus est Sanctus sanctórum: quæ ómnia, priúsquàm Christus humánum corpus assúmeret, sperabántur magis quàm tenebántur.

℟. Loquens *pag.* 253.

Lectio v.

DIcit autem ipse Angelus: septuagínta annórum hebdómadas, id est, annos quadringéntos nonagínta, ab éxitu sermónis, ut respondeátur, & ut ædificétur Jerúsalem; vicésimum Artaxérxis regis Persárum annum habére princípium. Nehémias quippe, hujus pincérna, sicut in Esdræ libro légimus, rogávit regem, accepítque respónsum ut ædificarétur Jerúsalem. Et iste egréssus est sermo qui extruéndæ urbis & circumdándæ muris daret licéntiam; quæ usque ad illud tempus vicinárum géntium patébat incúrsibus; síquidem ad Cyri regis impérium, qui voléntibus revérti Jerosólymam déderat potestátem, Jesus póntifex, & Zoróbabel, & pósteà Esdras sacérdos, & cæteri qui cum eis proficísci volúerant, templum & urbem & muros ejus ædificáre conáti sunt, pro-

hibéntibus in circúitu natiónibus, ne implerétur opus, quasi hoc rex non jussísset.

℟. Exclamávit p. 254.

Lectio vj.

MAnsit ítaque imperféctum opus usque ad Nehémiam, & vicésimum annum regis Artaxérxis: quo témpore, regni Persárum centum & quíndecim anni fúerant evolúti; captivitátis autem Jerúsalem centésimus octogésimus & quintus annus erat: & tunc primùm Artaxérxes jussit muros éxtrui Jerúsalem, cui óperi præfuit Nehémias; & ædificáta est plátea, & muri circúmdati; & ex illo témpore, si numeráre velis, septuagínta annórum hebdómadas usque ad Christum póteris inveníre.

℟. Benedíctus p. 255.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 14.

IN illo témpore; Cùm intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisæórũ sábbato manducáre panem, & ipsi observábant eum: & ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et résiqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Lib. 16. *Moral. in Job.* *Cap.* 23. & 24.

QUantálibet sit justítia óperis, apud intérnum Júdicem nulla est, si hanc élevat tumor méntis. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória; & qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur. Quæ nimírum senténtia à Veritátis ore non díscrepat, dicéntis: Omnis qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. Unde & per Salomónem dícitur: Antequàm conterátur, exaltátur cor hóminis; & ántequàm gloriétur, humiliátur. Rectè autem dícitur: Qui inclináverit óculos suos, ipse salvábitur, quia quantùm per membrórum ministérium deprehéndi potest, prima supérbiæ osténsio esse in óculis solet. Oculos ergo inclináre, est nullum respiciéndo despícere, sed se minórem atque ímparem cunctis quos áspicit, æstimáre. Salvábitur qui óculos inclínat, quia qui falsum supérbiæ vérticem déserit, veritátis

altitúdinem ascéndit.

℞. Cùm invitátus fúeris ad núptias, * Non discúmbas in primo loco, ne fortè honorátior te sit invitátus, & qui te vocávit, dicat tibi: Da huic locum. ℣. Ubi fúerit supérbia, ibi erit & contumélia; ubi autem est humílitas, ibi & sapiéntia. * Non. *Luc.* 14. *Prov.* 11.

Hom. 7. in Evang. num. 4.

Lectio viij.

REstat ergo ut in omne quod scit, sese mens déprimat, ne quod virtus sciéntiæ cóngregat, ventus elatiónis tollat. Cùm bona, fratres, ágitis, semper ad memóriam malè acta revocáte, ut dum cautè culpa conspícitur, nunquam de bono ópere incáutè ánimus lætétur. Superióres ínvicem, eos máximè qui vobis commíssi non sunt, próximos vestros atténdite, quia & quos ágere áliqua prava conspícitis, quæ in eis láteant bona nescítis. Magnus ergo unusquísque esse stúdeat, sed tamen áliquo modo esse se néssciat, ne dum sibi magnitúdinem arrogánter tríbuit, amíttat. Hinc étenim per Prophétam dícitur: Væ qui sapiéntes estis in óculis vestris, & coram vobismetípsis prudéntes. Hinc Paulus ait: Nolíte prudéntes esse apud vosmetípsos. Hinc contra superbiéntem Saül dícitur: Cùm esses párvulus in óculis tuis, caput in tríbubus Israël factus es. Ac si apértè dicerétur: Cùm tu te párvulum conspíceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia verò tu te magnum cónspicis, à me parvus æstimáris.

℞. Recúmbe in novíssimo loco, ut qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supériùs. * Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus.

℣. Mélius est ut dicátur tibi, Ascénde, quàm ut humiliéris. * Tunc. *Luc.* 14. *Prov.* 25.

Lectio ix.

SI ergo sancti viri, étiam cùm agunt fórtia, de semetípsis vília séntiunt; quid in sua excusatióne dictúri sunt, qui sine ópere virtútis intuméscunt? Sed etsi quælibet bona adsint ópera, nulla sunt, nisi ex humilitáte condiántur. Miránda quippe áctio cum elatióne non

élevat, sed gravat. Qui enim sine humilitáte virtútes cóngregat, in ventum púlverem portat; & unde áliquid ferre cérnitur, inde detériùs cæcátur. In cunctis ergo quæ ágitis, fratres mei, radícem boni óperis humilitátem tenéte; nec quibus jam superióres, sed quibus adhuc inferióres estis, aspícite, ut dum meliórum vobis exémpla propónitis, ad majóra semper ascéndere ex humilitáte valeátis.

℟. Supérbum séquitur humílitas; * Et † Húmilem spíritu suscípiet glória. ℣. Qui pótens est, dispérsit supérbos, & exaltávit húmiles. * Et húmilem. Glória. † Húmilem. *Prov.* 29. *Luc.* 1.

Ad Benedíctus

Ant. 1. Jesus dixit ad Legisperítos & Pharisæos: Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse verò apprehénsum sanávit hydrópicum, ac dimísit. *Luc.* 14.

Oratio.

TUa nos, quæsumus, Dómine, grátia semper & prævéniat & sequátur, ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Trecénsi.

An. 1459. *lib.* 3. *fol.* 93.

INhibeant sacerdótes suis parochiánis, ne diébus Domínicis negótia seculária exérceant, sive nundínas, sive mercáta frequéntent, propter quod à servítio divíno impediántur; sed ad ecclésiam véniant, præcépta ecclesiástica auditúri, ut sciant quáliter in Hebdómada opórteat eos vívere, sicut festa cólere & jejúnia celebráre.

Ad Magníficat

Ant. 7. Respóndens Jesus ad Legisperítos, dixit: Cujus vestrûm ásinus aut bos in púteum cadet, & non contínuò éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respondére illi. *Luc.* 14.

Oratio ut supra ad Laud.

FERIA SECUNDA

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 6.

VIri illi intelligéntes regem, dixérunt ei: Scito, rex, quia lex Medórum atque Persárum est, ut omne decrétum quod constitúerit rex, non líceat immu-

tári. Tunc rex præcépit: Et adduxérunt Daniélem, & misérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, & pósitus est super os laci, quem obsignávit rex ánnulo suo & ánnulo optimátum suórum, ne quid fieret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum suam, & dormívit incœnátus, cibíque non sunt alláti coram eo; ínsuper & somnus recéssit ab eo.

℟. Sit nomen *pag.* 251.

Lectio ij.

TUnc rex primo dilúculo consúrgens, festínus ad lacum leónum perréxit: appropinquánsque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus est eum: Dániel, serve Dei vivéntis, Deus tuus cui tu servis semper, putásne váluit te liberáre à leónibus? Et Dániel regi respóndens, ait: Rex, in ætérnum vive: Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi, quia coram eo justítia invénta est in me: sed & coram te, rex, delíctum non feci. Tunc veheménter gavísus est super eo, & Daniélem præcépit edúci de lacu: eductúsque est Dániel de lacu, & nulla læsio invénta est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubénte autem rege, addúcti sunt viri illi qui accusáverant Daniélem, & in lacum leónum missi sunt ipsi, & filii, & uxóres eórum, & non pervenérunt usque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes; & ómnia ossa eórum comminuérunt.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

TUnc Dárius rex scripsit univérsis pópulis, tríbubus, & linguis habitántibus in univérsa terra: Pax vobis multiplicétur. A me constitútum est decrétum, ut in univérso império & regno meo tremíscant & páveant Deum Daniélis: ipse est enim Deus vivens, & ætérnus in sæcula; & regnum ejus non dissipábitur, & potéstas ejus usque in ætérnum: ipse liberátor atque salvátor, fáciens signa & mirabília in cœlo & in terra: qui liberávit Daniélem de la-

eu leónum. Porrò Dániel persevérávit usque ad regnum Daríi, regnúmque Cyri Persæ.

℟. Apparuérunt p. 252.

CANON.

Ex Concílio Reménsi.

An. 1583. *Tit. de Libris.* *N.* 2. *& Burdigalensi eodem Anno. Tit.* 3.

Quisquis beneficium áliquod ecclesiásticum adéptus est, sive cum cura, sive sine cura, & quisquis sacris ordínibus est initiátus, sciat se ad preces quotidiánas, quæ Breviário continéntur, recitándas obligári; quas si omíserit, legítimo cessánte impediménto, fructus benefícii pro rata parte omissiónis ámittat: & si eos recéperit, restitutióni se sciat obnóxium..... Qui autem pensiónem ex iis frúctibus aut res ecclesiásticas ut Cléricus pércipit, is pari modo se ad offícium beátæ Maríæ Vírginis obligátum esse sciat.



FERIA TERTIA

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 7.

Anno primo Baltássar regis Babylónis, Dániel sómnium vidit. Vísio autem cápitis ejus in cubíli suo: & sómnium scribens, brevi sermóne comprehéndit; summatímque perstríngens, ait: Vidébam in visióne mea nocte; & ecce quátuor venti cœli pugnábant in mari magno. Et quátuor béstiæ grandes ascendébant de mari divérsæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habébat áquilæ: aspiciébam, donec evúlsæ sunt alæ ejus, & subláta est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hóminis datum est ei. Et ecce béstia ália símilis urso in parte stetit: & tres órdines erant in ore ejus, & in déntibus ejus; & sic dicébant ei: Surge, cómede carnes plúrimas. Post hæc aspiciébam, & ecce ália quasi pardus, & alas habébat quasi avis, quátuor super se, & quátuor cápita erant in béstia, & potéstas data est

ei. Posthæc aspiciébam in visióne noctis, & ecce béstia quarta terríbilis atque mirábilis, & fortis nimis.

℞. Loquens *pag.* 253.

Lectio ij.

ASpiciébam ergo in visióne noctis: & ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat, & usque ad Antíquum diérum pervénit; & in conspéctu ejus obtulérunt eum. Et dedit ei potestátem, & honórem, & regnum; & omnes pópuli, tribus & linguæ ipsi sérvient: potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur; & regnum ejus, quod non corrumpétur. Hórruit spíritus meus: ego Dániel términus sum in his, & visiónes cápitis mei conturbavérunt me. Accéssi ad unum de assisténtibus, & veritátem quærébam ab eo de ómnibus his. Qui dixit mihi interpretatiónem sermónum, & dócuit me: Hæ quátuor béstiæ magnæ, quátuor sunt regna quæ consúrgent de terra. Suscípient autem regnũ Sancti Dei altíssimi; & obtinébunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculórum.

℞. Exclamávit *p.* 254.

Lectio iij.

POst hoc vólui diligénter díscere de béstia quarta, quæ erat dissímilis valde ab ómnibus, & terríbilis nimis: dentes & ungues ejus férrei; comedébat, & comminuébat, & réliqua pédibus suis conculcábat: & de córnibus decem quæ habébat in cápite, & de álio quod ortum fúerat, ante quod cecíderant tria córnua; & de cornu illo, quod habébat óculos & os loquens grándia, & majus erat cæteris. Aspiciébam, & ecce cornu illud faciébat bellum advérsùs sanctos, & prævalébat eis, donec venit Antíquus diérum, & judícium dedit sanctis Excélsi; & tempus advénit, & regnum obtinuérunt sancti. Et sic ait: Béstia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit ómnibus regnis, & devorábit univérsam terram, & conculcábit & comminuet eam. Porrò córnua decem ipsíus regni, decem reges erunt: & álius consúrget post eos, & ipse poténtior erit prió-

ribus, & tres reges humiliábit, & sermónes contra Excélsum loquétur, & sanctos Altíssimi cónteret: & putábit quòd possit mutáre témpora & leges; & tradéntur in manu ejus usque ad tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et judícium sedébit ut auferátur poténtia, & conterátur, & dispéreat usque in finem.

℟. Benedictus *p.* 255.

CANON.

Ex Concílio Basileénsi.

Anno 1431. *Sess.* 21. *C.* 5.

QUoscúmque benefiiátos seu in sacris constitútos, cùm ad horas canónicas teneántur, ádmonet hæc sancta Synodus, si oratiónes suas Deo accéptas fore cúpiunt, ut non in gútture, vel inter dentes, seu deglutiéndo, aut syncopándo dictiónes, diúrnum nocturnúmque officium reverénter verbísque distínctis péragant.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 8.

ANno tértio regni Baltássar regis, vísio appáruit mihi. Ego Dániel, post id quod víderam in princípio, vidi in visióne mea, cùm essem in Susis castro quod est in Ælam regióne: vidi autem in visióne esse me super portam Ulaï. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce áries unus stabat ante palúdem, habens córnua excélsa, & unum excélsius áltero atque succréscens. Pósteà vidi arietem córnibus ventilántem contra Occidéntem, & contra Aquilónem, & contra Merídiem; & omnes béstiæ non póterant resístere ei, neque liberári de manu ejus: fecítque secúndùm voluntátem suam, & magnificátus est. Et ego intelligébam; ecce autem hircus caprárum veniébat ab occidénte super fáciem totíus terræ, & non tangébat terram: porrò hircus habébat cornu insígne inter óculos suos.

℟. Sit nomen *p.* 251.

Lectio ij.

ET audívi unum de sanctis loquéntem. Et dixit unus sanctus álteri, néscio cui loquénti: Usquequò vísio, & juge sacrifícium, & peccátum desolatiónis quæ facta est: & sanctuárium, & forti-

túdo conculcábitur ? Et dixit ei : Usque ad vésperam & manè, dies duo míllia trecénti : & mundábitur sanctuárium. Factum est autem, cùm vidérem ego Dániel visiónem, & quærerem intelligéntiam, ecce stetit in conspéctu meo quasi spécies viri. Et audívi vocem viri inter Ulaï ; & clamávit, & ait : Gábriel, fac intellígere istum visiónem. Et venit, & stetit juxta ubi ego stabam : cùmque venísset, pavens córrui in fáciem meam ; & ait ad me : Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur vísio. Cùmque loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

ET tétigit me, & státuit me in gradu meo, dixítque mihi : Ego osténdam tibi quæ futúra sunt in novíssimo maledictiónis, quóniam habet tempus finem suum. Arìes quem vidísti habére córnua, rex Medórum est atque Persárum. Porrò hircus caprárum, rex Græcórum est ; & cornu grande quod erat inter óculos ejus, ipse est rex primus. Quòd autem fracto illo, surrexérunt quátuor pro eo ; quátuor reges de gente ejus consúrgent, sed non in fortitúdine ejus. Et post regnum eórum, cùm créverint iniquitátes, consúrget rex ímpudens fácie, & intélligens propositiónes. Et roborábitur fortitúdo ejus, sed non in víribus suis ; & supra quàm credi potest, univérsa vastábit, & prosperábitur, & fáciet ; & interfíciet robústos, & pópulum sanctórum secúndùm voluntátem suam, & dirigétur dolus in manu ejus.

℟. Apparuérunt *p.* 252.

CANON.

Ex Concílio Treviirénsi.
Anno 1549. *C.* 6.

CAveant, qui áliis occupáti negótiis, extra chorum Horas privátim legunt, ne somnolénté, aut truncátis verbis, aut intra fauces compréssо spiritu preces demurmuráre videántur ; sed articulátè, distínctè, disértè, & cum attentióne íntegrè ómnia pronúntient.



FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap. 9.*

IN anno primo Dárii filii Assuéri, de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldæórum, anno uno regni ejus: ego Dániel intelléxi in libris númerum annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut compleréntur desolatiónis Jerúsalem septuagínta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deũ meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféssus sum, & dixi: Obsecro, Dómine Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te, & custodiéntibus mandáta tua: peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus & declinávimus à mandátis tuis ac judíciis: non obedívimus servis tuis Prophétis qui locúti sunt in nómine tuo régibus nostris, princípibus nostris, pátribus nostris omníque pópulo terræ.

℟. *Loquens pag.* 253.

Lectio ij.

ADhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel quem víderam in visióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, & locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, & intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo; ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, & intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna, & impleátur vísio & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórum.

℟. Exclamávit *p.* 254.

Lectio iij.

SCito ergo, & animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, & hebdómades sexagínta duæ

erunt : & rursum ædificábitur plátea, & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus ; & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : & finis ejus vástitas, & post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : & in dimídio hebdómadis deficiet hóstia & sacrifícium : & erit in templo abominátio desolatiónis, & usque ad consummatiónem & finem persevérábit desolátio.

℟. Benedictus *p.* 255.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *Part.* 3. *Tit.* 2.

SAcérdos, clericúsve sacris initiátus, aut ecclesiásticum beneficiũ óbtinens, Horárum canonicárum offício cùm astríctus sit, memínerit, se febri morbóve áliquo, vel advérsâ valetúdine léviter aliquándo laborántem, non justam proptéreà excusatiónem habére, quamóbrem illud intermíttat omittátve. *Itaque siquándo* córporis infirmitáte afféctus est, ipse pro sua consciéntia rectè vídeat, quid præstáre possit, ac ne omitténdo gráviter peccet, & benefícii quod habet, fructus suos non fáciat.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 10.

IN diébus illis, ego Dániel lugébam trium hebdomadárũ diébus : panem desiderábilem non comédi, & caro & vinum non introiérunt in os meũ ; sed neque unguénto unctus sum, donec compleréntur trium hebdomadárũ dies. Die autem vigésimâ & quartâ mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, & vidi : & ecce vir unus vestítus líneis, & renes ejus accíncti auro obrízo : & corpus ejus quasi chrysólithus, & fácies ejus velut spécies fúlguris ; & óculi ejus ut lampas ardens ; & bráchia ejus ; & quæ deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candéntis ; & vox sermónum ejus ut vox multitúdinis.

℟. Sit nomen pag. 252.

Lectio ij. Cap. 12.

ET ecce quasi duo álii stabant, unus hinc super ripam flúminis, & álius inde ex áltera ripa flúminis. Et dixi viro qui erat indútus líneis, qui stabat super aquas flúminis: Usquequò finis horum mirabílium? Et audivi virum qui indútus erat líneis, qui stabat super aquas flúminis, cùm eleváisset déxteram & sinístram suã in cœlum, & jurásset per Vivéntem in ætérnum, quia in tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et cùm compléta fúerit dispérsio manûs pópuli sancti, complebúntur univérsa hæc. Et ego audívi, & non intelléxi.

℟. Fuérunt *pag.* 252.

Lectio iij.

ET dixi: Dómine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade, Dániel, quia clausi sunt signatíque sermónes usque ad præfinítum tempus. Eligéntur, & dealbabúntur & quasi ignis probabúntur multi: & ímpiè agent ímpii, neque intélligent omnes ímpii; porrò docti intélligent. Et à témpore cùm ablátum fúerit juge sacrifícium, & pósita fúerit abominátio in desolatiónem, dies mille ducénti nonagínta. Beátus qui expéctat & pervénit usque ad dies mille trecéntos trigínta quinque. Tu autem vade ad præfinítum: & requiésces, & stabis in sorte tua in finem diérum.

℟. Apparuérunt *p.* 252.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 21.

QUi Sacris initiáti, benefícium Ecclesiásticum non habent, si divínum prætermíserint Offícium, præter grave peccátum quod commíttunt, gráviter étiam ab Epíscopis in eos animadvertátur.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13. & 14.

REx Astyages appósitus est ad patres suos; & suscépit Cyrus Perses regnum ejus. Erat autem Dániel convíva regis, & honorátus super omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios, nómine Bel: & impendebántur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duó-

decim, & oves quadraginta, viníque ámphoræ sex. Rex quoque colébat eum, & ibat per síngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorábat Deum suum. Dixítque ei rex: Quare non adóras Bel? Qui respóndens, ait ei: Quia non colo idóla manufácta, sed vivéntem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet potestátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum: Non vidétur tibi esse Bel vivens deus? an non vides quanta cómedat & bibat quotídiè? Et ait Dániel arrídens: Ne erres, rex; iste enim intrínsecùs lúteus est, & forínsecùs æreus, neque cómedit aliquándo.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Noct. Dom. XV. post Pentecost.* p. 253.

Lectio ij.

ET irátus rex vocávit sacerdótes ejus, & ait eis: Nisi dixéritis mihi quis est qui cómedat impénsas has, moriémini: si autem ostendéritis quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blasphemávit in Bel. Et dixit Dániel regi: Fiat juxta verbum tuum. Erant autem sacerdótes Bel septuagínta, excéptis uxóribus, & párvulis, & fíliis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt sacerdótes Bel: Ecce nos egrédimur foras; & tu, rex, pone escas, & vinum misce, & claude óstium, & signa ánnulo tuo, & cùm ingréssus fúeris manè, nisi invéneris ómnia coméſta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus est advérsùm nos. Contemnébant autem, quia fécerant sub mensa abscónditum introitum, & per illum ingrediebántur semper, & devorábant ea. Factum est ígitur, postquàm egréssi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel. Præcépit Dániel púeris suis, & attulérunt cínerem, & cribrávit per totum templum coram rege: & egréssi clausérunt óstium: & signántes ánnulo regis, abiérunt.

Lectio. iij.

SAcerdótes autem ingréssi sunt nocte juxta consuetúdinem suam, & uxóres, & fílii eórum: & comedérunt ómnia, & bibérunt. Surréxit autem rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait

rex : Salva ne sunt signácula, Dániel ? Qui respóndit : Salva, rex. Statímque cùm aperuísset óstium, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnâ : Magnus es, Bel, & non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel, & ténuit regem ne ingrederétur intrò ; & dixit : Ecce paviméntum, animadvérte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex : Vídeo vestígia virórum, & muliérum, & infántium. Et irátus est rex. Tunc appréhendit sacerdótes, & uxóres, & filios eórum : & ostendérunt ei abscóndita ostióla per quæ ingrediebántur, & consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex, & trádidit Bel in potestátem Daniélis, qui subvértit eum, & templum ejus.

C A N O N.

Ex Concílio Treviriénsi primo.

Anno 1549. *Tit.* 6. *de Horis Canon.*

OMnes qui Horis canónicis persolvéndis deputáti sunt, dent óperam ut, colléctis ánimis, quoad fieri potest, débitum pensum absólvant ; nec ità se hábeant, ut, dum voce psallunt, quidquid pótiùs quàm Deum, ánimo cogitáre videántur.

DOMINICA XVII. *post Pentecosten.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 1. Duódecim Prophetárum ossa púllulent de loco suo ; nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt se in fide virtútis. *Eccli.* 49.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Osée Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

VErbum Dómini, quod factum est ad Osée filium Beéri in diébus Oziæ, Jóatham, Achaz, Ezechíæ regum juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israël. Princípium loquéndi Dómino in Osée. Et dixit Dóminus ad Osée : Vade : sume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi filios fornicatiónum, quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, & accépit Gomer filiam Debélaïm : & concépit, & péperit ei

filium. Et dixit Dóminus ad eum : Voca nomen ejus, Jézrahel, quóniam adhuc módicum, & visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, & quiéscere fáciam regnum domûs Israël. Et in illa die cónteram arcum Israël in valle Jézrahel.

℟. Dómui Juda miserébor, & * Salvábo eos in Dómino Deo suo; & non salvábo eos in arcu & gládio, & in bello, & in equis, & in equítibus. ℣. Non voléntis, neque curréntis, sed miseréntis est Dei. * Salvábo. *Os.* 1. *Rom.* 9.

Lectio ij.

ET concépit adhuc, & péperit filiam. Et dixit ei : Voca nomen ejus, Absque misericórdia : quia non addam ultrà miseréri dómui Israël, sed oblivióne oblivíscar eórum. Et dómui Juda miserébor, & salvábo eos in Dómino Deo suo; & non salvábo eos in arcu & gládio, & in bello, & in equis, & in equítibus. Et ablactávit eam quæ erat Absque misericórdia. Et concépit, & péperit filium. Et dixit : Voca nomen ejus, Non pópulus meus, quia vos non pópulus meus, & ego non ero vester. Et erit númerus filiórum Israël quasi aréna maris, quæ sine mensúra est, & non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis, Non pópulus meus vos; dicétur eis : Filii Dei vivéntis. Et congregabúntur filii Juda, & filii Israel páriter, & ponent sibimet caput unum, & ascéndent de terra; quia magnus dies Jézrahel.

℟. Dicit Dóminus : Miserébor ejus quæ fuit Absque misericórdia, & * Dicam Non pópulo meo : Pópulus meus es tu; & ipse dicet : Deus meus es tu. ℣. Deus vocávit nos non solùm ex Judæis, sed étiam ex géntibus, sicut in Osée dicit. * Dicam Non pópulo. *Os.* 2. *Rom.* 9.

Lectio iij. *Cap.* 2.

DIcite frátribus vestris : Pópulus meus; & sorόri vestræ : Misericórdiam consecúta. Judicáte matrem vestram, judicáte, quóniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus. Auferat fornicatiónes suas à fácie sua, & adultéria sua de médio úberum suó-

rum, ne fortè expóliem eam nudam, & státuam eam secúndùm diem nativitátis suæ, & ponam eam quasi solitúdinem, & státuam eam velut terram ínviam, & interfíciam eam siti. Et filiórum illíus non miserébor, quóniam filii fornicatiónum sunt, quia fornicáta est mater eórum, confúsa est quæ concépit eos; quia dixit: Vadam post amatóres meos, qui dant panes mihi & aquas meas, lanam meam & linum meũ, óleum meum & potum meum. Propter hoc ecce ego sépiam viam tuam spinis, & sépiam eam macériâ, & sémitas suas non invéniet. Et sequétur amatóres suos, & non apprehéndet eos; & quæret eos, & non invéniet, & dicet: Vadam, & revértar ad virum meum priórem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

℟. Dies multos sedébunt filii Israël sine rege, sine sacrifício, & sine altári: & post hæc reverténtur, * Et quærent Dóminum Deum suum; & † Pavébunt ad Dóminum, *& ad bonum* ejus.

℣. Propter incredulitátem fracti sunt rami: sed & illi si non permánserint in incredulitáte, inseréntur; potens est enim Deus íterum insérere illos. * Et quærent. Glória. † Pavébunt. *Os.* 3. *Rom.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Lib.* 18. *Cap.* 27.

Lectio iv.

IN cápite libri Osée prophétæ, qui primus in duódecim pónitur, ita scriptum est: Verbum Dómini quod factum est ad Osée in diébus Ozíæ, & Jóathan, & Achaz, & Ezechíæ, regum Juda. Amos quoque diébus regis Ozíæ prophetásse se scribit. Michæas étiam eádem suæ prophetíæ commémorat témpora post dies Ozíæ; nam tres qui sequúntur, reges nóminat, quos & Osée nominávit, Jóathan, & Achaz, & Ezechíam. His adjúngitur Jonas, eódem Ozíâ rege regnánte; & Joël, cùm jam regnáret Jóathan, qui succéssit Ozíæ. Ac per ea témpora isti velut fontes prophetíæ páriter erupérunt, quando

regnum defécit Aſſyrium, cœpítque Románum: ut ſcilicet quemádmodùm regni Aſſyriórum primo témpore éxtitit Abraham, cui promiſſiónes apertíſſimæ fierent in ejus sémine benedictiónis ómnium géntium; ita occidentális Babylónis exórdio, quâ fúerat Chriſtus imperánte ventúrus, in quo impleréntur illa promíſſa, orácula Prophetárum, non ſolùm loquéntium, verùm étiam ſcribéntium, in tantæ rei futúræ teſtimónium ſolveréntur.

℟. Conteſtátus es, Dómine, in ſpíritu tuo per manum Prophetárum tuórum; & non audiérunt. * Et tradidíſti eos in manu populórum: in miſericórdiis autem tuis plúrimis non fécíſti eos in conſumptiónem, quóniam Deus miſeratiónum & clemens es tu. ℣. Occidérunt Prophétas, & nos perſecúti ſunt, ut ímpleant peccáta ſua ſemper: pervénit enim ira Dei ſuper illos. * Et tradidíſti 2. *Eſdr.* 9. 1. *Theſſ.* 2.

Lectio v. Cap. 28.&30.

OSée ígitur prophéta, *quantò profúndiùs* quidem lóquitur, tantò operóſiùs penetrátur. Sed áliquid inde ſuméndum eſt, & hic ex noſtra promiſſióne ponéndum. Et erit, inquit, in loco quo dictum eſt eis, Non pópulus meus vos, vocabúntur & ipſi filii Dei vivi. Hoc teſtimónium prophéticum de vocatióne pópuli géntium, qui priùs non pertinébat ad Deum, étiam Apóſtoli intellexérunt. Amos quoque de rebus tálibus ſic prophétat: Præpara, inquit, te, ut invoces Deum tuum Iſraël, quia ecce ego firmans tonítruum, & creans ſpíritum, & annúntians in homínibus Chriſtum ſuũ. Michæas prophéta Chriſtum in figúra ponens cujúſdam magni montis, hæc lóquitur: Erit in noviſſimis diébus maniféſtus mons Dómini parátus ſuper vértices móntiũ. Prædícens iſte Prophéta & locum in quo natus eſt Chriſtus: Et tu, inquit, Béthleem domus Ephráta, nequáquàm mínima es, ut ſis in míllibus Juda: ex te mihi pródiet, ut ſit in príncipem Iſraël; & egréſſus ejus ab inítio, & ex diébus æternitátis,

℟. Quid est, Israël, quòd in terra inimicórum es? inveterásti in terra aliéna. * Dereliquísti fontem sapiéntiæ; nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempitérna. ℣. Tu Judæus qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras. * Dereliquísti. *Baruc.* 3. *Rom.* 2.

Lectio vj. Cap. 30. & 31.

JOnas autem prophéta, non tam sermóne Christum, quàm suâ quâdam passióne prophetávit; proféctò apértius, quàm si ejus mortem & resurrectiónem voce clamáret: Ut quid enim excéptus est ventre belluíno, & die tértio rédditus, nisi ut significáret Christum de profúndi inférni die tértio reditúrum? Joël ómnia quæ prophétat, multis verbis compéllit expóni, ut quæ pértinent ad Christum & Ecclésiam dilucéscant. Unum tamen quod étiam Apóstoli commemoravérunt, quando in congregátos credéntes Spíritus Sanctus, sicut à Christo promíssus fúerat, désuper venit, non prætermíttam. Et erit, inquit, post hæc, & effúndam de Spíritu meo super omnem carnem; & prophetábunt fílii vestri & fíliæ vestræ. Abdias, quantùm ad scriptúram ejus áttinet, ómnium brevíssimus Prophetárum, advérsùs Idumæam lóquitur. Porrò, si Idumæam modo locutiónis, quo intellígitur à parte totum, accipiámus pósitam esse pro Géntibus, de Christo agnóscere póssumus quod ait inter cætera: In monte autem Sion erit salus, & erit sanctum.

℟. Conforténtur manus vestræ, qui audítis in his diébus sermónes Prophetárum: * Et erit, † Sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda & domus Israël; sic éritis benedíctio. ℣. Vos estis fílii Prophetárum, & testaménti quod dispósuit Deus ad patres nostros. * Et erit. Glória. † Sicut. *Zach.* 8. *Act.* 3.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore; Pharisæi audiéntes quòd siléntium imposuísset Jesus Sadducæis, convenérunt;

in unum; & interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Epist. 155. *Cap.* 4. *num.* 14. & 15.

CHristus, id est Véritas, dicit in his duóbus præcéptis totam Legem Prophetásque pendére, Ut diligámus Deum ex toto corde, ex tota ánima, ex tota mente; &, Diligámus próximos tanquã nosmetipsos. Próximus sanè hoc loco non sánguinis propinquitáte, sed ratiónis societáte pensándus est, in qua sócii sunt omnes hómines. Cùm ergo illâ dilectióne quam divína lex ímperat, débeat homo dilígere Deum, & seípsum, & próximum, non tamen ex hoc tria præcépta data sunt; nec dictum est, In his tribus; sed in his duóbus præcéptis tota Lex pendet & Prophétæ; id est, In dilectióne Dei ex toto corde, ex tota ánima, & ex tota mente, & próximi tanquàm suî ipsíus: vidélicet ut intelligerétur nullam esse áliam dilectiónem, quâ quisque díligit seípsum, nisi quòd díligit Deum.

℟. Interrogávit Jesum unus legis doctor tentans eum: Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo: * Hoc est máximum & primum mandátum. ℣. Quid Dóminus Deus tuus petit à te, nisi ut díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo & in tota ánima tua? * Hoc. *Matth.* 22. *Deut.* 10.

Lectio viij.

QUi enim áliter se díligit, pótiùs se odísse dicéndus est. Fit quippè iníquus, privatúrque luce justítiæ, cùm à potióre ac præstantióre bono avérsus, atque inde vel ad seípsum convérsus, ad inferióra & egéna útique convértitur; fitque in ipso quod veracíssimè scriptum est: Qui autem amat iniquitátem, odit ánimam suam. Quia ígitur nemo, nisi Deum diligéndo, díligit seipsum; non opus erat, ut dato de Dei dilectióne præcépto, étiam seípsum homo dilígere ju-

berétur, cùm in eo díligat seipsum quòd díligit Deũ.

℟. Secúndùm mandátum símile est huic: * Díliges próximum tuum sicut teipsum. ℣. Dílige próximum, & conjúngere fide cum illo. * Díliges. *Matth.* 22. *Eccli.* 27.

Lectio ix.

DEbet ergo & próximum dilígere tanquàm seipsum, ut quem potúerit hóminem, vel beneficéntiæ consolatióne, vel informatióne doctrínæ, vel disciplínæ coercitióne, addúcat ad coléndum Deum, sciens in his duóbus præcéptis totam Legem Prophetásque pendére. Hoc qui sóbriâ discretióne éligit, prudens est: qui nullâ hinc afflictióne avértitur, fortis est: qui nullâ áliâ delectatióne, témperans est: Qui nullâ elatióne, justus est. His virtútibus divínitùs impertítis, per grátiam mediatóris Dei cum Patre, & nobíscum hóminis Jesu Christi, per quem post inimicítias iniquitátis reconciliámur Deo in spíritu caritátis; his, inquam, virtútibus divínitùs impertítis, & bona vita nunc ágitur, & pósteà præmium ejus, quæ nisi ætérna esse non potest, beáta vita persólvitur. Hîc enim sunt eædem virtútes in actu, ibi in efféctu: hîc in ópere, ibi in mercéde: Hîc in officio, ibi in fine.

℟. Bene, Magíster, in veritáte dixísti: Quia unus est Deus; &, Ut diligátur ex toto corde: * Et, Dilígere próximum tanquàm seipsum, majus est ómnibus holocautomátibus & sacrificiis. ℣. Qui facit misericórdiam, offert sacrifícium: beneplácitum est Dómino recédere ab injustítia. * Et. Glória. * Et. *Marc.* 12. *Eccli.* 35.

Ad Benedictus

Ant. 4. Beatus homo cui donatum est habére timórem Dei, timor Dei inítium dilectiónis ejus. *Eccli.* 25.

Oratio.

SAncti nóminis tui, Dómine, timórem páriter & amórem fac nos habére perpétuum, quia nunquam tuâ gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concilio Moguntino.

Anno

Anno 1549. *Cap.* 61.

SAnctórum celebritátes in diem Domínicam incidéntes censémus submovéndas, & in Fériam áliquam præcedéntem vel sequéntem transferéndas, quò sanctórum ómnium Dómino sua consservétur solémnitas, excéptis beátæ Maríæ, Apostolórum & áliis summis festivitátibus.

Ad Magnificat

Ant. 6. Si quis díxerit, quóniam dílígo Deum, & fratrem suum óderit, mendax est: Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quómodò potest dilígere? 1. *Joan.* 4.

Oratio ut supra ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 6.

IN tribulatióne sua manè consúrgent ad me: Veníte, & revertámur ad Dóminum, quia ipse cœpit, & sanábit nos; percútiet, & curábit nos. Vivificábit nos post duos dies, in die tértia suscitábit nos, & vivémus in conspéctu ejus. Sciémus sequemúrque ut cognoscámus Dóminum: quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus, & véniet quasi imber nobis temporáneus & serótinus terræ. Quid fáciã tibi, Ephraïm? Quid fàciam tibi, Juda? Misericórdia vestra quasi nubes matutína, & quasi ros manè pertránsiens. Propter hoc dolávi in prophétis, occídi eos in verbis oris mei; & judícia tua quasi lux egrediéntur. Quia misericórdiam vólui, & non sacrifícium, & sciéntiam Dei, plusquàm holocáusta.

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio ij. *Cap.* 11.

SIcut manè tránsiit, pertránsiit rex Israël. Quia puer Israël, & diléxi eum: & ex Ægypto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt à fácie eórum. Báalim immolábant & simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrítius Ephraïm portábam eos in bráchiis meis; & nesciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis: & ero eis quasi exáltans jugum super maxíllas eórum; & declinávi ad eum ut vesceréturs.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij. *Cap. 13.*

PErdítio tua, Israël: tantúmmodò in me auxílium tuum. Ubi est rex tuus? Máximè nunc salvet te in ómnibus úrbibus tuis; & júdices tui, de quibus dixísti: Da mihi regem & príncipes. Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne mea. Colligáta est iníquitas Ephraïm, abscónditum peccátum ejus. Dolóres parturiéntis vénient ei: ipse filius non sápiens; nunc enim non stabit in contritióne filiórum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inférne: consolátio abscóndita est ab óculis meis.

℟. Dies multos *p.* 284.

C A N O N.

Ex Concílio Trevirénsi. *Anno* 1547. *Cap.* 8. & *Aquensi Anno* 1585.

NOn clamans sed amans cantat in aure Dei: audit enim ille vocem cordis, sine qua sonum oris contémnit. Quare vidéndum est, ut qui ore psallunt & mente psallant..... in choro Clerus non vagétur óculis, incompósito córporis situ ne stet & sédeat.

FERIA TERTIA.

Incipit Joël Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

VErbum Dómini, quod factum est ad Joël fílium Phátuel. Audíte hoc, senes; & áuribus percípite, omnes habitatóres terræ: si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, & filii vestri fíliis suis, & filii eórum generatióni álteræ. Resíduum erúcæ comédit locústa, & resíduum locústæ comédit bruchus, & resíduum bruchi comédit rubígo.

℟. Contestátus *p.* 285.

Lectio ij. *Cap. 2.*

ET erit post hæc: Effúndam Spíritum meum super omnem carnem; & prophetábunt filii vestri & fíliæ vestræ: senes vestri sómnia somniábunt, & júvenes vestri visiónes vidébunt. Sed & super servos meos & ancíllas in diébus illis effúndam Spíritum meum. Et dabo prodígia in cœlo & in terra, sánguinem, & ignem, & vapórem fumi. Sol convertétur in téne-

bras, & luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et erit, Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit, quia in monte Sion & in Jerúsalem erit salvátio, sicut dixit Dóminus, & in resíduis quos Dóminus vocáverit.

℟. Quid est *p.* 286.

Lectio iij. *Cap.* 3.

Consúrgant & ascéndant gentes in vallem Jósaphat, quia ibi sédebo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit messis: veníte, & descéndite, quia plenum est tórcular, exúberant torculária, quia multiplicáta est malítia eórum. Pópuli, pópuli in valle concisiónis, quia juxta est dies Dómini in valle concisiónis. Sol & luna obtenebráti sunt, & stellæ retraxérunt splendórem suum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam; & movebúntur cœli & terra: & Dóminus spes pópuli sui, & fortitúdo filiórum Israël. Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester hábitans in Sion monte sancto meo: & erit Jerúsalem sancta, & alieni non transíbunt per eam ámpliùs.

℟. Confortentur *p.* 286.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quinto.

An. 1579. *Part.* 3. *cap.* 6.

Chori disciplína ..... plena pietátis est: ac proptéreà sanctè ab iis observánda est, qui in eum locum convéniunt ad Dei laudes concelebrándas.

FERIA QUARTA.

Incipit Amos Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

Verba Amos qui fuit in pastóribus de Thécuë, quæ vidit super Israël in diébus Oziæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israël ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam; & luxérunt speciósa pastórum, & exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Damásci, & super quátuor non convértam eum, eò quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in do-

mum Azaël, & devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damásci : & dispérdam habitatórem de campo idóli, & tenéntem sceptrum de domo voluptátis ; & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio ij. *Cap.* 6.

VÆ qui opuléntí estis in Sion, & confiditis in monte Samaríæ ; optimátes cápita populórum, ingrediéntes pompáticè domum Israel. Transíte in Chálane, & vidéte, & ite inde in Emath magnam; & descéndite in Geth Palæstinórum, & ad óptima quæque regna horum, si látior términus eórum término vestro est. Qui separáti estis in diem malum, & appropinquátis sólio iniquitátis : qui dormítis in lectis ebúrneis, & lascivítis in stratis vestris: qui coméditis agnum de grege, & vítulos de médio arménti. Qui cánitis ad vocem psaltérii ; sicut David putavérunt se habére vasa cántici. Bibéntes vinum in phíalis, & óptimo unguénto delibúti ; & nihil *patiebántur* super con*tritióne Joseph*. Quaprópter nunc migrábunt in cápite transmigrántium, & auferétur fáctio lasciviéntium.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij. *Cap.* 7.

ET misit Amásias sacerdos Bethel ad Jeróboam regem Israël, dicens : Rebellávit contra te Amos in médio domûs Israël : non póterit terra sustinére univérsos sermónes ejus. Hæc enim dicit Amos : In gládio moriétur Jeróboam, & Israël captívus migrábit de terra sua. Et dixit Amásias ad Amos : Qui vides, grádere, fuge in terram Juda, & cómede ibi panem, & prophetábis ibi : & in Bethel non adjícies ultrà ut prophétes, quia sanctificátio regis est, & domus regni est. Respondítque Amos, & dixit ad Amásiam : Non sum prophéta, sed armentárius ego sum, véllicans sycómoros : & tulit me Dóminus, cùm séquerer gregem, & dixit Dóminus ad me : Vade, prophéta ad pópulum meum Israël. Et nunc audi verbum Dómini : Tu dicis : Non prophetábis super Israël, & non stillá-

bis super domum idóli. Propter hoc hæc dicit Dóminus: Uxor tua in civitáte fornicábitur, & filii tui & filiæ tuæ in gládio cadent, & humus tua funículo metiétur: & tu in terra pollúta moriéris; & Israël captívus migrábit de terra sua.

℟. Dies multos *p.* 284.

CANON.

Ex Concílio Tridentino. *Sess. 22. de Sacrif. Missæ Cap. 5.*

CUm natúra hóminũ ea sit, ut non fácilè queat sine adminículis exterióribus ad rerum divinárum meditatiónem sustólli; proptéreà pia mater Ecclésia . . . . . Ceremónias . . . . . adhíbuit ut mysticas Benedictiónes, lúmina, thymiámata, vestes, aliáque id genus multa ex Apostólica discipléna & traditióne, quò . . . . . . mentes fidélium per hæc visibília religiónis & pietátis signa ad rerum altissimárum quæ in sacrifício Missæ latent, contemplatiónem excitaréntur.



FERIA QUINTA

Incipit Abdias Prophéta.

Lectio j.

VIsio Abdiæ. Hæc dicit Dñs Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes misit: Súrgite, & consurgámus advérsùs eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in géntibus: contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te habitántem in scissúris petrárum exaltántem sólium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, & si inter sídera posúeris nidum tuũ; inde détraham te, dicit Dóminus.

℟. Contestátus *p.* 285.

Lectio ij.

NUmquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Iduмæa, & prudéntiam de monte Esaü? Et timébunt fortes tui à merídie, ut intéreat vir de monte Esaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confusio & peribis in ætérnum. In

die cùm stares advérsùs eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & super Jerúsalem mittébant sortem; tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Quid est *pag.* 286.

Lectio iij.

IN monte Sion erit salvátio, & erit Sanctus: & possidébit domus Jacob eos qui se posséderant. Et erit domus Jacob, ignis; & domus Joseph, flamma; & domus Esaü, stípula: & succendéntur in eis & devorábunt eos; & non erunt relíquiæ domûs Esaü, quia Dóminus locútus est. Et hæreditábunt hi qui ad Austrum sunt montem Esaü, & qui in campéstribus Philísthiim: & possidébunt regiónem Ephraïm, & regiónem Samaríæ: & Bénjamin possidébit Gálaad. Et transmigrátio exércitûs hujus filiórum Israël, ómnia loca Chananæórum usque ad Saréptam: & transmigrátio Jerúsalem, quæ in Bósphoro est, possidébit civitátes Austri. Et ascéndent salvatóres in montem Sion judicáre montem *Esaü; & erit Dómino regnum.*

℟. Confortentur *p.* 286.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 7. Decret. de Sacram. Eccl. Can.* 13.

SI quis díxerit, recéptos & approbátos Ecclésiæ Cathólicæ ritus in solémni Sacramentórum administratióne adhibéri consuétos, aut contémni, aut sine peccáto à minístris pro líbito omítti, aut in novos álios per quemcúmque Ecclésiæ Pastórem mutári posse: anathéma sit.

FERIA SEXTA

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

ET factum est verbum Dómini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem grandem, & prædica in ea: Quia ascéndit malítia ejus coram me. Et surréxit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à fácie Dómini, & descéndit in Joppen, & invénit navem eúntem in Tharsis; & dedit naulum ejus, & descéndit in eam ut iret cum eis in Tharsis à fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum mag-

num in mare, & facta est tempéstas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum suum, & misérunt vasa quæ erant in navi in mare, ut alleviarétur ab eis. Et Jonas descéndit ad interióra navis, & dormiébat sopóre gravi. Et accéssit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu sopóre deprímeris? surge, invoca Deum tuum, si fortè recógitet Deus de nobis, & non pereámus.

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio ij. *Cap.* 1. & 2.

ET dixit ad eos: Tóllite me & míttite in mare, & cessábit mare à vobis; scio enim ego quóniam propter me tempéstas hæc grandis venit super vos. Et remigábant viri ut reverteréntur ad áridam, & non valébant, quia mare ibat, & intumescébat super eos. Et clamavérunt ad Dóminum & dixérunt: Quæsumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri istius, & ne des super nos sánguinem innocéntem, quia tu, Dómine, sicut voluísti, fecísti. Et tulérunt Jonam, & misérunt in mare: & stetit mare à fervóre suo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum; & immolavérunt hóstias Dómino, & vovérunt vota. Et præparávit Dóminus piscem grandem ut deglutíret Jonam. Et erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij. *Cap.* 2. & 3.

ET dixit Dóminus pisci: & evómuit Jonam in áridam. Et factum est verbum Dómini ad Jonam secúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam; & prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, & ábiit in Níniven juxtà verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus; & clamávit, & dixit: Adhuc quadragínta dies, & Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum, & prædicavérunt jejúniũ, & vestiti sunt saccis à majóre usque ad

minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive; & surréxit de sólio suo, & abjécit vestiméntum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis & príncipum ejus, dicens: Hómines & juménta, & boves, & pécora non gustent quidquam, nec pascántur, & aquam non bibant: & operiántur saccis hómines & juménta, & clament ad Dóminum in fortitúdine; & convertátur vir à via sua mala, & ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur & ignóscat Deus, & revertátur à furóre iræ suæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala: & misértus est Deus super malítiam quam locútus fúerat ut fáceret eis, & non fecit.

℟. Dies multos *p.* 284.

CANON.

Ex Concílio Cameracénsi. *An.* 1565. *de Cærem. c.* 6.

CÆremóniæ omnes quæ signácula sunt pietátis & Religiónis Christiánæ, quasque vel ab Apóstolis, vel ab Ecclésiæ Cathólicæ traditióne quasi per manum accépimus: ut sanctè & piè sunt invéctæ, sic religiósè conservéntur in Ecclésiis..... novæ autem nullæ recipiántur...... sine Epíscópi judício.

SABBATO.

Incipit Michæas Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

VErbum Dómini quod factum est ad Michæam Morasthíten in diébus Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda; quod vidit super Samaríam & Jerúsalem. Audíte, pópuli omnes; & atténdat terra & plenitúdo ejus: & sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo, & descéndet; & calcábit super excélsa terræ. Et consuméntur montes subtus eum; & valles scindéntur sicut cera à fácie ignis, & sicut aquæ quæ decúrrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, & in peccátis domûs Israël. Quod scelus Jacob? Nonne Samaría? Et quæ excélsa Judæ? Nonne Jerúsalem? Et ponam Sama-

riam quasi acérvum lápidum in agro, cum plantátur vínea; & détraham in vallem lápides ejus, & fundaménta ejus revelábo.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij. *Cap.* 3.

HÆc dicit Dóminus super Prophétas qui sedúcunt pópulum meum, qui mordent déntibus suis & prædicant pacem: & si quis non déderit in ore eórum quíppiam, sanctíficant super eum prælium. Proptéreà nox vobis pro visióne erit, & ténebræ vobis pro divinatióne; & occúmbet sol super prophétas, & obtenebrábitur super eos dies. Et confundéntur qui vident visiónes & confundéntur divíni, & opérient omnes vultus suos, quia non est respónsú Dei. Verúmtamen ego replétus sum fortitúdine Spíritûs Dómini, judício & virtúte, ut annúntiem Jacob scelus suum, & Israël peccátum suum.

Lectio iij. *Cap.* 5.

ET tu, Béthlehem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda: ex te mihi *egrediétur qui sit dominátor in Israël; & egréssus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet; & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Israël. Et stabit, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; & converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax.

C A N O N.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *Part.* 9. *cap.* 16.

QUidquid in Cæremóniis ad abúsum & superstitiónem spectat, & quo pópulus à Deo ad collocándum in extérnis istis áliquam fidúciam abdúci possit, prohibémus.

DOMINICA XVIII *post Pentecosten.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 5. Prophetavérunt Aggæus & Zacharías ad Judæos qui erant in Jerúsalem, in nómine Dei Israël. Et cœpérunt ædificáre templum Dei, & cum eis Prophétæ Dei adjuvántes eos. 1. *Esdr.* 5.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

ONus Nínive: Liber visiónis Nahũ Elcesæi. Deus æmulátor, & ulcíscens Dóminus: ulcíscens Dóminus, & habens furórem: ulcíscens Dóminus in hostes suos, & iráscens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare & exsíccans illud, & ómnia flúmina ad desértum dedúcens. Infirmátus est Basan & Carmélus; & flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desoláti sunt, & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? & quis resístet in ira furóris ejus? Indignátio ejus effúsa est ut ignis, & petræ dissolútæ sunt ab eo.

℟. Dómui *pag.* 285.

Lectio ij.

BOnus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis, & sciens sperántes in se. Et in dilúvio prætereúnte consommatiónem fáciet loci ejus: & inimícos ejus persequéntur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? Consummatiónem ipse fáciet: non consúrget duplex tribulátio. Quia sicut spinæ se ínvicem complectúntur, sic convívium eórum páriter potántium: consuméntur quasi stípula ariditáte plena. Ex te exíbit cógitans contra Dóminum malítiam, mente pertráctans prævaricatiónem.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus: Si perfécti fúerint, & ita plures; sic quoque attondéntur, & pertransíbit. Afflíxi te, & non afflígam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus de dorso tuo, & víncula tua dirrúmpam. Et præcípiet super te Dóminus, non seminábitur ex nómine tuo ámpliùs: de domo dei tui interfíciam scúlptile & conflátile: ponam sepúlchrum tuum, quia inhonorátus es. Ecce super montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festi-

vitátes tuas, & redde vota tua, quia non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial: univérsus intériit.

℟. Dies multos *p.* 284.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

Lib. 18. *Cap.* 31. & 32.

Lectio iv.

NAhum prophéta, imo per illum Deus: Exterminábo, inquit, sculptília & conflatília: ponam sepultúram tuam, quia velóces ecce super montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. Célebra, Juda, dies festos tuos, redde vota tua, quia jam non adjícient ultrà ut tránseant in vetustátem. Consummátum est, consúmptum est, ablátum est. Ascéndit qui insúfflat in fáciem tuam erípiens te ex tribulatióne. Quis ascénderit ab ínferis, & insuffláverit in fáciem Judæ, hoc est, Judæórum discipulórum, Spíritum Sanctum récolat, qui méminit Evangélium. Hábacuc de quo álio, quàm de Christi advéntu qui futúrus fúerat, intellígitur dícere: Et respóndit Dóminus ad me, & dixit: *Scribe visum apértè in buxo*, ut assequátur qui legit ea, quia adhuc vísio ad tempus, & oriétur in fine & non in vácuum: si tardáverit, sústine eum, quia véniens véniet, & non morábitur. In oratióne autem sua cum cántico, cui nisi Dómino Christo, dicit: Dómine, audívi auditiónem tuam, & tímui; Dómine considerávi ópera tua, & expávi? Quid enim hoc est, nisi præcógnitæ, novæ ac repentínæ salútis hóminum ineffábilis admirátio.

℟. Contestatus *p.* 285.

Lectio v. Cap. 33. & 35.

SOphoníæ autem prophétæ, qui cum Jeremía prophetábat, hæc prædícta de Christo ínterim ponam: expécta me, dicit Dñs, in die resurrectiónis meæ, in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem gentes & cólligam regna. Restant tres minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis, Aggæus, Zacharías, Malachías. Quorum Aggæus Christum & Ecclésiam hâc apértiùs brevitáte prophétat: Hæc dicit Dóminus exercítuū: Adhuc unum módicum est, & ego commovébo

cœlum & terram, & mare & áridam, & movébo omnes gentes : & véniet Desiderátus cunctis géntibus.

℟. Quid est *pag.* 286.

Lectio vj.

ZAcharías de Christo & Ecclésia, Exúlta, inquit, valde, fília Sion; júbila, fília Jerúsalem : ecce rex tuus véniet tibi, justus & salvátor; ipse pauper, & ascéndens super ásinam & super pullum fílium ásinæ; & potéstas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Hoc quando factum sit, ut Dóminus Christus in itínere juménto hujus géneris uterétur, in Evangélio légitur. Malachías prophétans Ecclésiam, quam per Christum cérnimus propagátam, Judæis apertíssimè dicit ex persóna Dei : Non est mihi volúntas in vobis, & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus; & in omni loco sacrificábitur & offerétur nómini meo oblátio munda. Hoc sacrifícium per sacerdótium Christi secúndùm órdinem Melchísedech, cùm in omni loco à solis ortu usque ad occásum Deo jam videámus offérri; sacrifícium autem Judæórum, quibus dictum est : Non est mihi volúntas in vobis, nec accípiam de mánibus vestris munus, cessásse negáre non possunt. Quid adhuc expéctant álium Christum, cùm hoc quod prophetátum legunt & implétum vident, impléri non potúerit, nisi per ipsum.

℟. Conforténtur *p.* 286.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 9.

IN illo témpore; Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit & venit in civitátem suam. Et réliqua.

Homília Sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 50.

CHristum in humánis áctibus divína gessísse mystéria, & in rebus visibílibus invisibília exercuísse negótia, léctio hodiérna monstrávit. Nonne ipse est qui, fugátis flúctibus, maris profúnda nudávit, ut Israëlíticus pópulus in-

ter stupéntes undas, sicco vestígio, velut móntium cóncava pertransiret? Nonne hic est qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut inter líquidum humánis gréssibus sólidum præbéret obséquiũ? Et quid est quòd ipse sibi maris sic déneget servitútem, ut brevíssimi lacûs tránsitum sub náutica mercéde transfretáret? Quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, & suas nobis conférre virtútes; humána quærere, præstáre divína; accípere injúrias, reddere dignitátes; ferre tædia, reférre sanitátes, quia médicus qui non fert infirmitátes, curáre nescit; & qui non fúerit cum infirmo infirmátus, infirmo non potest conférre sanitátem.

℟. Ecce viri portántes hóminem qui erat paralyticus, quærébant eum pónere ante Jesum. Et * Non inveniéntes quâ parte illum inférrent præ turba, per tégulas summisérunt eum cum lecto in médium.

℣. Spes illórum in salvántem illos, & óculi Dei in diligéntes se. * Non.
Luc. 5. *Eccli.* 34.

Lectio viij.

CHristus ergo si in suis mansísset virtútibus, commúne cum homínibus nihil habéret; & si non impléßet carnis órdinē carnis in illo esset otiósa suscéptio. Sustínuit ergo has necessitátes, ut homo verus humánis necessitátibus probarétur. Et venit in civitátem suam. Creator rerum, orbis Dóminus, postéaquàm se propter nos nostrâ coangustávit in carne, cœpit habére humánam pátriam: cœpit civitátis Judáicæ esse civis: paréntes habére cœpit, paréntum ómnium ipse parens, ut invitáret amor, attráheret cáritas, vinciret afféctio, suadéret humánitas quos fugârat dominátio, metus dispérserat, & fécerat ejus potestátis extórres. Et ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto; & respíciens Jesus fidem illórum, dixit paralytico: Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Audit véniam, & tacet paralyticus, nec ullam respóndet grátiam, quia plùs córporis quàm ánimæ tendébat ad curam; & temporáles ærúmnas resolúti córporis sic defle-

bat, ut ætérnas pœnas resolutiónis ánimæ non defléret, gratiórem sibi præséntem vitam júdicans, quàm futúram. Mérito Christus operántium fidem réspicit, & vecórdiam réspicit sic jacéntis, ut fidei aliénæ suffrágio paralytici ánima ante curarétur quàm corpus.

℞. Videns Jesus fidem illórum, dixit paralytico: * Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. ℣. Per misericórdiam & fidem purgántur peccáta.* Confide. *Matth.* 9. *Prov.* 15.

Lectio ix.

CErnitis in hoc loco, fratres, Deum non interrogáre insipiéntium hóminum voluntátes, non expectáre ignorántium fidem, non infirmórum stulta desidéria perscrutári, sed ad altérius fidem súbvenire, quod per solam grátiam conferébat, cùm quidquid divínæ voluntátis est, non negáret. Et réverâ, fratres, quando médicus languéntium aut quærit aut réspicit voluntátes, cùm semper contrária desíderet aut requírat infirmus? Hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc amára pócula íngerit & appónit invítis; ut curam sani séntiant, quam non póterant sentire ægrotántes. Et si homo injúrias déspicit, maledícta contémnit, ut sauciátis morbo sponte vitam cónferat & salútem; quantò magis Christus médicus bonitáte divínâ, morbis sáucios peccatórum, & phrénesi críminum laborántes, ad salútem étiam invítos áttrahit & noléntes? O si velímus, fratres, ô si velímus omnem mentis nostræ paralysim pervídere, ánimam nostram virtútibus destitútam jácere in vitiórum stratis cernerémus. Lucéret nobis quemádmodum Christus & nostras quotídie nóxias réspicit voluntátes, & ad salutária nos remédia pértrahit & perúrget invitos.

℞. Ego sum, ego sum, ipse qui * Déleo iniquitátes tuas propter me; & † Peccatórum tuórum non recordábor. ℣. Dixit Jesus: Homo, remittúntur tibi peccáta tua. * Déleo. Glória. † Peccatórum. *Isai.* 43. *Luc.* 5.

Ad Benedíctus

Ant. 1. Ait Jesus paralytico: Surge, tolle lectum tuū

& vade in domum tuam. Et surréxit, & ábiit in domum suam. *Matth.* 9.

Oratio.

DIrigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio, quia tibi sine te placére non póssumus. Per.

CANON.

Ex Concílio Frisingénsi. *Anno* 1440. *Cap.* 15.

MAndámus in virtúte sanctæ obediéntiæ, & vólumus omnes sacerdótes qui paróchiis præsunt, síngulis diébus Domínicis aquam & sal benedícere, ac eósdem unà cum toto Clero ad ipsas Ecclésias spectánte, horis consuétis, ante Missárum solémnia processionáliter circumíre.

Ad Magnificat

Ant. 8. Vidéntes turbæ, timuérunt, & glorificavérunt Deum qui dedit potestátem talem homínibus. *Matth.* 9.

Oratio ut suprà ad Laud.

FERIA SECUNDA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

ONus quod vidit Hábacuc prophéta. Usquequò, Dómine, clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem & labórem, vidére prædam & injustítiam contra me? Et factum est judícium, & contradíctio poténtior. Propter hoc laceráta est lex, & non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet advérsùs justum; proptéreà egréditur judícium pervérsum.

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio ij. *Cap.* 2.

SUper custódiam meam stabo, & figam gradum super munitiónem; & contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, & quid respóndeam ad arguéntem me. Et respóndit mihi Dóminus, & dixit: Scribe visum, & explána eum super tábulas, ut percúrrat qui légerit eum, quia adhuc visus procul & apparébit in finem, & non mentiétur: si moram fécerit, expécta illum, quia véniens véniet, & non tardábit. Ecce qui incredúlus est, non erit recta anima ejus in semetípso; justus autem in fide sua vivet. Et quómodò vinum potántem

décipit ; sic erit vir supérbus, & non decorábitur : qui dilatávit quasi inférnus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimplétur, & congregábit ad se omnes gentes ; & coacervábit ad se omnes pópulos. Numquid non omnes isti super eum parábolam sument, & loquélam ænígmatum ejus ; & dicétur : Væ ei qui multíplicat non sua : Usquequò & ággravat contra se densum lutum ?

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij.

NUmquid non repéntè consúrgent qui mórdeant te, & suscitabúntur lacerántes te, & eris in rapínam eis ? Quia tu spoliásti gentes multas, spoliábunt te omnes qui réliqui fúerint de pópulis propter sanguinem hóminis, & iniquitátem terræ civitátis & ómnium habitántium in ea. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excélso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali. Cogitásti confusiónem dómui tuæ, concidísti pópulos multos, & peccávit anima tua. Quia lapis de pariete clamábit, & lignum quod inter junctúras ædificiórum est, respondébit. Væ qui ædíficat civitátem in sanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. Numquid non hæc sunt à Dómino exercítuum ? laborábunt enim pópuli in multo igne, & gentes in vácuum, & defícient.

℟. Dies multos *p.* 284.

CANON.

Ex Concílio Burdigalénsi. *Anno* 1683. *Tit.* 5.

AB omni Ecclesiástico cantu quævis música lascívum quídpiam & vulgáres cantinélas, aut levitátem similésque inéptias réferens, omnínò arceátur : Sed gravis ubíque sit & divínis láudibus accommodáta, ut eâ circumstántium fidélium ánimi ad majórem pietátem, devotiónem ac religiónem ardéscant.

FERIA TERTIA.

Incipit Sophonías Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

VErbum Dómini quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ, fílii E-

zecíæ in diébus Josíæ, filii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus. Cóngregans hóminem & pecus, cóngregans volatília cœli & pisces maris; & ruínæ impiórum erunt: & dispérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitántes Jerúsalem; & dispérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æedituórum cum sacerdótibus; & eos qui adórant super tecta milítiam cœli, & adórant & jurant in Dómino, & jurant in Melchom; & qui avertúntur de post tergum Dómini; & qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum.

℟. Contestátus *p.* 285.

Lectio. ij.

IN témpore illo scrutábor Jerúsalem in lucérnis: & visitábo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in córdibus suis: Non fáciet bene Dóminus, & non faciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem & domus eórũ in desértum: & ædificábunt domos, & non habitábunt; & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà est dies Dómini magnus; juxtà est & velox nimis: vox diéi Dómini amára, tribulábitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulatiónis & angústiæ, dies calamitátis & misériæ, dies tenebrárum & calíginis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris super civitátes munítas & super ángulos excélsos. Et tribulábo hómines: & ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt; & effundétur sanguis eórum sicut humus, & córpora eórum sicut stércora. Sed & argéntum eórum, & aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini.

℟. Quid est *pag.* 286.

Lectio iij. *Cap.* 3.

EXpécta me, dicit Dóminus in die resurrectiónis meæ in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem gentes, & cólligam regna; & effúndam super eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium eléc-

tum, ut invocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ, inde súpplices mei; filii dispersórum meórum déferent munus mihi. in die illa non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis; quibus prævaricáta es in me, quia tunc áuferam de médio tuî magníloquos supérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámpliùs in monte sancto meo. Et derelínquam in médio tuî pópulum pauperem & egénum; & sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israël non fácient iniquitátem: & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa, quóniam ipsi pascéntur & accubábunt, & non erit qui extérreat.

℟. Conforténtur *p.* 286.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

Anno 816. *cap.* 137.

STudéndum summópere cantóribus est, ne donum sibi divínitùs collátum vítiis fœdent, sed pótiùs illud humilitáte, & cæteris sanctárum virtútum ornaméntis exórnent: quorum melódia ánimos pópuli circumstántis ad memóriam amorémque cœléstium non solùm sublimitáte verbórum, sed étiam suavitáte sonórum érigat.

FERIA QUARTA

Incipit Aggæus Prophéta.

Lectio j. *Cap* 1.

IN anno secúndo Dárii regis, in mense sexto, in die una mensis factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jesum filium Jósedec, sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domûs Dómini ædificándæ. Et factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis; & domus ista desérta?

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio. ij.

HÆc dicit Dóminus Exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum: & acceptábilis mihi erit; &

glórificábor, dicit Dóminus. Respexístis ad ámpliùs & ecce factum est minus; & intulístis in domum, & & exsufflávi illud: quam ob causam, dicit Dóminus exercítuum? Quia domus mea desérta est, & vos festinátis unusquísque in domum suam. Propter hoc super vos prohíbiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij.

HÆc dicit Dóminus exercítum: Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes gentes; & véniet Desiderátus cunctis géntibus: & implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. Meum est argéntum, & meum est aurum, dicit Dóminus exercítuum. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plusquàm primæ, dicit Dóminus exercítuum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Dies multos *p.* 284.

CANON.

Ex Concílio *Bituricénsi.* *Anno* 1584. *Tit.* 14. *de Pueris Choristis.*

CAthólica Ecclésia cœléstem & triumphántem imitáta, choros Angelórum réferens, rectè & sanctè púeros chorístas in templis & Ecclésiis constituit, qui assíduis cántibus chórum Ecclésiæ éxcitent. Et non tantùm voce, sed étiam compósitis móribus & hábitu & litterulis pro captu ætátis ornátos esse opórtet.

FERIA QUINTA.

Incipit Zacharías Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 1.

IN mense octávo, in anno secúndo Darii regis, factum est verbū Dómini ad Zacharíam filium Barachíæ filii Addo, prophétam dicens: Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum; & convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant Prophétæ prióres, dicéntes: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini de viis vestris

malis, & de cogitatiónibus vestris péssimis; & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus.

℟. Contestatus *p.* 285.

Lectio ij. *Cap.* 3.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meam custodíeris; tu quóque judicábis domum meam, & custódies átria mea, & dabo tibi ambulántes de his qui nunc hîc assístunt. Audi, Jesu sacerdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri portendéntes sunt. Ecce enim ego addúcam servum meū Oriéntem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu: super lápidem unum septem óculi sunt: ecce ego cælábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum, & áuferam iniquitátem terræ illíus in die una. In die illa, dicit Dóminus exercítuum, vocábit vir amícum suum subter vitem & subter ficum.

℟. Quid est *pag.* 286.

Lectio iij. *Cap.* 9.

EXúlta satis, fília Sion, júbila, fília Jerúsalem. Ecce rex tuus véniet tibi justus & salvátor; ipse pauper, & ascéndens super ásinam & super pullum fílium ásinæ. Et dispérdam quadrígam ex Ephraïm, & equum de Jerúsalem; & dissipábitur arcus belli; & loquétur pacem géntibus, & potéstas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine testaménti tui emisísti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Convertímini ad munitiónem, vincti spei; hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi. Quóniam exténdi mihi Judam quasi arcum, implévi Ephraïm; & suscitábo fílios tuos Sion, super fílios tuos, Græcia; & ponam te quasi gládium fórtium. Et Dóminus Deus super eos vidébitur; & exibit ut fulgur jáculum ejus; & Dn̄s Deus in tuba canet, & vadet in túrbine Austri. Dóminus exercítuum próteget eos: & devorábunt, & subjícient lapídibus fundæ: & bibéntes inebriabúntur quasi à vino; & replebúntur ut phíalæ, & quasi córnua altáris. Et salvábit eos Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli

sui, quia lápides sancti elevabúntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulcrum ejus, nisi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℟. Conforténtur *p.* 286.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricénsi. *Anno* 1584. *Tit.* 14. *de Pueris Chorist. Can.* 2.

SIt puerórum choristárum rector aut præcéptor bonæ & probátæ vitæ & fidei, ... qui músicam & ritum Ecclésiæ ritè cálleat: qui sédulò eos dóceat, ... qui .... cùm illis cibum sumat, nec aliò divértat: curam eórum gerat, tum ánimi, tum córporis.... eos ad Ecclésiam ducat & redúcat; & nunquàm, nisi eo duce, extra domum incédere sinat.

FERIA SEXTA
De Zacharía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 11.

TUli virgam meam, quæ vocábatur Decus; & abscídi eam ut írritum fácerem fœdus meum quod percússi cum ómnibus pópulis. *Et in írritum dedúctum* est in die illa: & cognovérunt sic páuperes gregis, qui custódiunt mihi, quia verbum Dómini est. Et dixi ad eos: Si bonum est in óculis vestris, afférte mercédem meam, & si non, quiéscite. Et appendérunt mercédem meam trigínta argénteos. Et dixit Dóminus ad me: Prójice illud ad statuárium, decórum prétium quo appretiátus sum ab eis. Et tuli trigínta argénteos, & projéci illos in domum Dómini ad statuárium. Et præcídi virgam meam secúndam, quæ appellabátur Funículus, ut dissólverem germanitátem inter Judam & Israël. Et dixit Dóminus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastóris stulti, quia ecce ego suscitábo pastórem in terra, qui derelícta non visitábit, dispérsum non quæret, & contrítum non sanábit, & id quod stat non enútriet, & carnes pínguium cómedet & úngulas eórum dissólvet. O pastor, & idólum, derelínquens gregem! gládius super bráchium ejus, & super óculum dextrum ejus; bráchium ejus ariditáte siccábitur, & óculus dexter

ejus tenebréscens obscurábitur.

℟. Dómui *pag.* 283.

Lectio ij. Cap. 12.

IN die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem: & erit qui offénderit ex eis in die illa, quasi David; & domus David, quasi Dei, sicut angelus Dómini in conspéctu eórum. Et erit in die illa, quæram contérere omnes gentes quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ & precum; & aspícient ad me quem confixérunt: & plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℟. Dicit *pag.* 283.

Lectio iij. Cap. 13.

ET erit: in die illa confundéntur prophétæ, unusquísque ex visióne sua cùm prophetáverit; nec operiéntur pállio sáccino, ut mentiántur; sed dicet: Non sum prophéta, homo agrícola ego sum; quóniam Adam exémplū meū ab adolescéntia mea. *Et dicétur* ei: Quid sunt *plagæ istæ* in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea, suscitáre super pastórem meum, & super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuū: pércute pastórem, & dispergéntur oves: & convértam manum meam ad párvulos.

℟. Dies multos *p.* 284.

CANON.

Ex Concílio Cameracénsi.

An. 1565. *Tit.* 6. *cap.* 4.

QUæ in choro cani debent ad instructiónem, eâ canántur voce, ut intelligántur mente, non autem órganis, quæ sic ædificáre néqueant ut viva vox, piæ mentis intérpres & núncia.

SABBATO.

Incipit Malachías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ONus verbi Dómini ad Israël in manu Malachíæ. Diléxi vos, dicit Dóminus; & dixístis: In quo dilexísti nos? Nonne frater erat Esaü Jacob, dicit Dóminus? Et diléxi Jacob, Esaü autem ódio hábui? & pósui montes ejus in so-

litúdinem, & hæreditátem ejus in dracónes desérti. Quòd si díxerit Idumæa: Destrúcti sumus, sed reverténtes ædificábimus quæ destrúcta sunt; hæc dicit Dóminus exercítuū: Isti ædificábunt & ego déstruam: & vocabúntur términi impietátis, & pópulus cui irátus est Dóminus usque in ætérnum. Et óculi vestri vidébunt; & vos dicétis: Magnificétur Dóminus super términum Israël. Fílius honórat patrem, & servus dóminum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dóminus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dóminus exercítuum? Ad vos, ô sacerdótes, qui despícitis nomen meum, & dixístis: In quo despéximus nomen tuum? Offértis super altáre meum panem pollútum; & dícitis: In quo pollúimus te? In eo quod dícitis: Mensa Dómini despécta est.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Noct. Dom. XVII. post Pentec.* p. 285.

Lectio ij.

SI offerátis cæcum ad immolándum, nonne malum est? & si offerátis *claudum & lánguidum*, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei, ut misereátur vestri, (de manu enim vestra factum est hoc) si quómodò suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis qui claudat óstia & incéndat altáre meum gratúitò? Non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítum; & munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus: & in omni loco sacrificátur, & offértur nómini meo oblátio munda, quia magnum est nomen meum in géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

Lectio iij. *Cap. 4.*

ECce dies véniet succénsa quasi camínus; & erunt omnes supérbi, & omnes faciéntes impietátem, stípula; & inflammábit eos dies véniens, dicit Dóminus exercítuum, quæ non derelínquet eis radícem & germen. Et oriétur vobis timéntibus nomen meum

Sol justítiæ ; & sánitas in pennis ejus ; & egrediémini, & saliétis sicut vítuli de arménto. Et calcábitis ímpios, cùm fúerint cinis sub planta pedum vestrórum in die quà ego fácio, dicit Dóminus exercítuum. Mementóte legis Móysi servi mei, quam mandávi ei in Horeb ad omnem Israël, præcépta & judícia. Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequàm véniat dies Dómini magnus & horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum, ne fortè véniam, & percútiam terram anathémate.

CANON.

Ex Concílio Senonénsi. *Anno* 1528. *in Decret. mor. cap.* 17.

ORganórum usum Ecclésia à pátribus ad cultum servitiúmque divínum recépit. Nólumus ítaque quòd orgánicis instruméntis résonet in Ecclésiâ impudíca aut lascíva melódia, sed sonus omníno dulcis, qui nihil præter Hymnos divínos, & cántica spirituália repræséntet.

DOMINICA XIX.
post Pentecosten.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 3. Tobías factus est cæcus : Hanc autem tentatiónem ideò Dóminus permísit evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job. *Tob.* 2.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 1.

TObías ex tribu & civitáte Néphthali, (quæ est in superióribus Galilææ supra Naásson, post viam quæ ducit ad occidéntem, in sinístro habens civitátem Sephet) cùm captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit ; ita ut ómnia quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus qui erant ex ejus génere, impertíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit

in

in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos quos Jeróboam fécerat rex Israël, hic solus fugiébat consórtia ómnium sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israël, ómnia primitíva sua & décimas suas fidéliter ófferens; ita ut in tértio anno prosélytis & ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Hæc & his simília secúndùm legem Dei puérulus observábat.

℟. Tobías cùm esset júnior, nihil pueríle gessit in ópere: dénique * Cùm irent omnes ad vítulos áureos, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, & ibi adorábat. ℣. Pater tales quærit qui adórent eum. * Cùm irent. *Tob.* 1. *Joan.* 4.

Lectio ij.

Cum verò factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua; genuítque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, & abstinére ab omni peccáto. Igitur cùm per captivitátem devenísset cum uxóre sua & fílio in civitátem Níniven, cum omni tribu sua; cùm omnes éderent ex cibis gentílium, iste custodívit ánimam suam, & nunquam contaminátus est in escis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde suo, dedit illi Deus grátiam in conspéctu Salmánasar regis, & dedit illi potestátem quocúmque vellet ire, habens libertátem quæcúmque fácere voluísset.

℟. Quòmodò potúeris, esto miséricors: si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: * Si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude. ℣. Si volúntas prompta est, secúndùm id quod habet accépta est, non secúndùm id quod non habet: * Si exíguum. *Tob.* 4. 2. *Cor.* 8.

Lectio iij.

Pergébat ergo ad omnes qui erant in captivitáte, & mónita salútis dabat eis. Cùm autem venísset in Rages civitátem Medórum, & ex his quibus honorátus fúerat à rege, habuísset decem ta-

lénta argénti; & cùm in multa turba géneris sui Gabélum egéntem vidéret, qui erat ex tribu ejus, sub chirógrapho dedit illi memorátum pondus argénti. Post multum verò témporis, mórtuo Salmánasar rege, cùm regnáret Sennácherib fílius ejus pro eo, & filios Israël exósos habéret in conspéctu suo, Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem suam, & consolabátur eos, dividebátque unicuíque, prout póterat, de facultátibus suis; esuriéntes alébat, nudísque vestiménta præbébat, & mórtuis atque occísis sepultúram sollícitus exhibébat.

℟. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, sed * Multa bona habébimus, si timuérimus Deum, & recessérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni quod repromísit diligéntibus se? * Multa. Glória. * Multa. *Tob.* 4. *Jac.* 2.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Sancti Ambrósii *Epíscopi*, de Tobía.

Lectio iv. *Cap.* 1.

LEcto prophético libro, qui inscríbitur Tobías, quamvis plenè vobis virtútes sancti Prophétæ Scriptúra insinuáverit, tamen compendiário mihi sermóne de ejus méritis recenséndis & opéribus apud vos uténdum árbitror, ut ea quæ Scriptúra histórico more digéssit látiùs, nos stríctiùs comprehendámus, virtútum ejus génera velut quodam breviário colligéntes. Fuit Tobías vir justus, misericors, hospitális; & hoc virtútum prǽditus choro, súbiit ærúmnam captivitátis quam ferébat humíliter atque patiénter, commúnem magìs injúriam quàm privátam dolens; nec sibi virtútum suffrágia nihil profuísse deplórans, sed magìs eam sibi contuméliam minórem peccatórum suórum prétio illátam arbitrátus, méruit edíctum, ne quis ex fíliis captivitátis mórtuum sepultúræ daret.

℟. Cognáti Tobíæ irridébant vitam ejus: Tobías verò increpábat eos, dicens: * Fílii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus da-

túrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit. * Fílii sanctórum. *Tob.* 2. *Hebr.* 10.

Lectio v.

AT ille interdícto non revocabátur magis quàm incitabátur, ne desérere officium pietátis, mortis metu, viderétur; erat enim misericórdiæ prétium mortis pœna. Talis flagítii deprehénsus reus, vix tandem per amícum pótuit, dirépto património, egénus & exul restítui suis. Iterùm in his versabátur offíciis; & si quid aliménti foret, peregrínum cum quo cibum súmeret, quærébat. Itaque cùm fessus à sepultúræ revertísset múnere, appósitis sibi edéndi subsídiis, misso fílio, quærébat consórtem convívii. Dum convíva accérsitur; nuntiátis insepúlti córporis relíquiis, convívium deserébat: nec putábat pium ut ipse cibum súmeret, cùm in público corpus jacéret exánime. Hoc illi quotidiánum opus, & *magnum*,

℟. Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. * Ego sum Ráphaël Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. ℣. Grátia vobis & pax ab eo qui est, & à septem spíritibus qui in conspéctu troni ejus sunt. * Ego sum. *Tob.* 12. *Apoc.* 1.

Lectio vj. *Cap.* 2.

TAm sancto fessus officio Prophéta, dum requiéscit juxta paríetem aulæ, cadénte de pásserum nido stércore, albúgine cæcitátem íncidit; nec conquéstus ingémuit, nec dixit; Hæc merces labórum meórum? Fraudári magìs se dóluit obsequiórum, quàm oculórum múnere; nec cæcitátem pœnam, sed impediméntum putábat. Et cùm victum mercéde leváret cónjugis, ne quid furtívum domum suam intráret, cavébat. Dénique plùs honestáti quàm necessitáti cónsulens, cui sua déerant, commodáverat próximo suo pecúniam quamdam, quam toto vitæ suæ témpore in tanta indigéntia

non repopóscit. Vix, ubi se fessum vidit, & depósitum senectúte, insinuávit filio, non tam cúpiens commodátum repóscere, quàm sollícitus ne fraudáret hærédem. Quòd ígitur commodávit pecúniam, & non fœnerávit, justi servávit officium. Malum est enim fœnus quo quærúntur usúræ; sed non illud fœnus malum de quo scriptum est: Fœnera próximo tuo in témpore necessitátis illíus.

℟. Quia accéptus eras Deo, * Necésse fuit ut tentátio probáret te; & † Nunc misit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. ℣. Quem díligit Dóminus, castígat; flagéllat autem omnem fílium quem récipit. * Necésse fuit. Glória. † Nunc. *Tob.* 12. *Hebr.* 12.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 22.

IN illo témpore; Respóndens Jesus, dixit íterùm in parábolis Princípibus sacerdótum, & *Pharisæis*, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 3. *in Epist. ad Ephes. num.* 4.

SI (Christus) eum abdúxit & éxpulit qui sórdidâ veste erat indútus: ei qui córpori sordes adhibúerit, quid non fáciet, quómodò non eum affíciet? Multos vídeo qui Christi córporis sunt partícipes inconsiderátè & témerè; & magis ex consuetúdine & ex præscrípto, quàm ex cogitatióne & consideratióne. Si advénerit, inquit, tempus sanctæ quadragésimæ: qualiscúmque fúerit quíspiam, fit párticeps sacramentórum, si advénerit dies Epiphaniórum. Atqui tempus accedéndi non est: Epipihánia, neque quadragésima facit dignos qui accédant, sed ánimæ sincéritas & púritas. Cum ea semper accéde, absque ipsa nunquàm.

℟. Omnes de uno pane participámus. * Non potéstis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum: non potéstis men-

sæ Dómini participes esse, & mensæ dæmoniórum. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras, ne immúndi sitis. * Non potéstis. 1. *Cor.* 10. *Levit.* 11.

Lectio viij. Paulo post.

COgita qui véteris partícipes erant sacrificii, quantâ utebántur frugalitáte & abstinéntiâ: quid non agébant? Quid non faciébant? Undique & semper expurgabántur: tu autem accédens ad sacrificium quod ipsi stupent & venerántur Angeli, témporum períodis rem definis ac circumscribis? Et quómodò stabis ad tribúnal Christi, qui pollútis mánibus & labris ad corpus illud áudeas accédere? Et regem quidem ore maleolénte deosculári nolúeris: cœli autem regem fæténti & maléolenti ánimâ oscuIáris. Id planè est contumélia. Dic mihi, velléśne ad sacrifícium mánibus illótis accédere? Non ópinor: sed malles pótiùs non prorsùs accedére, quàm sórdidis mánibus; itáne cùm in re parva sis ádeò réverens & religiósus; sórdidam & immúndam habens ánimam accédis & audes tángere.

℟. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? Quæ sociétas luci ad ténebras? * Qui consénsus templo Dei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi. ℣. Dicit Dóminus: homo si alienátus fúerit à me, & posúerit idóla sua in corde suo, dispérdam eum de médio pópuli mei. * Qui consénsus. 2. *Cor.* 6. *Ezech.* 14.

Ex Homil. 24. in Epist. 1. ad Corinth. §. 5.

Lectio ix.

NOn dico ut non accedámus; sed ne témerè accedámus. Sicut enim témerè accédere, perículum est, sic his mysticis cænis non communicáre, fames est & mors. Hæc enim mensa nervi ánimæ nostræ, mentis vínculum, fidúciæ causa, spes, salus, lux, vita est... Abstérge ígitur ánimam, præpara mentem ad horum mysteriórum perceptiónem: Etenim si regis filius cum ornátu, púrpurâ & diadémate concréditus tibi esset gestándus, ómnia quæ sunt in terra abjecisses. Nunc autem non filium

regis, sed ipsum Dei filium unigénitum accipiens, non exhorréscis? Dic mihi: & non omnem sæculárium rerum amórem ábjicis? Neque illo tantùm ornátu gloriáris, sed adhuc in terram réspicis, pecúnias amas, & aurum inhias? ecquam habitúrus es véniam? quam excusatiónem?

℟. Suádeo tibi émere à me aurum ignítum probátum, ut lócuples fias, & vestiméntis albis induáris. * Ecce sto ad óstium & pulso: † Si quis audíerit vocem meam, intrábo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.

℣. Omni témpore sint vestiménta tua cándida. * Ecce sto. Glória. * Si quis. *Apoc.* 3. *Eccle.* 9.

Ad Benedictus

Ant. 8. Intrávit rex ut vidéret discumbéntes, & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli, & ait illi: Amíce, quómodò huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. *Matth.* 22.

Oratio.

Corda nostra, quæsumus, Dómine, grátiæ tuæ munéribus puríﬁca, ut spirituálium virtútum ornaméntis indúti; cœlésti tuo convívio digni efficiámur. Per.

CANON.

Ex Concílio Burdigalénsi. *Anno* 1683. *Tit.* 6.

Magistrátus omnes pro sui nostríque officii ratióne, quoad póssumus, adhortámur, ut, quod in ipsis máximè situm est, sacros dies ac solémnes piè sanctéque celebrári curent: tabérnas aperíri, vectúras & ópera quævis rústica exercéri prohíbeant. Quo témpore verò divínum officium explétur, aut conciónes habéntur, otiósam & vagam turbam è tabérnis, & foro, & pláteis ábigant, pænísque propósitis, rebus sacris interésse compéllant.

Ad Magnificat

Ant. 2. Dixit rex minístris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres; ibi erit fletus & stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci verò elécti. *Matth.* 22.

Oratio ut supra ad Laud.



FERIA SECUNDA.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap. 2.*

POst hæc cùm esset dies festus Dómini, & factum esset prándium bonum in domo Tobíæ, dixit fílio suo: Vade, & adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, ut epuléntur nobíscum. Cùmque abiísset, revérsus nuntiávit ei unum ex fíliis Israël jugulátum jacére in platéa. Statímque exíliens de accúbitu suo, relínquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus; tollénsque illud portávit ad domum suam occultè; ut, dum sol occubuísset, cautè sepelíret eum. Cùmque occultásset corpus, manducávit panem cum luctu & tremóre, mémorans illum sermónem quem dixit Dóminus per Amos prophétam: Dies festi vestri converténtur in lamentatiónem & luctum.

℟. Tobías *pag.* 313.

Lectio ij.

CUm verò sol occubuísset, ábiit, & sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicéntes: Jam hujus rei causâ intérfici jussus es, & vix effugísti mortis impérium; & iterùm sépelis mórtuos? Sed Tobías plùs timens Deum quàm regem, rapiébat córpora occisórum, & occultábat in domo sua, & médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem ut quâdam die fatigátus à sepultúra, véniens in domum suam, jactásset se juxta paríetem, & obdormísset, & ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fierétque cæcus. Hanc autem tentatiónem ídeò permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job.

℟. Quómodò *p.* 313.

Lectio iij. *Cap. 2. & 3.*

ANna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídie, & de labóre mánuum suárum victum quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factũ est ut hædum caprárum accípiens detulísset domi; cujus cùm vocem balántis vir ejus audísset, dixit, Vidéte ne fortè furtívus sit, réddite eum dóminis

suis; quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. Ad hæc uxor ejus iráta, respóndit: Maniféstè vana facta est spes tua, & eleemósynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his & áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei. Tunc Tobías ingémuit, & cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es, Dómine, & ómnia judícia tua justa sunt; & omnes viæ tuæ, misericórdia, & véritas, & judícium. Et nunc, Dómine, memor esto meì, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. Quóniam non obedívimus præcéptis tuis, ideò tráditi sumus in direptiónem, & captivitátem, & mortem.

℟. Noli timére *pag.* 314.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi.

Anno 1536. *Part.* 9. *Cap.* 14.

BEnedicéntur campánæ, ut sint tubæ ecclésiæ militántis, quibus vocétur pópulus ad conveniéndum in templum, & audiéndum verbum Dei; Clerus verò ad annuntiándum manè misericórdiam Dei, & veritátem ejus per noctem.

FERIA TERTIA.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 4.

CUm Tobías putáret oratióne suam exaudíri ut mori potuísset, vocávit ad se Tobíam fílium suum, dixítque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundaméntum cónstrue. Cùm accéperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli; & honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: memor enim esse debes quæ & quanta perícula passa sit propter te in útero suo. Cùm autem & ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum; & cave ne aliquándo peccáto conséntias, & prætermíttas præcépta Dñi Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, & noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet ut

nec à te avertátur fácies Dómini. Quómodò potúeris, ita esto misericors. Si multum tibi fúerit, abundánter tribue; si exíguum tibi fúerit, étiam exiguum libénter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis; quóniam eleemósyna ab omni peccáto & à morte líberat, & non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

℟. Cognáti *pag.* 314.

Lectio ij.

ATténde tibi, fili mi, ab omni fornicatióne; & præter uxórem tuam nunquam patiáris crimen scire. Supérbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo domináti permíttas; in ipsa enim inítium sumpsit omnis perdítio. Quicúmque tibi áliquid operátus fúerit, statim ei mercédem restítue; & merces mercenárii tui apud te omníno non remáneat. Quod ab álio óderis fieri tibi, vide ne tu aliquándo álteri fácias. Panem tuum cum esuriéntibus & egénis cómede, & de vestiméntis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum super sepultúram justi constítue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatóribus. Consílium semper à sapiénte perquíre. Omni témpore bénedic Deum; & pete ab eo ut vias tuas dírigat, & ómnia consília tua in ipso permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedisse me decem talénta argénti, dum adhuc infántulus esses, Gabélo, in Rages civitáte Medórum; & chirógraphum ejus apud me hábeo: & ideò perquíre quómodò ad eum pervénias, & recípias ab eo supra memorátū pondus argénti, & restítuas ei chirógraphum suum. Noli timere, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus: sed multa bona habébimus, si timuérimus Deum, & recessérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene.

℟. Quando *pag.* 315.

Lectio iij. *Cap.* 5.

TUnc respóndit Tobías patri suo, & dixit: Omnia quæcúmque præcepísti mihi, fáciam, pater. Quómodò autem pecúniam hanc requíram, ignóro. Ille me nescit,

& ego eum ignóro: quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergátur illuc, aliquándo cognóvi. Tunc pater suus respóndit illi, & dixit: Chirógraphum quidem illíus penès me hábeo; quod dum illi osténderis, statim restítuet. Sed perge nunc, & inquíre tibi áliquem fidélem virum, qui eat tecum, salvâ mercéde suâ: ut, dum adhuc vivo, recípias eam. Tunc egréssus Tobías, invénit júvenem spléndidum, stantem præcínctum, & quasi parátum ad ambulándum. Et ignórans quòd Angelus Dei esset, salutávit eum, & dixit: Unde te habémus, bone júvenis? At ille respóndit: Ex filiis Israël. Et Tobías dixit ei: Nosti viam quæ ducit in regiónem Medórum? Cui respóndit: Novi; & ómnia itínera ejus frequénter ambulávi, & mansi apud Gabélum fratrem nostrũ, qui morátur in Rages civitáte Medórum, quæ pósita est in monte Ecbátanis.

℟. Quia *pag.* 316.

C A N O N.

Ex Concílio Cameracénsi. *Anno* 1565. *Tit.* 6. *cap.* 15.

QUi tintinnábula & campánulas ad harmóniam quamdam pulsáre solent, cáveant omnínò, ne hujúsmodi pulsatióne cantiónes turpes, inhonéstas, & vulgò jactátas imiténtur; sed pótiùs Hymnórum & Canticórum Ecclésiæ modulatiónes.

FERIA QUARTA.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 6.

PRoféctus est Tobias, & canis secútus est eum; & mansit primâ mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut laváret pedes suos; & ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum. Quem expavéscens Tobías, clámavit voce magnâ, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attráxit eum in siccum: & palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exéntera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repóne tibi: sunt enim hæc necessária ad me-

dicaménta utíliter. Quod cùm fecíſſet, aſsávit carnes ejus, & ſecum tulérunt in via; cætera ſaliérunt, quæ ſufficerent eis, quoúſque pervenírent in Rages civitátem Medórum. Tunc interrogávit Tobías Angelum, & dixit ei: Obſecro te, Azária frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt iſta quæ de piſce serváre juſsiſti? Et reſpóndens Angelus, dixit ei: Cordis ejus partículam ſi ſuper carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum, ſive à viro, ſive à mulíere; ita ut ultrà non accédat ad eos. Et fel valet ad ungéndos óculos in quibús fúerit albúgo, & ſanabúntur.

℟. Tobías *pag.* 313.

Lectio ij.

ET dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Reſpondénſque Angelus, ait: Eſt hîc Ráguel nómine, vir propínquus de tribu tua, & hic habet fíliam nómine Saram; ſed neque máſculum, neque féminã ullam habet áliam præter eam. Tibi debétur omnis ſubſtántia ejus, & opórtet eam te accípere cónjugem. Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxórem. Tunc reſpóndit Tobías, & dixit: Audio quia trádita eſt ſeptem viris, & mórtui ſunt: ſed & hoc audívi, quia dæmónium occídit illos. Tímeo ergo ne fortè & mihi hæc evéniant; & cùm ſim únicus paréntibus meis, depónam ſenectútem illórum cum triſtítia ad ínferos.

℟. Quómodò *p.* 313.

Lectio iij.

TUnc Angelus Ráphaël dixit ei: Audi me, & oſténdam tibi qui ſunt quibus prævalére poteſt dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita ſuſcípiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente exclúdant, & ſuæ libídini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intelléctus, habet poteſtátem dæmónium ſuper eos. Tu autem cùm accéperis eam, ingréſſus cubículum, per tres dies cóntinens eſto ab ea; & nihil áliud, niſi orationibus vacábis cum ea. Ipsâ autem nocte, incénſo jécore piſcis, fugábitur dæmónium. Secúndâ verò nocte in copulatióne ſanctórum Patriarchárũ admittéris. Ter-

tiâ autem nocte benedictiónem consequéris, ut filii ex vobis procreéntur incólumes. Transáctâ autem tértiâ nocte, accípies vírginem cum timóre Dómini, amóre filiórum magis quàm libídine ductus, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in filiis consequáris.

℟. Noli *pag.* 314.

CANON.

Ex Concílio Noviomén si.

Anno 1344. *cap.* 4.

HOc sacro approbánte Concílio, vólumus, & ordinámus, quòd per síngulas ecclésias cujúslibet civitátis vel Diæcésis, tam collegiátis quàm áliis, Ordinárius seu usus divíni officii, in modo officiándi, qui in Ecclésiis Cathedrálibus observári consuévit & tenéri, inviolabíliter observétur.

FERIA QUINTA.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 7.

INgréssi sunt ad Raguélem; & suscépit eos Ráguel cum gáudio. Intuénsque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri suæ: Quàm símilis est júvenis iste consobríno meo! Et cùm hæc dixísset, ait: Unde estis, júvenes fratres nostri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali sumus, ex captivitáte Nínive. Dixítque illis Ráguel: Nostis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías de quo intérrogas, pater istíus est. Et misit se Ráguel, & cum lácrymis osculátus est eum; & plorans supra collum ejus, dixit: Benedíctio sit tibi, fili mi, quia boni & óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus & Sara ipsórum filia lacrymátæ sunt. Postquàm autem locúti sunt, præcépit Ráguel occídi aríetem, & parári convívium. Cùmque hortarétur eos discúmbere ad prándium, Tobías dixit: Hìc ego hódie non manducábo, neque bibam, nisi priùs petitiónem meam confírmes, & promíttas mihi dare Saram fíliam tuam.

℟. Cognáti *pag.* 314.

Lectio ij.

TUnc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces & lácrymas meas in conspéctu suo

admiserit; & credo quóniam ideò fecit vos venire ad me, ut ista conjungerétur cognatióni suæ secúndùm legem Móysi: & nunc noli dúbium gérere quòd tibi eam tradam. Et apprehéndens dextéram filiæ suæ, dextræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobíscum sit, & ipse conjúngat vos, impleátque benedictiónem suam in vobis. Et accéptâ chartâ, fecérunt conscriptiónem conjúgii. Et post hæc epuláti sunt, benedicéntes Deum. Vocavítque Ráguel ad se Annam uxórem suam, & præcépit ei ut præparet álterum cubículum. Et introdúxit illuc Saram filiam suam, & lacrymáta est. Dixítque ei: Forti ánimo esto, fília mea: Dóminus cœli det tibi gáudium pro tædio quod perpéssa es.

℟. Quando *pag.* 315.

Lectio iij. Cap. 8.

TUnc hortátus est vírginem Tobías, dixítque ei: Sara, exúrge, & deprecémur Deum hódie, & cras, & secúndùm cras; quia his tribus nóctibus Deo júngimur; tértiâ autem tránsactâ nocte, in nostro érimus conjúgio: filii quippe sanctórum sumus; & non póssumus ita conjúngi sicut gentes quæ ignórant Deum. Surgéntes autem páriter, instánter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis. Dixítque Tobías: Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cœli & terræ, maréque & fontes, & flúmina, & omnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecísti Adam de limo terræ, dedistíque ei adjutórium Evam: & nunc, Dómine, tu scis quia non luxúriæ causâ accípio sorórem meam cónjugem, sed solâ posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuum in sæcula sæculórum. Dixit quoque Sara: Miserére nobis, Dómine, miserére nobis; & consenescámus ambo páriter sani.

℟. Quia *pag.* 316.

CANON.

Ex Concílio Senonénsi. *Anno* 1528. *in Decretis morum cap.* 21.

DIœcesáni diligénter vísitent Breviária, Missália, Antiphonária,

ac Sanctórum Legéndas: & quæ deprehénderint supérflua aut non satis pro Ecclésiæ dignitáte conveniéntia, ipsi contínuò tollent, & resecábunt; & quæ víderint esse necessária, adjícient.

FERIA SEXTA.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 8. & 9.

ADjurávit Ráguel Tobíam, ut duas hebdómadas morarétur apud se. De ómnibus autem quæ póssidébat Ráguel, dimídiam partem dedit Tobíæ; & fecit scriptúram, ut pars dimídia quæ superérat post óbitum eórum, Tobíæ domínio deveníret. Tunc vocávit Tobías Angelum ad se, quem quidem hóminem existimábat, dixítque ei: Azária frater, peto ut auscúltes verba mea. Si meípsum tradam tibi servum, non ero condígnus providéntiæ tuæ: tamen óbsecro te, ut assúmas tibi animália sive servítia, & vadas ad Gabélum in Rages civitátem Medórum, reddásque ei chirógraphum suum, & recípias ab eo pecúniam, & roges eum veníre ad núptias meas. Scis enim ipse quóniam númerat pater meus dies; & si tardávero unâ die plùs, contristátur ánima ejus. Et certè vides quómodò adjurávit me Ráguel, cujus adjuraméntum spérnere non possum. Tunc Ráphael assúmens quátuor ex servis Raguélis, & duos camélos, in Rages civitátem Medórũ perréxit: & invéniens Gabélum, réddidit ei chirógraphum suum, & recépit ab eo omnem pecúniam. Indicavítque ei de Tobía fílio Tobíæ, ómnia quæ gesta sunt; fecítque eum secum veníre ad núptias.

℟. Tobías *pag.* 313.

Lectio ij. *Cap.* 10.

CUm verò moras fáceret Tobías causâ nuptiárum, sollícitus erat pater ejus Tobías, dicens: Putas quare morátur fílius meus, aut quare deténtus est ibi? Putásne Gabélus mórtuus est, & nemo reddet illi pecúniam? Cœpit autem contristári nimis ipse, & Anna uxor ejus cum eo; & cœpérunt ambo simul flere, eò quòd die statúto

minimè reverterétur fílius eórum ad eos. Flebat ígitur mater ejus irremediabílibus lácrimis, atque dicébat: Heu, heu me, fili mi! ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum, báculum senectútis nostræ, solátium vitæ nostræ, spem posteritátis nostræ? ómnia simul in te uno habéntes, te non debúimus dimíttere à nobis. Cui dicébat Tobías: Tace, & noli turbári; sanus est fílius noster: satis fidélis est vir ille cum quo mísimus eum.

℟. Quómodò potúeris *pag.* 313.

Lectio iij. Cap. 11.

ANna autem sedébat secùs viam quotídie in supercílio montis, unde respícere póterat de longínquo. Et dum ex eódem loco specularétur advéntum ejus, vidit à longè; & íllicò agnóvit veniéntem fílium suum; curréntque nuntiávit viro suo, dicens: Ecce venit fílius tuus. (Dixítque Ráphaël ad Tobíam: At ubi introíeris domum tuam, statim adóra Dóminum Deum tuum; & grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, & osculáre eum. Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis quod portas tecum: scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus; & vidébit pater tuus lumen cœli, & in aspéctu tuo gaudébit.) Tunc præcucúrrit canis qui simul fúerat in via; & quasi núntius advéniens, blandiménto suæ caudæ gaudébat. Et consúrgens cæcus pater ejus, cœpit offéndens pédibus cúrrere; & datâ manu púero, occúrrit óbviàm fílio suo: & suscípiens osculátus est eum cum uxóre sua, & cœpérunt ambo flere præ gáudio. Cùmque adorássent Deum, & grátias egíssent, consedérunt. Tunc sumens Tobías de felle piscis, linívit óculos patris sui: & sustínuit quasi dimídiam ferè horam; & cœpit albúgo ex óculis ejus, quasi membrána ovi, égredi: quam apprehéndens Tobías traxit ab óculis ejus; statímque visum recépit. Et glorificábant Deum.

℟. Noli timére, fili mi *pag.* 314.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi. *An.* 1536. *Part.* 2. *cap.* 6.

MUlto jam ex témpore pio ánimo desiderámus repurgári Breviária: nam cùm olim à sanctíssimis Pàtribus institútum sit, ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitaréntur; néscimus quâ incúriâ accíderit, ut in eárum locum succésserint ália cum iis néutiquam comparánda, atque ínterim históriæ Sanctórum tam incúltæ & tam negligénti judício conscriptæ, ut nec auctoritátem habére videántur, nec gravitátem.

SABBATO.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 12.

VOcántes Angelū, pater scílicet & filius, tulérunt eum in partem, & rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúltè: Manifestábo vobis veritátem, & non abscóndam à vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem filii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audíssent, turbáti sunt, & treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cùm essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, & cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre, & bibere; sed ego cibo invisíbili & potu qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum qui me misit.

Si fiat de Sabbato, ℟. ℟. ℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij. *Cap.* 14.

IN hora autem mortis suæ vocávit ad se Tobiam filium suum, & sep-

tem júvenes filios ejus nepótes suos, dixítque eis: Propè erit intéritus Ninive; non enim éxcidit verbum Dómini: & fratres nostri qui dispérsi sunt à terra Israël, reverténtur ad eam. Omnis autem desérta terra ejus replébitur, & domus Dei quæ in ea incénsa est, iterùm reædificábitur; ibíque reverténtur omnes timéntes Deum: & relínquent gentes idóla sua, & vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in ea; & gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorántes Regem Israël. Audíte ergo, filii mei, patrem vestrum: Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi; & filiis vestris mandáte ut fáciant justítias & eleemósynas, ut sint mémores Dei, & benedícant eum in omni témpore in veritáte, & in tota virtúte sua.

Lectio iij.

NUnc ergo, filii, audíte me, & nolíte manére hìc; sed quâcumque die sepeliéritis matrem vestram circa me in uno sepúlcro, ex eo dirígite gressus vestros ut exeátis hinc: video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei. Factum est autem post óbitum matris suæ, Tobías abscéssit ex Nínive cum uxóre sua, & filiis, & filiórum filiis, & revérsus est ad sóceros suos. Invenítque eos incólumes in senectúte bona, & curam eórum gessit, & ipse clausit óculos eórum: & omnem hæreditátem domûs Raguélis ipse percépit, vidítque quintam generatiónem, filios filiórum suórum. Et complétis annis nonagínta novem in timóre Dómini; cum gaudio sepeliérunt eum. Omnis autem cognátio ejus, & omnis generátio ejus in bona vita & in sancta conversatióne permánsit; ita ut accépti essent tam Deo quàm homínibus, & cunctis habitántibus in terra.

C A N O N.

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit* 3.

NE cui precum multitúdo aut prolíxitas tædium géneret .... póterunt Epíscopi adhíbito Canonicórum & aliórum grávium virórum judício, preces ad eum modum redúcere, ut & Ecclesiæ

dignitáti respóndeant, & fácilè ab ómnibus exólvi pièque decantári possint.

DOMINICA XX.
post Pentecosten.

In Vesperis Sabbati

Ad Magnificat

Ant. 5. Venit Assur in multitúdine fortitúdinis suæ: Dóminus autem omnípotens trádidit eum in manus féminæ, & confódit eum. *Judith.* 16.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Judith.

Lectio j. *Cap.* 1.

ARphaxad rex Medórum subjugáverat multas gentes império suo, & ipse ædificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis & sectis: fecit muros ejus in latitúdinem cubitórum septuagínta, & in altitúdinem cubitórum trigínta; turres verò ejus pósuit in altitúdinem cubitórum centum. Per quadrum verò eárum latus utrúmque vicenórum pedum spátio tendebátur; posuítque portas ejus in altitúdinem túrrium. Et gloriabátur quasi potens in poténtia exércitûs sui, & in glória quadrigárum suárum. Anno ígitur duodécimo regni sui, Nabuchodónosor rex Assyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arpháxad, & obtínuit eum.

℞. Scitóte quóniã exáudiet Dóminus preces vestras, si manéntes permanséritis in jejúniis & oratiónibus: * Mémores estóte Móysi qui Amalec confidéntẽ in virtúte sua, non ferro pugnándo, sed précibus sanctis orándo dejécit. ℣. Omnia quæcúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis. * Mémores estóte. *Judith.* 4. *Matth.* 21.

Lectio ij. *Cap.* 2.

ANno tértio-décimo Nabuchodónosor regis, vigésimâ & secúndâ die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodónosor regis Assyriórum, ut defendéret se. Vocavítque omnes majóres natu, omnésque duces, & bellatóres suos; & hábuit cum eis mystérium consílii sui: dixítque cogitatiónem suam in eo

esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cùm placuísset ómnibus; vocávit Nabuchodónosor rex Holofémem príncipem milítiæ suæ, & dixit ei: Egrédere advérsùs omne regnum Occidéntis, & contra eos præcípuè qui contempsérunt impérium meum.

℟. Judith vídua habens super lumbos suos cilíciũ, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ: & erat hæc in ómnibus famosíssima, * Quóniam timébat Dóminum valde: nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemósynis quas faciébat; * Quóniam. *Judith.* 8. *Act.* 9.

Lectio iij. *Cap.* 4.

TUnc audiéntes hæc filii Israël, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valde à fácie ejus. Tremor, & horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem & templo Dómini, quod fécerat cæteris civitátibus & templis eárum. Et miserunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho, & præoccupavérunt omnes vértices móntium: & muris circumdedérunt vicos suos; & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ. Sacérdos étiam Elíachim scripsit ad univérsos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthaïn, & univérsos per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obtinérent ascénsus móntiũ per quos via esse póterat ad Jerúsalem, & illic custodírent ubi angústum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt filii Israël secúndùm quod constitúerat eis sacérdos Dómini Elíachim.

℟. Æquo ánimo estóte, fratres: expectémus à Dómino misericórdiam; * Fórsitan enim indignatiónem suam abscíndet, & † Dabit glóriam nómini suo. ℣. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne & obsecratióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum; * Fórsitan. Glória. † Dabit. *Judith.* 7. *Philipp.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro S. Ambrósii Epíscopi de Elía & jejúnio.

Lectio iv. *Cap.* 9.

POténtes vinum prohibéntur bíbere, ne

profécto interióra mínimè providémus; dum ea considerámus quæ in corpóribus despécta sunt, neglígimus pensáre quod sunt. Redémptor verò noster, ut osténderet quia quæ alta sunt hóminum despiciénda sunt, & quæ despécta sunt hóminum sanctis despiciénda non sunt, ad filium réguli ire nóluit, ad servum Centuriónis ire parátus fuit.

℟. Cùm audísset régulus quia Jesus adveníret à Judæa in Galilæam, ábiit ad eum: * Et rogábat eum ut descénderet, & sanáret filium ejus; incipiébat enim mori. ℣. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, ádjuva me; præter te nullus est auxiliátor álius. * Et rogábat. *Joan.* 4. *Esther.* 14.

Lectio viij.

Certè si nos cujúspiam servus rogáret ut ad eum ire deberémus, prótinus nobis nostra supérbia in cogitatióne tácita respondéret, dicens: Non eas, quia temetípsum degéneras, honor tuus despícitur, locus viléscit. Ecce de cœlo venit, qui servo in terra occúrrere non déspicit: & tamen humiliári in terra contémnimus, qui de terra sumus. Quid verò apud Deum vílius, quid despéctius esse potest, quàm serváre honórem apud hómines; & intérni testis óculos non timére? Unde & in sacro Evangélio ad Pharisæos Dóminus ait: Vos estis qui justificátis vos coram homínibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod homínibus altum est, abominábile est apud Deum.

℟. Dixit Jesus: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis. Dicit régulus: Dómine, descénde, priúsquàm moriátur filius meus. * Dicit ei Jesus: Vade, fílius tuus vivit. ℣. Sermo tuus, Dómine, hos qui in te credíderint, consérvat. * Dicit ei Jesus. *Joan.* 4. *Sap.* 16.

Lectio ix.

Notáte, fratres, notáte quod dícitur. Si enim quod homínibus altum est, abominábile est apud Deum, cordis nostri cogitátio tantò apud Deũ in imo est, quantò homínibus in alto; & humílitas cordis nostri tantò apud Deum in alto est,

b homínibus in imo. ciámus ergo, si quid gérimus: nulla nos inflet operátio, erum abundántia, glória extóllat. Si libet ex bonis afbus intùs intuméscidDeo despécti sumus. ergo cogitáte, frahæc totâ inténtióne e. Nolíte in próxiestris mundi hujus venerári. Hoc propDeum honoráte in ibus, quòd facti d imáginem Dei. Crédidit homo serquem dixit ei Jesus, t. Jam autem * Eo dénte, † Servi ocunt ei, dicéntes: filius ejus viveret. llus sperávit in Dó- & confúsus est.* Eo. 1. † Servi. *Joan* 4. 2.

' Benedíctus

t. 3. Dixérunt servi: heri horâ séptimâ it eum febris. Cog- ergo pater quia illa erat in qua dixit ei : Fílius tuus vivit. 4.

Oratio.

Argíre, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis géntiam placátus, & pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, & secúrâ tibi mente desérviant. Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Toletáno tértio.

Anno 589. *Cap.* 11.

EXterminánda omninò est irreligiósa consuetúdo, quam vulgus per sanctórum solemnitátes ágere consuévit, ut pópuli, qui debent officia divína atténdere, saltatiónibus & túrpibus invígilent cánticis; non solùm sibi nocéntes, sed & religiosórum officiis perstrepéntes: hoc étenim ut depellátur, sacerdótum & júdicum à Concílio sancto curæ commíttitur.

Ad Magnificat

Ant. 5. Crédidit régulus, & domus ejus tota. Hoc secúndùm signum fecit Jesus, cùm venísset à Judæa in Galilæam. *Joan.* 4.

Oratio ut suprà ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Libro Judith.

Lectio j. *Cap.* 8.

ERat Judith relícta vídua jam annis tribus, & ménsibus sex. Et in superióribus

domûs suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur. Et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata, & neoménias, & festa domûs Israël. Erat autem elegánti aspéctu nimis; cui vir suus relíquerat divítias multas, & famíliam copiósam, ac possessiónes ármentis boum & grégibus óvium plenas. Et erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℟. Scitóte *pag.* 330.

Lectio ij. *Cap.* 10.

FActum est autem cum descénderet montem circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, & tenuérunt eam, dicéntes: Unde venis? aut quò vadis? Quæ respóndit: Fília sum Hebræórum; ídeò ego fugi à fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi quod dentur vobis in deprædatiónem; pro eo quód contemnéntes vos, noluérunt ultro trádere seípsos, ut inveníent misericórdiam in conspéctu vestro. Hac de causa cogitávi mecum, dicens: Vadam ad fáciem príncipis Holoférnis, ut índicem illi secréta illórum, & osténdam illi quo áditu possit obtínere eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cùm audíssent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus: & erat in óculis eórum stupor, quóniam pulcritúdinem ejus mirabántur nimis. Et dixérunt ad eam: Conservásti ánimam tuam, eò quòd tale reperísti consílium, ut descénderes ad dóminum nostrum. Hoc autem scias, quóniam cùm stéteris in conspéctu ejus, bene tibi fáciet, & eris gratíssima in corde ejus. Duxerúntque illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cùmque intrásset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holoférnes.

℟. Judith *pag.* 331.

Lectio iij. *Cap.* 13.

ERat Judith sola in cubículo. Porrò Holoférnes jacébat in lecto nímia ebrietáte sopítus. Dixítque Judith puéllæ suæ, ut staret foris ante cubículum, & observáret. Stetítque Judith ante lec-

tum.

tum, orans cum lácrymis, & labiórum motu in siléntio, dicens: Confírma me, Dómine Deus Israël, & réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisísti, Jerúsalem civitátem tuam érigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitávi, perfíciam. Et cùm hæc dixísset, accéssit ad colúmnam quæ erat ad caput léctuli ejus; & pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exólvit. Cùmque evagináslet illum, apprehéndit comam cápitis ejus, & ait: Confírma me, Dómine Deus, in hac hora. Et percússit bis in cervícem ejus, & abscídit caput ejus.

℟. Æquo *pag.* 331.

CANON.

Ex Concílio Reménsi.

Anno 1564. *Congreg.* 5.

QUóniam à primæva breviárii institutióne, id antíqui patres voluísse videántur, ut síngulis hebdómadis totum psaltérium recitarétur; in breviário, Davídici psalmi ita per dies síngulos disponántur, ut totus psalmórum liber in unaquáque hebdómada recitétur.

FERIA TERTIA.

De Libro Judith.

Lectio j. *Cap.* 15.

CUm omnis exércitus decollátum Holoférnem audísset, fugit mens & consílium ab eis, & solo tremóre & metu agitáti, fugæ præsídium sumunt, ita ut nullus loquerétur cum próximo suo: sed inclináto cápite, relíctis ómnibus, evádere festinábant Hebræos, quos armátos super se veníre audiébant, fugiéntes per vias campórum & sémitas cóllium. Vidéntes ítaque fílii Israël fugiéntes, secúti sunt illos; descenderúntque clangéntes tubis, & ululántes post ipsos. Et quóniam Assyrii non adunáti, in fugam ibant præcípites; fílii autem Israël uno ágmine persequéntes, debilitábant omnes quos inveníre potuíssent.

℟. Reputántes *p.* 332.

Lectio ij.

JOacim autem summus Póntifex de Jerúsalem venit in Bethúliam cum univérsis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exísset ad illum,

benedixérunt eam omnes, unâ voce dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, quia fecísti viríliter, & confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amáveris, & post virum tuum, álterum nescíeris: ideò & manus Dómini confortávit te, & ideò eris benedícta in ætérnum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat. Per dies autem trigínta vix colléćta sunt spólia Assyriórũ à pópulo Israël.

℟. Quia *pag.* 332.

Lectio iij. Cap. 16.

ET factum est post hæc, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dóminũ: & mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocáusta, & vota, & repromissiónes suas. Porrò Judith univérsa vasa béllica Holoférnis quæ dedit illi pópulus, & conopéum quod ipsa sustúlerat de cubíli ipsíus, óbtulit in anathéma oblivionis. Erat autem pópulus jucúndus secúndùm fáciem sanctórum, & per tres menses gáudium hujus victóriæ celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rédiit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethúlia, & præclárior erat univérsæ terræ Israël. Erat étiam virtúti cástitas adjúncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defúnctus est Manásses vir ejus. Erat autem diébus festis procédens cum magna glória. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimísit Abram suam líberam, & defúncta est, ac sepúlta cum viro suo in Bethúlia. Luxítque illam omnis pópulus diébus septem.

℟. Non *pag.* 333.

CANON.

Ex Concílio Narbonénsi. *Anno* 589. *Can.* 2.

HOc definítum est, ut in psalléndi ordínibus, per quémlibet psalmum glória dicátur omnipoténti Deo: per majóres verò psalmos, prout prolíxiùs fúerint, pausatiónes fiant; & per quâmlibet pausatiónem, glória Trinitátis Dómino decantétur.



FERIA QUARTA.

Incipit Liber Esther.

Lectio j. *Cap.* 1.

IN diébus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam super centum vigínti septem províncias, quando sedit in sólio regni sui, Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, & púeris suis, fortíssimis Persárum, & Medórum ínclytis, & præféctis provinciárum coram se, ut osténderet divítias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem atque jactántiã poténtiæ suæ, multo témpore, centum vidélicet & octogínta diébus.

℟. Instábat dies quo Esther debéret intráre ad regem. Quæ * Non quæsívit mulíebrem cultum: habuítque grátiam super omnes mulíeres, & pósuit rex diadéma regni in cápite ejus. ℣. Abscónditus cordis homo est in conspéctu Dei lócuples; sic & sanctæ mulíeres ornábant se. * Non. *Esther.* 2. 1. *Petr.* 3.

Lectio ij.

VAsthi quoque regína fecit convívium fœminárum in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cùm rex esset hilárior, & post nímiam potatiónem incaluísset mero, præcépit Maümam, & Bázatha, & Harbóna, & Bágatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunúchis qui in conspéctu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis & princípibus pulchritúdiné illíus; erat enim pulchra valde. Quæ rénuit, & ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contémpsit.

℟. Dómine rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita; & * Non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israël: & nunc miserére pópuli tui. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? * Non est. *Esther.* 13. *Rom.* 8.

Lectio iij. *Cap.* 2.

ERat vir Judæus in Susan civitáte, vo-

cábulo Mardochæus, filius Jaïr, filii Sémei, filii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edíssæ, quæ áltero nómine vocabátur Esther, & utrúmque paréntem amíserat, pulchra nimis, & decórâ fácie. Mortuísque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. Cùmque percrebuísset regis impérium, & juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, & Egéo traderéntur eunúcho, Esther quoque inter cæteras púellas ei trádita est, ut servarétur in número fœminárum. Quæ plácuit ei, & invénit grátiam in conspéctu illíus.

℟. Israël clamávit ad Dóminum, & * Salvum fecit Dóminus pópulum suum; † Liberavítque nos ab ómnibus malis. ℣. Suscépit Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ. * Salvum. Glória. † Liberavítque. *Esther. 10. Luc. 1.*

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25. de Purgatorio in fine decreti.*

CUrent Epíscopi, ut fidélium vivórum suffrágia, Missárum scílicet sacrifícia, oratiónes, eleemósynæ, aliáque pietátis ópera, quæ à fidélibus pro áliis fidélibus defúnctis fieri consuevérunt, secúndùm Ecclésiæ institúta piè & devótè fiant: & quæ pro illis ex testatórum fundatiónibus, vel áliâ ratióne debéntur non perfunctóriè, sed à Sacerdótibus & Ecclésiæ Minístris, & áliis qui hoc præstáre tenéntur, diligénter & accurátè persolvántur.

FERIA QUINTA.

De Libro Esther.

Lectio j. *Cap. 2.*

EVolúto témpore per órdinem, instábat dies quo Esther fília Abihaïl fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quæ non quæsívit muliebrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat

enim formósa valde, & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubiculum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plusquàm omnes mulíeres; habuítque grátiam & misericórdiam coram eo super omnes mulíeres; & pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi.

℟. Instabat *pag.* 339.

Lectio ij. *Cap.* 3.

POst hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi qui erat de stirpe Agag; & pósuit sólium ejus super omnes príncipes quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabántur, flectébant génua, & adorábant Aman; sic enim præcéperat eis imperátor: solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præsidébant: Cur præter cæteros non obsérvas mandátum regis? Cùmque hoc crébriùs dícerent, & ille nollet *audíre, nuntiavérunt* Aman, scire cupiéntes utrùm persevéráret in senténtia: díxerat enim eis se esse Judæum. Quod cùm audísset Aman, & experiménto probásset quòd Mardochæus non flectéret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valde, & pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas: audíerat enim quòd esset gentis Judææ, magísque vóluit omnem Judæórum, qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem.

℟. Dómine *pag.* 339.

Lectio iij. *Cap.* 4.

QUæ cùm audísset Mardochæus, scidit vestiménta sua, & indútus est sacco, spargens cínerem cápiti; & in plátea médiæ civitátis, voce magnâ clamábat, ostendens amaritúdinem ánimi sui, & hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. In ómnibus quoque provínciis, óppidis, ac locis, ad quæ crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejúnium, ululátus, & fletus, sacco & cínere multis pro strato uténtibus. In-

gréssæ autem sunt puéllæ Esther & eunúchi, nuntiaverúntque ei. Quod áudiens consternáta est: & vestem misit, ut abláto sacco indúerent eũ: quam accípere nóluit. Accitóque Athach eunúcho, quem rex miníſtrum ei déderat, præcépit ei ut iret ad Mardochæum, & díſceret ab eo cur hoc fáceret.

℟. Israël *pag.* 340.

CANON.

Ex Concílio Cabillonénsi secúndo.

Anno 818. *Can.* 6.

IMputátur quibúsdam frátribus eò quòd avarítiæ causâ homínibus persuádeant ut abrenuntiántes sæculo, res suas Ecclésiæ cónferant, quod pénitùs ab ómnium méntibus eradicándum est. Animárum quippe salútem inquírere sacérdos, non lucra terréna debet: quóniam fidéles ad res suas dandas non sunt cogéndi neque circumveniéndi. Oblátio quippe spontánea esse debet.



FERIA SEXTA.

De Libro Esther.

Lectio j. *Cap.* 5.

DIe tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, & stetit in átrio domûs régiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis: at ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domûs. Cùmque vidísset Esther regínam stantem, plácuit óculis ejus, & exténdit contra eam virgam áuream quam tenébat manu. Quæ accédens, osculáta est summitátẽ virgæ ejus. Dixítque ad eam rex: Quid vis, Esther regína? Quæ est petítio tua? Etiámsi dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respóndit: Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódiè, & Aman tecum, ad convíviũ quod parávi. Statímque rex: Vocáte, inquit, citò Aman, ut Esther obédiat voluntáti.

℟. Instábat *pag.* 339.

Lectio ij. *Cap.* 6.

CUm esset ingréssus Aman, ait illi rex: Quid debet fieri viro

quem rex honoráre desíderat? Cógitans autem in corde suo Aman, & réputans quòd nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respóndit: Homo quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, & impóni super equum qui de sella regis est, & accípere régium diadéma super caput suum, & primus de régiis princípibus ac tyránnis téneat équum ejus, & per pláteam civitátis incédens, clamet & dicat: Sic honorábitur, quemcúmque volúerit rex honoráre. Dixítque ei rex: Festína, & sumptâ stolâ & equo, fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo qui sedet ante fores palátii. Cave ne quidquam de his quæ locútus es, prætermíttas.

℟. Dómine *pag.* 339.

Lectio iij.

TUlit ítaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæũ in plátea civitátis, & impósitum equo præcedébat, atque clamábat: Hoc honóre condígnus est, quemcúmque rex volúerit honoráre. Reversúsque est Mardochæus ad jánuam palátii: & *Aman festinávit* ire in domum suam, lugens & opérto cápite; narravítque Zares uxóri suæ & amícis ómnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapiéntes quos habébat in consílio, & uxor ejus: Si de sémine Judæórum est Mardochæus, ante quem cádere cœpísti, non póteris ei resístere, sed cades in conspéctu ejus.

℟. Israël *pag.* 340.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 131.

SEcúndùm Dómini senténtiam, domus ejus domus oratiónis vocánda est. Omnes ígitur ab otiósis sermocinatiónibus audítum páriter castígent & linguam: Et in ecclésia cum timóre & veneratióne stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut áudiant.

SABBATO.

De Libro Esther.

Lectio j. *Cap.* 7.

INtrávit rex & Aman ut bíberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secúndâ die, postquàm vino incalúerat:

Quæ est petítio tua, Esther, ut detur tibi? & quid vis fieri? Etiámsi dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respóndit: Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, & pópulum meum pro quo óbsecro: tráditi enim sumus ego & pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, & pereámus. Atque útinam in servos & fámulas venderémur; esset tolerábile malum, & gemens tacérem: nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redúndat in regem. Respondénsque rex Assuérus, ait: Quis est ille, & cujus poténtiæ, ut hæc áudeat fácere? Dixítque Esther: Hostis & inimícus noster péssimus iste est Aman. Quod ille áudiens, íllico obstúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non sústinens.

Si fiat de Sabbato, ℟℟℟. sumentur è Feria quarta præcedenti.

Lectio ij. Cap. 7. & 8.

DIxítque Harbóna, unus de eunúchis qui stabant in ministério regis: *En lignum* quod paráverat Mardochæo qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquagínta cúbitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspénsus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo; & regis ira quiévit. Die illo dedit rex Assuérus Esther regínæ domum Aman adversárii Judæórum, & Mardochæus ingréssus est ante fáciem regis. Conféssa est enim ei Esther, quòd esset pátruus suus. Tulítque rex ánnulũ quem ab Aman récipi jússerat, & trádidit Mardochæo. Esther autem constítuit Mardochæum super domum suam.

Lectio iij. Cap. 9.

IGitur duodécimi mensis, quem Adar vocári ante jam díximus, tértiâdécimâ die, quando cunctis Judæis interféctio parabátur & hostes eórum inhiábant sánguini, versâ vice Judæi superióres esse cœpérunt, & se de adversáriis vindicáre. Congregatíque sunt per síngulas civitátes, óppida & loca, ut exténderent manum contra inimícos & persecutóres suos. Nullúsque ausus

est resístere, eò quòd omnes pópulos magnitúdinis eórũ formído penetrârat. Nam & provinciárum júdices, & duces, & procuratóres, omnísque dignitas quæ síngulis locis ac opéribus præerat, extollébant Judæos timóre Mardochæi, quem príncipem esse palátii, & plúrimùm posse cognóverant: fama quoque nóminis ejus crescébat quotídie, & per cunctórum ora volitábat.

CANON.

Ex Concílio Turonénsi tértio.

Anno 813. *Cap.* 38.

SAcerdótes debent fidéles admonére, ut quando ad Ecclésiam convéniunt, sine strépitu ac tumúltu eam ingrediántur: in qua étiam quándiu oratiónis causâ morántur, nequáquam inánes inter se próferant confabulatiónes, sed & témpore quo Missárum solémnia celebrántur, non solùm ab otiósis & inutílibus verbis, verùm étiam & à perniciósis cogitatiónibus fúnditùs abstinéndum.

✠

DOMINICA XXI. *post Pentecosten.*

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 1. In diébus Nehemíæ ducis, & Esdræ sacerdótis, in dedicatióne muri Jerúsalem, requisiérunt Levítas de ómnibus locis suis, ut addúcerent eos, & fácerent dedicatiónem & lætítiam in actióne gratiárum. 2. *Esdr.* 12.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber primus Esdræ.

Lectio j. *Cap.* 1.

IN anno primo Cyri regis Persárum, ut compleretur verbum Dómini ex ore Jeremíæ, suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum; & tradúxit vocem in omni regno suo étiam per scriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis

de univérso pópulo ejus? Sit Deus illíus cum ipso. Ascéndat in Jerúsalem quæ est in Judæa, & ædíficet domũ Dómini Dei Israël; ipse est Deus qui est in Jerúsalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicúmque hábitant, ádjuvent eum viri de loco suo, argénto & auro, & substántiâ, & pecóribus, excépto quod voluntáriè ófferunt templo Dei quod est in Jerúsalem. Et surrexérunt príncipes patrum de Juda & Bénjamin, & sacerdótes & levítæ, & omnis cujus Deus suscitávit spíritum, ut ascénderent ad ædificándum templum Dómini quod erat in Jerúsalem. Universíque qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vasis argénteis & áureis, in substántia & juméntis, in suppelléctili, excéptis his quæ sponte obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vasa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónosor de Jerúsalem, & posúerat in templo Dei sui. Prótulit autem ea Cyrus rex Persárum per manum Mithridátis filii Gázabar, & annumerávit ea *Sassábasar* príncipi Juda.

℟. Cùm cœperint impléri in Babylóne septuagínta anni, visitábo vos; * Et suscitábo super vos verbum meum bonum, & redúcam captivitátem vestram de univérsis géntibus. ℣. Implétum est tempus, & appropinquávit: pœnitémini, & crédite. * Et. *Jerem.* 29. *Marc.* 1.

Lectio ij. *Cap.* 3.

JAmque vénerat mensis séptimus, & erant filii Israël in civitátibus suis: congregátus est ergo pópulus quasi vir unus in Jerúsalem. Et surréxit Jósue filius Jósedec, & fratres ejus sacerdótes, & Zoróbabel filius Saláthiel, & fratres ejus; & ædificavérunt altáre Dei Israël, ut offérrent in eo holocautómata, sicut scriptum est in lege Móysi viri Dei: Collocavérunt autem altáre Dei super bases suas, deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum, & obtulérunt super illud holocáustum Dómino manè & véspere: fecerúntque solemnitátem tabernaculórum, sicut scriptum est, & holocáustum diébus singulis per órdinem secúndùm præcéptum, o-

pus diéi in die suo. Et post hæc holocáustum juge, tam in Caléndis quàm in univérsis solemnitátibus Dómini, quæ erant consecrátæ, & in ómnibus in quibus ultrò offerebátur munus Dómino. A primo die mensis séptimi cœpérunt offérre holocáustum Dómino: porrò templum Dei nondum fundátum erat. Dedérunt autem pecúnias látomis & cæmentáriis; cibum quoque, & potum, & óleum Sydóniis Tyriísque, ut deférrent ligna cédrina de Líbano ad mare Joppe, juxta quod præcéperat Cyrus rex Persárum eis.

℟. Animæquióres estóte, filii, & proclamáte ad Dóminum; erit enim memória vestra ab eo qui duxit vos. * Sicut enim fuit sensus vester, ut errarétis à Deo; décies tantùm, iterùm converténtes, requirétis eum.

℣. Numquid Deus répulit pópulum suum? Absit. * Sicut enim. *Baruch.* 4. *Rom.* 11.

Lectio iij.

FUndáto ígitur à cæmentáriis templo Dómini, stetérunt sacerdótes in ornátu suo cum tubis, & levítæ filii Asaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Israël. Et concinébant in hymnis & confessióne Dómino: Quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia ejus super Israël. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno in laudándo Dóminum, eò quòd fundátum esset templum Dómini. Plúrimi étiam de sacerdótibus & levítis, & príncipes patrum, & senióres qui víderant templum priùs cùm fundátum esset, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ: & multi vociferántes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quisquam agnóscere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli; commíxtim enim pópulus vociferabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum in médio ejus: & ego * Ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu, & † In glória ero in médio ejus.

℣. Portæ ejus non claudéntur, & ásferent gló-

riam & honórem géntium in illam : non intrábit in eam áliquod coinquinátum. * Ero. Glória. † In glória. *Zach.* 2. *Apoc.* 21.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Cyrílli Alexandríni.

Lib. 2. *Glaphyr. in Genes. Cap.* 4.

Lectio iv.

CYrus Cambysis filius, Medórum simul & Persárum cópiis conjúnctis, bellum Assyriis finítimis ac vicínis íntulit : demum Babylóne ipsâ vi captâ, liberávit Judæos Assyriórum tyránnidem lamentántes, nec sine lácrymis accurréntes, affirmantésque prædíctum esse à Deo per vocem sanctórum, quòd ventúrus esset opportúnè, & adversários debellatúrus, atque ipse liberáret è vínculis oppréssos, quòdque rursum ædificáret templum in Jerosólymis, quod Assyrii impiè in Deum agéntes incénderant. Porrò quòd nequáquàm hac in re mentíti sint Israëlítæ, fácilè nobis constíterit, si sanctórum Prophetárum scripta inquirámus. Ait enim ita Deus per vocem Isaíæ : Hæc dicit Dóminus Deus christo meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram, ut subjíciam ante eum gentes. Propter servum meum Jacob, & Israël eléctum meum, ego vocábo te nómine tuo, & suscípiam te : tu autem non cognovísti me. Audis quo pacto maniféstè, Non cognovísti me, ait, neque inter eos qui Deum nôrunt collocáre dignátur ádeò præclárum, quem ipse & régibus superiórem & innumerárum géntium dóminum constitúerat. Quæ enim de ipso dicúntur, typi erant óperum per Christum edendórum.

℞. Ego Dóminus qui dico Cyro : Pastor meus es, & omnem voluntátem meã complébis. * Ego suscitávi eam ; & captivitátem meam dimíttet, non in prétio, neque in munéribus. ℣. Non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine Christi. * Ego suscitávi eum. *Isai.* 44. & 45. 1. *Petr.* 1.

Lectio v.

ET quidem Cyrus dominátus est in innúmeris géntibus, atque omnis eum recépit cívitas

Accépit autem & thesáuros in ténebris laténtes, abscónditos, & à sæculo némini visos, & diutúrnâ servitúte Israélem exémit. At regnávit per univérsam terram Emmánuël, quem tanquam ómnium salvatórem ac redemptórem tota cívitas suscípiens commóta est; & totum genus humánum jam à servitúte ac tyránnide diabólica liberátum est, ipsíque súbditum. Descéndens autem in inférnum, ábstulit thesáuros tenebrósos, abscónditos, invisíbiles; portas æreas contrívit, & vectes férreos confrégit, iis qui in vínculis erant, dicens: Exíte; & his qui in ténebris versabántur: Revelámini. Idcírco étiam olim ad patientíssimum atque invíctum athlétam Job ita ait: Venísti ad fontem maris, in vestígiis autem abyssi ambulásti, apertæque tibi sunt timóre portæ mortis. Janitóres autem inférni vidéntes te, expavérunt. Légimus enim véluti per interrogatiónem hæc, demónstrante nimírum sermone ea quæ per Christum in ipsis inférni penetrálibus præclárè gesta sunt. Ideò enim Christus mórtuus est & vixit, ut & mortuórum & vivéntium dominétur.

℟. Dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram: * Subjíciam ante fáciem ejus gentes, & dorsa regum vertam; portas æreas cónteram, & vectes férreos confríngam. ℣. Opórtet Christum regnáre, donec ponat Deus omnes inimícos sub pédibus ejus.* Subjíciam ante fáciem ejus gentes. *Is.* 45. 1. *Cor.* 15.

Lectio vj.

At olim quidem Cyrus, datis pecúniis, templũ Jerosólymis reædificári jussit. Fundávit autem Ecclésiam, sanctam revérâ & celebérrimam civitátem Emmánuël, tanquàm Babylóna quamdam evértens supérbam, & contumeliósam idololátriam. Quòd verò in typum glóriæ Christi ea quæ de Cyro dicúntur, pósita sint, ex iis quæ deínceps à Prophéta narrántur, maniféstum fiet: Ego feci terram & hóminem super eam, ego manu meâ firmávi cœlum, ego suscitávi eum cum justítia; ipse ædificábit civitátem meam. Qui enim creávit

terram, & hóminem super eam, quique cœlum stellis ornávit, excitávit nobis justítiam Jesum rediméntem gratis, (justificáti enim sumus per fidem in sánguine ejus) liberántem à vínculis & captivitáte, & ædificántem spirituáliter intellectuálem Jerúsalem, & fundántem Ecclésiam quæ ab ipsis inférni portis commovéri non possit, nec ab homínibus vinci. Hunc Deum cognoscéntes qui olim erravérunt, dicunt: Tu es Deus noster, & nescívimus. Hunc adorábunt, & omne se flectet illi genu, & confitébitur omnis lingua. Huic quidam ex Israelítis obsístere conáti sunt; confúsi verò sunt, & consídérunt, & retrórsùm iérunt juxta Prophétæ vocem. Cyrus ítaque Cambysis filius fundávit templum Dei Jerosólymis, in typum Christi.

℟. Suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis, & tradúxit vocem in omni regno suo, dicens: Deus cœli præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem: * Quis est in *vobis* de univérso pópulo ejus? † Ascéndat, & ædíficet domum Dómini Dei Israël. ℣. In Christo Jesu omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. * Quis. Glória. † Ascéndat. 1. *Esdr.* 1. *Ephes.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 18.

IN illo témpore; Dixit Jesus: Assimilátum est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homília Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 27. *in Genes.*

UT discámus parábolam hanc ob animárum nostrárum salútem à Dómino addúctam, audi quæ inferúntur: Sic & Pater vester cœléstis fáciet vobis, inquit, si non unusquísque fratri suo remiséritis è córdibus vestris delícta illórum. Magnum parábolæ lucrū, modò atténdere voluérimus. Quid enim tantum potérimus dimíttere, quantum nobis

à Dómino dimíttitur? Et nos quidem, si hoc voluérimus, consérvis remíttimus; ipsi verò à Dómino remissiónem accípimus. Et vide ut diligénter síngula sunt dicta. Non enim dixit simplíciter, Si non dimíseris homínibus peccáta; sed, Si non unusquísque fratri suo remiséritis è córdibus vestris delícta illórum. Advérte quómodò vult cor nostrum in quiéte & tranquillitáte esse, & mentem nostram à perturbatiónibus aliénam, affectionibúsque ómnibus líberam, plurimúmque nos erga próximum dilectiónis stúdium declaráre.

℟. Prócidens servus orábat dóminum: Patiéntiam habe in me. Misértus Dóminus débitum dimísit ei. Egréssus autem * Servus unum de consérvis suffocábat, dicens: Redde quod debes.

℣. Homo hómini resérvat iram, & à Deo quærit medélam? * Servus. *Matth.* 18. *Eccli.* 28.

Lectio viij.

ALio quoque loco iterum dicéntem audíre licet: Si dimiséritis homínibus delícta illórum, dimíttet & vobis Pater vester cœléstis. Ne ígitur putémus, dum hoc fácimus, nos álteri gratificári, aut magnum quoddam benefícium apud illum depónere: Nam ipsi sumus qui benefício frúimur, & multùm lucri inde nobis conciliámus: sicut étiam si hoc non fecérimus, omníno nihil eos lædére potérimus, nobis ipsis autem intolerábile gehénnæ pœnam parámus. Idcírco óbsecro ut cogitántes hæc, nunquam admittámus, ut eórum qui nos contristârunt vel áliàs offendérunt, injúriæ reminiscámur, vel inimíco ánimo erga illos afficiámur: sed considerántes quanta hoc nobis áfferat benefícia, & quantam apud Dóminum fidúciam; & ante ómnia, quòd reconciliári cum iis qui nos injúriâ affecêre, peccatórum nostrórum assúmptio quædam sit: festinémus, & anhelémus ut parátum inde lucrum reputántes, tam officiósi in eos simus qui nos offendérunt, quàm sumus in eos qui verè nobis benefáciunt. Nam si sápimus, non ita nobis prodésse póterunt qui benévoli in nos sunt, &

demeréri cúpiunt ; ut istórum cultus & observátio divinum favórem nobis conciliábit, nosque sárcinâ peccatórum levábit.

℟. Prócidens consérvus ejus rogábat eum : Patiéntiam habe in me, & ómnia reddam tibi. Ille nóluit, sed * Misit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. ℣. In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam : quis exorábit pro delíctis illíus ? * Misit eum in cárcerem. *Matth.* 18. *Eccli.* 28.

Lectio ix.

COgita, óbsecro, dilécte, quanta sit hujus virtútis magnitúdo, & disce vel ex præmiis quæ propter illã univérsis Dóminus promísit. Nam cùm dixísset : Dilígite inimícos vestros, benedícite eis qui persequúntur vos, oráte pro calumniántibus vos, quia sublímia sunt præcépta, summúmque vérticem tangéntia, inquit : Ut efficiámini símiles Patri vestro qui in cœlis est ; quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injústos. Vidisti quantum facúltas fert humána, cui *símilis fiat* qui non solùm non ulcíscitur eum qui offéndit, sed & pro eo oráre studet ? Ne ígitur negligéntiâ nostrâ tálibus nos fraudémus bonis & præmiis, quæ omnem sermónem transcéndunt, sed modis ómnibus boni hujus óperis nobis cura sit, cogatúrque & erudiátur mens, ut páreat Dei præcéptis. Non proptéreà hanc admonitiónẽ & ego nunc feci, & parábolam in médium áttuli ; & quanta sit hujus boni óperis magnitúdo, & quantum inde lucrum nobis accréscat, osténdi, ut cùm adhuc tempus est, si quis ex vobis est qui álium hábeat sibi inférsum, óperam det ut officiósè reconciliétur.

℟. Nolíte condemnáre, & non condemnabímini : * Dimíttite, & dimittémini ; eâdem quippe mensúrâ quâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. ℣. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam ; & peccáta illíus servans servábit. * Dimíttite. Glória. * Dimíttite. *Luc.* 6. *Eccli.* 28.

Ad Benedíctus

Ant. 8. Omne débitum dimísi tibi, serve nequam, quóniam rogásti me :

e ergo opórtuit & iseréri consérvi tui, & ego tui misértus *Matth.* 18.

Oratio.

Amíliam tuam, quæ- umus, Dómine, con- pietáte custódi, ut nctis adversitátibus, otegénte, sit libera, bonis áctibus tuo ni sit devóta. Per.

CANON.

oncílio Me'iolanénsi primo.

1565. *Part.* 2. *Tit.* 5.

Oneant Párochi fre- quénter patres - fa- s ut filios & fámulos, in béstiis pascéndis pant, saltem diébus Missæ júbeant inte-

l Magníficat

nt. 2. Irátus Dómi- rádidit servum tor- ıs, quoadúsque réd- univérsum débitum: Pater cœléstis fáciet, si non remiséritis uísque fratri suo de bus vestris. *Matth.*

tio ut suprà ad Laud.



FERIA SECUNDA.

De Libro primo Esdræ.

Lectio j. *Cap.* 4.

AUdiérunt hostes Judæ & Bénjamin, quia filii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Israël; & accedéntes ad Zoróbabel & ad príncipes patrum, dixérunt eis: Ædificémus vobíscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Asor Haddan regis Assur, qui addúxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, & Jósue, & réliqui príncipes patrum Israël: Non est vobis & nobis ut ædificémus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificábimus Dómino Deo nostro, sicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum est ígitur ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificándo. Conduxérunt autem advérsùs eos consiliatóres, ut destrúerent consílium eórum ómnibus diébus Cyri regis Persárum, & usque ad regnum Darii regis Persárum.

℟. Cum cœperint *p.* 346.

Lectio ij. Cap. 4. *&* 5.

Tunc intermiſſum eſt opus domûs Dómini in Jerúſalem, & non fiébat uſque ad annum ſecúndum regni Darii regis Persárum. Prophetavérunt autem Aggæus prophéta, & Zachárias filius Addo, prophetántes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerúſalem, in nómine Dei Iſraël. Tunc ſurrexérunt Zoróbabel filius Saláthiel, & Jóſue filius Jóſedec, & cœpérunt ædificáre templum Dei in Jerúſalem, & cum eis Prophétæ Dei adjuvántes eos. In ipſo autem témpore venit ad eos Thathánai, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzánai & conſiliárii eórum; ſicque dixérunt eis: Quis dedit vobis consílium ut domum hanc ædificarétis, & muros ejus inſtaurarétis? Ad quod reſpóndimus eis quæ eſſent nómina hóminum auctórum ædificatiónis illíus. Oculus autem Dei eórum factus eſt ſuper ſenes Judæórum, & non potuérunt inhibére eos. Placuítque ut res ad Daríum referrétur, & tunc ſatisfácerent advérsùs accuſatiónem illam.

℟. Animæquióres *p.* 347.

Lectio iij. Cap. 6.

Tunc Daríus rex præcépit: & recenſuérunt in bibliothéca librórum qui erant repóſiti in Babylóne, & invéntum eſt in Ecbátanis, quod eſt caſtrum in Medéna província, volúmen unum, talíſque ſcriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ eſt in Jerúſalem, in loco ubi ímmolent hóſtias, & ut ponant fundaménta ſupportántia altitúdinem cubitórum ſexagínta, & latitúdinem cubitórum ſexagínta, órdines de lapídibus impolítis tres, & ſic órdines de lignis novis: ſumptus autem de domo regis dabúntur. Sed & vaſa templi Dei áurea & argéntea, quæ Nabuchodónoſor túlerat de templo Jerúſalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddántur & referántur in templum, in Jerúſalem in locum ſuum, quæ & póſita ſunt in templo Dei. Nunc ergo, Thathánai dux regiónis quæ eſt trans flumen, Sthar[illegible]ánai, &

consiliárii vestri Apharsachæi qui estis trans flumen, procul recédite ab illis, & dimíttite fieri templum Dei illud à duce Judæórum, & à senióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco suo.

℟. Absque *pag.* 347.

CANON.

Ex Concílio Senonénsi, *Anno.* 1528. *Cap.* 15. *Decret. morum.*

Cessent in Ecclésiis quæcúmque divínum possint perturbáre Offícium aut óculos divínæ Majestátis offéndere, ne, ubi peccatórum est vénia postulánda, ibi peccándi detur occásio aut deprehēdátur peccáta commítti.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Esdræ.

Lectio j. Cap. 6.

IGitur Thathánai dux regiónis trans flumen, & Stharbuzánai, & consiliárii ejus, secúndùm quod præcéperat Daríus rex, sic diligénter execúti sunt. Senióres autem Judæórum ædificábant, & prosperabántur juxta prophetíam Aggæi prophétæ, & Zacharíæ fílii Addo, & ædificavérunt, & construxérunt, *jubénte Deo* Israël, & jubénte Cyro, & Darío, & Artaxérxe régibus Persárum; & complevérunt domum Dei istam usque ad diem tértium mensis Adar, qui est annus sextus regni Daríi regis. Fecérunt autem fílii Israël, sacerdótes & levítæ, & réliqui filiórum transmigratiónis, dedicatiónem domûs Dei in gáudio. ℟. Ego *pag.* 348.

Lectio ij. Cap. 7.

FEcérunt solemnitátem azymórum septem diébus in lætítia, quóniam lætificáverat eos Dóminus & convérterat cor regis Assur ad eos, ut adjuváret manus eórum in ópere domûs Dómini Dei Israël. Post hæc autem verba, in regno Artaxérxis regis Persárum, Esdras fílius Saraíæ, fílii Azaríæ, fílii Helcíæ, fílii Sellum, fílii Sadoc, fílii Achítob, fílii Amaríæ, fílii Azaríæ, fílii Maraíoth, fílii Zarahíæ, fílii Ozi, fílii Bocci, fílii Abísue, fílii Phínees, fílii Eléazar, fílii Aáron Sacerdótis ab inítio. Ipse Esdras ascéndit de Babylóne, & ipse scriba velox in lege Móysi, quam Dóminus Deus dedit Israël: & dedit ei rex secúndùm

manum Dómini Dei ejus ſuper eum, omnem petitiónem ejus. Et aſcendérunt de filiis Iſraël, & de filiis ſacerdótum, & de filiis levitárum, & de cantóribus, & de janitóribus, & de Nathinæis in Jerúſalem anno séptimo Artaxérxis regis. Et venérunt in Jerúſalem menſe quinto, ipſe eſt annus séptimus regis. Quia in primo die menſis primi cœpit aſcéndere de Babylóne, & in primo die menſis quinti venit in Jerúſalem, juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe. Eſdras enim parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini, & fáceret, & docéret in Iſraël præcéptum & judícium.

℟. Dicit *pag.* 349.

Lectio iij. *Cap.* 9.

POſtquàm autem hæc compléta ſunt, acceſsérunt ad me (Eſdram) príncipes, dicéntes: Non eſt ſeparátus pópulus Iſraël, ſacerdótes & levítæ, à pópulis terrárum, & abominatiónibus eórum, Chananæi vidélicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Jebuſæi, & Ammonitárum, & Moabitárum, & Ægyptiórum, & Amorrhæórum: tulérunt enim de filiábus eórum ſibi & filiis ſuis, & commiſcuérunt ſemen ſanctum cum pópulis terrárum: manus étiam príncipum & magiſtrátuum fuit in transgreſſióne hac prima. Cùmque audíſſem ſermónem iſtum, ſcidi pállium meum & túnicam, & evélli capíllos cápitis mei & barbæ, & ſedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes qui timébant verbum Dei Iſraël, pro tranſgreſſióne eórum qui de captivitáte vénerant, & ego ſedébam triſtis uſque ad ſacrificium veſpertínum: & in ſacrifício veſpertíno ſurréxi de afflictióne mea, & ſciſſo pállio & túnicâ, curvávi génua mea, & expándi manus meas ad Dóminum Deum meum.

℟. Suſcitávit *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Reménſi. *Anno* 1583. *Tit de cultu divino. Num.* 11.

UT oratiónes noſtræ Deo ſint acceptióres, in eis locis quos Chriſtus nómine domûs patérnæ dignátus eſt honoráre, vólumus, ut omnes Baſílicæ, eorúmque Altária ab Epíſcopo Diœceſáno con-

secréntur, ac in ejus abséntia (sed de ejus tamen vel Vicarii licéntia) álius quivis Epíscopus hanc functiónem obíre queat.

FERIA QUARTA

De Libro primo Esdræ.

Lectio j. *Cap.* 10.

SIc oránte Esdrâ, & imploránte eo, & flente, & jacénte ante templum Dei, colléctus est ad eum de Israël cœtus grandis nimis virórum, & mulíerum, & puerórum, & flevit pópulus fletu multo. Et respóndit Sechenías filius Jéhiel de filiis Ælam, & dixit Esdræ: Nos prævaricáti sumus in Deum nostrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: Et nunc, si est pœniténtia in Israël super hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo nostro, ut projiciámus univérsas uxóres, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præcéptum Dómini Dei nostri; secúndùm legem fiat. Surge, tuum est decérnere; nosque érimus tecum: *Confortáre, & fac.* Surréxit ergo Esdras, & adjurávit príncipes sacerdótum & levitárum, & omnem Israël, ut fácerent secúndùm verbum hoc: Et juravérunt. Et surréxit Esdras ante domum Dei, & ábiit ad cubículum Jóhanan filii Eliasib; & ingréssus est illuc, panem non comédit, & aquam non bibit: Lugébat enim transgressiónem eórum qui vénerant de captivitáte.

℟. Cùm cœperint *pag.* 346.

Lectio ij.

ET missa est vox in Juda & in Jerúsalem ómnibus filiis transmigratiónis, ut congregaréntur in Jerúsalem; & omnis qui non vénerit in tribus diébus juxta consílium príncipum & seniórum, auferétur univérsa substántia ejus, & ipse abjiciétur de cœtu transmigratiónis. Convenérunt ígitur omnes viri Juda & Bénjamin in Jerúsalem tribus diébus, ipse est mensis nonus, vigésimo die mensis: & sedit omnis pópulus in plátea domûs Dei, treméntes pro peccáto & plúviis. Et surréxit Esdras sacérdos, & dixit ad eos:

bus; & surréxi nocte ego, & viri pauci mecum; & non indicávi cuíquam quid Deus dedísset in corde meo ut fácerem in Jerúsalem; & juméntum non erat mecum, nisi ánimal cui sedébam. Et egréssus sum per portam Vallis nocte, & ante fontem Dracónis, & ad portam Stércoris, & considerábam murum Jerúsalem dissipátum, & portas ejus consúmptas igni. Et transívi ad portam Fontis, & ad aquædúctum regis: & non erat locus juménto cui sedébam, ut transíret. Et ascéndi per torréntem nocte, & considerábam murum; & revérsus, veni ad portam Vallis, & rédii. Magistrátus autem nesciébant quò abiíssem, aut quid ego fácerem: sed & Judæis & sacerdótibus, & optimátibus, & magistrátibus & réliquis qui faciébant opus, usque ad id loci nihil indicáveram. Et dixi eis: Vos nostis afflictiónem in qua sumus; quia Jerúsalem desérta est, & portæ ejus consúmptæ sunt igni: veníte, & ædificémus muros Jerúsalem, & non simus ultra oppróbrium. Et indicávi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis quæ locútus esset mihi, & aio: Surgámus, & ædificémus. Et confortátæ sunt manus eórum in bono.

℟. Suscitávit *pag.* 350.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi quarto Œcuménico.

Anno 1215. *Cap.* 19.

PRæcípimus ut oratória, vasa, corporália & vestiménta Ecclésiæ, munda & nítida conservéntur; nimis enim vidétur absúrdum in sacris sordes neglígere, quæ dedecérent étiam in prophánis.

FERIA SEXTA.

De Libro Nehemíæ.

Lectio j. *Cap.* 4.

FActum est, cùm audísset Sanabállat, quòd ædificarémus murum, irátus est valdè; & motus nimis subsannávit Judæos, & dixit coram frátribus suis & frequéntia Samaritanórum: Quid Judæi fáciunt imbecílles? Num dimíttent eos gentes? Num sacrificábunt, & complébunt in una die? Numquid ædificáre póterunt lápides de

acérvis púlveris, qui combústi sunt? Sed & Tobías Ammanítes próximus ejus, ait: Ædificent; si ascénderit vulpes, transíliet murum eórum lapídeum. Audi, Deus noster, quia facti sumus despéctui: convérte oppróbrium super caput eórum, & da eos in despectiónem in terra captivitátis. Ne opérias iniquitátem eórum; & peccátum eórum coram fácie tua non deleátur, quia irrisérunt ædificántes. ℟. Cùm cœperint *p.* 346.

Lectio ij.

FActum est autem, cùm audísset Sanabállat, & Tobías, & Arábes, & Ammanítæ, & Azótii, quod obdúcta esset cicátrix muri Jerúsalem, & quod cœpíssent interrúpta conclúdi, iráti sunt nimis, & congregáti sunt omnes páriter, ut veníreat, & pugnárent contra Jerúsalem, & moliréntur insídias. Et orávimus Deum nostrum, & posúimus custódes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas: Debilitáta est fortitúdo portántis, & humus nímia est, & nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hostes nostri: Nésciant & ignórent, donec veniámus in médium eórũ, & interficiámus eos, & cessáre faciamus opus. ℟. Animæquióres *p.* 347.

Lectio iij.

ET perspéxi atque surréxi; & aïo ad optimátes, & magistrátus, & ad réliquam partem vulgi: Nolíte timére à fácie eórum. Dómini magni & terríbilis mementóte, & pugnáte pro frátribus vestris, fíliis vestris, & filiábus vestris, & uxóribus vestris & dómibus vestris. Factum est autem, cùm audíssent inimíci nostri nuntiátum esse nobis, dissipávit Deus consílium eórum. Et revérsi sumus omnes ad muros, unusquísque ad opus suum. Et factum est à die illa, média pars júvenum eórum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum: & lánceæ, & scuta, & arcus, & loricæ & príncipes post eos in omni domo Juda. Ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntium, unâ manu suâ faciébat opus, & álterâ tenébat gládium; ædificántium enim unusquísque gládio erat accínctus re-

nes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me.

℟. Absque *pag.* 347.

CANON.

Ex Concílio Tolosáno.

An. 1590. *Cap.* 1. *num.* 3.

QUæ sacris rerum divinárum úsibus erunt comparáta, nunquàm prophánis úsibus inserviénda mútuò concedántur, nec promíscuâ seculárium attrectatióne polluántur.

SABBATO.

De Libro Nehemíæ.

Lectio j. *Cap.* 7. & 8.

HAbitavérunt sacerdótes, & levítæ, & janitóres & cantóres, & réliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israël in civitátibus suis. Et vénerat mensis séptimus, filii autem Israël erant in civitátibus suis. Congregatúsque est omnis pópulus quasi vir unus ad pláteam quæ est ante portam Aquárum: & dixérunt Esdræ scribæ ut afférret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israëli. Attulit ergo Esdras sacérdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apértè in plátea quæ erat ante portam Aquárum, de manè usque ad médiam diem in conspéctu virórum & mulíerum, & sapiéntium; & aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij. *Cap.* 13.

IN diébus illis, vidi in Juda calcántes torculária in Sábbato, portántes acérvos, & onerántes super ásinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferéntes in Jerúsalem die Sábbati. Et contestátus sum ut in die quâ véndere licéret, vénderent. Et Tyrii habitavérunt in ea, inferéntes pisces, & ómnia venália: & vendébant in Sábbatis filiis Juda in Jerúsalem: & objurgávi optimátes Juda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala quam vos fácitis, & prophanátis diem Sábbati? Numquid non hæc fecérunt patres nostri, & addúxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitátem hanc? Et

vos ádditis iracúndiam super Israël, violándo Sábbatum. Factum est autem, cùm quievíssent portæ Jerúsalem in die Sábbati, dixi: & clausérunt jánuas, & præcépi ut non aperírent eas usque post Sábbatum; & de púeris meis constítui super portas, ut nullus inférret onus in die Sábbati.

Lectio iij.

SEd & in diébus illis vidi Judæos ducéntes uxóres Azótidas, Ammonítidas & Moabítidas. Et filii eórum ex média parte loquebántur Azóticè, & nesciébant loqui Judáicè, & loquebántur juxta linguam pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledixi. Et cécidi ex eis viros, & decalcávi eos, & adjurávi in Deo ut non darent filias suas filiis eórum, & non accíperent de filiábus eórum filiis suis & sibimetípsis, dicens: Numquid non in hujuscémodi re peccávit Sálomon rex Israël? Et certè in géntibus multis non erat rex símilis ei, & diléctus Deo suo erat, & póluit eum Deus regem super omnem Israël: & ipsum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. Numquid & nos inobediéntes faciémus omne malum grande hoc, ut prævaricémur in Deo nostro, & ducámus uxóres peregrínas? De filiis autem Joïada filii Elíasib sacerdótis magni gener erat Sanabállat Honorites, quem fugávi à me. Recordáre, Dómine Deus meus, advérsùm eos qui pólluunt sacerdótium, jusque sacerdotále & levíticum. Igitur mundávi eos ab ómnibus alienígenis, & constítui órdines sacerdótum & levitárum, unumquémque in ministério suo; & in oblatióne lignórum in tempóribus constitútis, & in primitívis. Meménto mei, Deus meus in bonum. Amen.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1573. *Part.* 2. *Tit.* 4.

DUas pyxides unaquæque parochiális Ecclésia saltem hábeat: álteram formâ majóri ad usum sacræ Communiónis pópulo in Ecclésia ministrándæ: álteram minóri, quâ sanctíssimum Sacraméntum ad infirmos deferátur.

DOMINICA XXII.
post Pentecosten.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 5. Multi de pópulo Israël definiérunt apud se, ut non manducárent immúnda; & elegérunt magis mori, quàm cibis coinquinári immúndis. 1. *Mach.* 1.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt Libri Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. *Cap.* 1.

ET factum est, postquàm percússit Alexánder Philíppi Macédo, (qui primus regnávit in Græcia, egréssus de terra Cethim,) Daríum regem Persárum & Medórum; constítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ, & pertránsiit usque ad fines terræ, & accépit spólia multitúdinis géntium; & síluit terra in conspéctu ejus. Et congregávit virtútem, & exércitum fortem nimis; & exaltátum est & elevátum cor ejus; & obtínuit regiónes géntium & tyránnos: & facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti à juventúte; & divísit illis regnum suum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexánder annis duódecim, & mórtuus est. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquísque in loco suo.

℟. Postquàm percússit Alexánder Daírum regem Persárum, * Pertránsiit usque ad fines terræ: síluit terra in conspéctu ejus, & post hæc décidit in lectum & cognóvit quia morerétur. ℣. Quid prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, animæ verò suæ detriméntum patiátur? * Pertránsiit. 1. *Mach.* 1. *Matth.* 16.

Lectio ij. Lib. 2. *Cap.* 3.

IGitur cùm sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè custodiréntur, propter Oníæ Pontíficis pietátem, & ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut & ipsi reges & príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, & tem-

plum máximis munéribus illustrárent, ita ut Seléucus Asiæ rex de redditibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin præpósitus templi constitútus, contendébat, obsisténte sibi príncipe sacérdótum, iniquũ áliquid in civitáte molíri. Sed cùm vincere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium qui eo témpore erat dux Cœlesyriæ & Phœnícis; & nuntiávit ei pecúniis innumerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, & commúnes cópias imménsas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum: esse autem possíbile sub potestáte regis cádere univérsa.

℟. Cóntigit septem frátres cum matre compélli à rege Antíocho édere contra fas carnes porcínas, flagris & táureis cruciátos. Primus sic ait: * Paráti sumus mori magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. ℣. Neque mors, neque vita, neque principátus, neque instántia, neque creatúra ália *póterit nos separáre* à caritáte Dei. * Paráti. 2. *Mach.* 7. *Rom.* 8.

Lectio iij.

CUmque retulísset ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis, ut prædíctam pecúniam transportáret. Statímque Heliodórus iter est aggréssus, spécie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnícen civitátes esset peragratúrus, revérâ autem regis propósitum perfectúrus. Sed, cùm venisset Jerósolymam, & benígnè à summo sacerdóte in civitáte esset excéptus, narrávit de dato indício pecuniárum: &, cujus rei grátiâ adésset, apéruit: interrogábat autem si verè hæc ita essent. Tunc summus sacérdos osténdit depósita esse hæc, & victuália viduárum & pupillórum; quædam verò esse Hircáni Tobíæ viri valdè eminéntis, in his quæ detúlerat ímpius Simon: univérsa autem argénti talénta esse quadringénta, & auri ducénta; décipi verò eos, qui credidíssent loco & templo, quod per univérsum mun-

dum honorátur, pro suî veneratióne & sanctitáte omnínò impossíbile esse.

℟. In sartágine cùm primus diu cruciarétur, cæteri fratres unà cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes: * Dóminus Deus aspíciet veritátem, & † Consolábitur in nobis. ℣. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. * Dóminus. Glória. † Consolábitur. 2. *Mach.* 7. *Hebr.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv. *Orat.* 22.

QUinam Machabæi fúerint, quâque primùm ex institutióne atque doctrína in tantam virtútis frugem gloriámque pervénerint, perspícuè liber ille declárat, qui ratiónem ánimi perturbatiónibus imperáre docet, in ejúsque arbítrio esse, ut in utrámque partem, hoc est, vel ad virtútem vel ad vítium propendeámus. Nam libri illíus auctor, cùm pléraque ália testimónia, tum horum quoque dimicatiónes in hujus argúmenti confirmatiónem áttulit. Mihi verò hæc tantùm commemoráre sufficiet. Eleázarus primítiæ eórum qui ante Christum passi sunt, quemádmodùm post Christum Stéphanus, sacérdos, & senex, canus capíllis, canus & prudéntiâ, priùs quidem pro pópulo sacrificábat & orábat. Tandem autem & semetípsum hóstiam óbtulit Deo perfectíssimam, ac totíus pópuli expiatrícem, faustum certáminis inítium, ad quod loquens páriter ac tacens cohortabátur. Obtulit autem & fílios septem, suæ fructus disciplínæ, hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, omni legáli sacrifício splendidiórem & puriórem: quæ sunt enim filiórum, ad patrem reférri æquíssimum ac justíssimum est.

℟. Supra modum mater mirábilis síngulos hortabátur voce pátriâ: * Mundi Creátor spíritum vobis cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges ejus. ℣. Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occí-

dere : * Mundi 2. *Mach.* 7. *Math.* 10.

Lectio v.

IBi fortes & magnánimi filii, generósæ matris generósa sóboles, gloriósi veritátis propugnatóres, Antióchi tempóribus excelsióres, veri Mosáicæ legis discipúli, paternórum rítuum observantíssimi ; númerus apud Hebræos laudábilis, & propter septenáriæ quiétis mystérium venerábilis, unum spirántes, unum sectántes, unum illud ad vitam iter agnoscéntes, ut mortem Dei causâ suscíperent; non minùs ánimis fratres quàm corpóribus, inter se mútuæ mortis æmuli. O rem admirándam ! torménta quasi thesáuros præripiéntes, pro magístra lege perícula subeúntes, illáta non magis formidántes, quàm quæ supérerant requiréntes ; unum illud vériti ne tyránnus à pœnis desísteret, ne quis ipsórum sine corónæ præmio discéderet, ne invíti fratres álii ab álio sejungeréntur, & ne in eo discrímine, cruciátibus erépti, malâ victóriâ superárent.

℟. *Cùm mater adhuc* díceret, ait adoléscens : Quem sustinétis ? Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis : * Tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exsólves. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. * Tu. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 4.

Lectio vj.

ERat ibi fortis & generósa mater, puerórum simul ac Dei amans, cujus matérna víscera supra natúræ consuetúdinem dilaniabántur. Non enim filiórum qui in torméntis erant, miserebátur; sed timóre angebátur, ne non ea suscíperent : neque magis eos qui è vita migráverant desiderábat, quàm precabátur ut réliqui cum illis conjungeréntur ; de quibus fíliis magis quàm de mórtuis erat sollícita. Horum enim dúbium erat certámen, at illórum secúrus vitæ éxitus. Atque illos quidem jam Deo adjúnxerat ; de his verò quómodò Deus eos suscíperet, laborábat. O virílem ánimum in córpore mulíebri ! ô admirábile magni ánimi increméntum !

℟. Rex accénsus irâ, in adolescentiórem super omnes crudélius desævit, indígnè ferens se derísum. * Novíssimè autem post fílios & mater consúmpta est. ℣. Disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. * Novíssimè. Glória.* Novíssimè. 2. *Machab.* 7. *Hebr.* 11.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 22.

IN illo témpore; Abeúntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Exposit. quarumd. Propos. Epist. ad Rom. Prop. 72.

CUm constémus ex ánima & córpore, & quándiu in hac vita temporáli sumus, étiam rebus temporálibus ad subsídium degéndæ hujus vitæ utámur; opórtet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pértinet, súbditos esse potestátibus, id est, homínibus res humánas cum áliquo honóre administrántibus. Ex illa verò parte quâ crédimus Deo & in regnum ejus vocámur, non nos opórtet esse súbditos cuíquam hómini, idípsum in nobis evértere cupiénti quod Deus ad vitam ætérnam donare dignátus est. Si quis ergo putat, quóniam Christiánus est, non sibi esse vectígal reddéndum, aut tribútum, aut non esse exhibéndum honórem débitum eis quæ hæc curant potestátibus, magno in erróre versátur. Item si quis sic se putat esse subdéndum, ut étiam in suam fidem habére potestátem arbitrétur eum qui temporálibus administrándis áliquâ sublimitáte præcéllit, in majórem errórem lábitur. Sed modus iste servándus est, quem Dóminus ipse præscríbit, ut reddámus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Quanquàm enim ad illud regnum vocémur, ubi nulla erit potéstas hujúsmodi, in hoc tamen itínere dum ágimus, donec perveniámus ad illud sæculum ubi fit evacuátio omnis principátûs & potestátis, conditiónem nostram pro ipso rerum humanárum órdine toleré-

nihil ſimulátè facién-
& in eo ipſo non tam
nibus quàm Deo qui
jubet, obtemperán-

Omnis ánima po-
ibus ſublimióribus
ta ſit : non eſt enim
ſtas niſi à Deo : * Qui
it poteſtáti, Dei or-
ióni reſíſtit. ℣. In
ı Dei potéſtas terræ.
ú reſíſtit. *Rom* 13.
. 10.
.31. *Enarr. in Pſ.* 118.

Lectio viij.

Unquid Chriſtianó-
rum Rex mílites ſuos
ibuit impéndere &
ıére quæ debéntur
us terræ? Nonne tri-
n de ore piſcis étiam
persólvit? Nonne
úrſor ejus milítibus
hujus quid fácere
rent pro ætérna ſa-
quæréntibus non ait :
ulum sólvite, arma
cite, regem veſtrum
ite, ut poſsítis Dó-
militáre; ſed ait :
inem concuſséritis,
calúmniam fecéritis,
iat vobis ſtipéndium
um. Nonne unus mí-
ejus, & dilectíſſimus
s ejus, commilitóni-
uis, & quodámmo-
hriſti provinciálibus

dixit : Omnis ánima poteſtátibus ſublimióribus súbdita ſit? Et paulò poſt ait : Réddite ómnibus débita : cui tribútum, tribútum; cui vectígal, vectígal; cui timórem, timórem; cui honórem, honórem. Némini quidquam debeátis, niſi ut ínvicem diligátis. Nonne præcépit ut pro ipſis étiam régibus oráret Eccléſia?

℟. (Princeps) Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. * Ideò neceſſitáte súbditi eſtóte, non ſolùm propter iram, ſed étiam propter conſciéntiam. ℣. Per me príncipes imperant, & poténtes decérnunt juſtítiam. * Ideò. *Rom.* 13. *Prov.* 8.

Serm. 62. De verb. Ev. C. 8.

Lectio ix.

NUmquid in ſupérbiam vos erígimus, aut dícimus vobis ut advérsùs poteſtátes ordinátas contemptóres ſitis? Non hoc dícimus. Non eſt potéſtas niſi à Deo : quæ autem ſunt, à Deo ordinátæ ſunt. Qui autem reſíſtit poteſtáti, Dei ordinatióni reſíſtit. Sed quid, ſi illud júbeat quod non debes fácere? Hîc ſanè contem-

ne potestátem, timéndo potestátem. Ipsos humanárum rerum gradus advértite. Si áliquid jússerit Curátor, nonne faciéndum est? Tamen si contra Procónsulem júbeat, non útique contémnis potestátem; sed éligis majóri servíre. Nec hinc debet minor irásci, si major prælátus est. Rursum, si áliquid ipse Procónsul júbeat, & áliud júbeat Imperátor, nunquid dubitátur, isto contémpto, illi esse serviéndum? Ergo si áliud Imperátor, & áliud Deus, quid judicátis? Solve tribútum, esto mihi in obséquium. Rectè; sed non in idólio. In idólio próhibet. Quis prohibet? Major potéstas. Da véniam: tu cárcerem, ille gehénnam minátur. Hinc jam tibi assuménda est fides tua tanquàm scutum, in quo possis ómnia ignita jácula inimíci extínguere.

℟. Subjécti estóte omni humánæ creatúræ propter Deum, sive regi, quasi præcellénti, sive dúcibus tanquàm ab eo missis. * Deum timéte, regem honorificáte. ℣. Deus poténtes non ábjicit, cùm & ipse sit potens: reges in sólio cóllocat. * Deum. Glória. *Deum. 1. *Petr.* 2. *Job.* 36.

Ad Benedictus

Ant. 6. Réddite ómnibus débita: cui tribútum, tribútum; cui vectígal, vectígal; cui timórem, timórem; cui honórem, honórem. *Rom.* 13.

Oratio.

Dirigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio, ut & tibi reddámus nostra ómnia quæ tua sunt, & ordinátis à te potestátibus promptâ simus voluntate subjécti. Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit. de diebus Festis. Num.* 1.

Etsi ómnibus diébus preces Deo fundi debent, unum tamen sibi sanctificávit Sábbatum, quo nos ab ópere servíli vóluit abstinére, ut erectióre mente contemplarémur illum atque precarémur. Porrò diem Sábbati in Domínicum Ecclésia commutávit, aliósque festos dies áddidit, quibus accéptam à Deo grátiam in memóriam revocáret, &

ad sanctórum imitatiónem fidéles provocáret.

Ad Magnificat

Ant. 1. Réddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & que sunt Dei Deo. *Matth.* 22. *Oratio ut ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 3.

HEliodórus quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed Spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam, ita ut omnes qui ausi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in dissolutiónem & formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessórem, óptimis operiméntis adornátus: isque cum ímpetu Heliodóro prióres calces elísit; qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, speciosíque amíctu: qui circumstetérunt eum, & ex utráque parte flagellábant, *sine intermissióne* multis plagis verberántes.

℟. Postquàm *pag.* 364.

Lectio ij.

SUbitò autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multâ calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is qui cum multis cursóribus & satellítibus prædíctum ingréssus est ærárium, portabátur, nullo sibi auxílium feréntе, manifestâ Dei cógnitâ virtúte: & ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni spe & salúte privátus. Hi autem Dóminum benedicébant, quia magnificábat lócum suum: & templum quod paulò ante timóre ac tumúltu erat plenum, apparénte omnipoténte Dómino, gáudio & lætítiâ implétum est. Tunc verò ex amícis Heliodóri quidam rogábant conféstim Oníam, ut invocáret Altíssimum, ut vitam donáret ei qui in suprémo spíritu erat constitútus.

℟. Cóntigit *pag.* 365.

Lectio iij.

COnsíderans autem summus sacérdos, ne fortè rex suspicarétur

malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. Cùmque summus sacérdos exoráret, iidem júvenes eísdem véstibus amícti, astántes Heliodóro dixérunt: Oníæ sacerdóti grátias age: nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit: tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei & potestátem. Et his dictis, non comparuérunt. Heliodórus autem, hóstiâ Deo oblátâ, & votis magnis promíssis ei qui vívere illi concéssit, & Oníæ grátias agens, recépto exércitu, repedábat ad regem. Testabátur autem ómnibus ea quæ sub óculis suis víderat ópera magni Dei. Cùm autem rex interrogásset Heliodórum quis esset aptus adhuc semel Jerosólymam mitti, ait: Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatórem, mitte illuc, & flagellátum eum recípies, si tamen eváserit; eò quòd in loco sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitatiónem, visitátor & adjútor est loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum pércutit ac perdit. Igitur de Heliodóro, & ærárii custódiâ ita se res habet.

℟. In sartágine *p.* 366.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi. *Anno* 1566. *Part* 2. *Tit.* 5. *Et Remensi Anno* 1583. *Tit. de Visitat. N.* 8.

Oratoriórum ædificatiónem aut usum ne fácilè, sed magna de causa permíttant Epíscopi. Quòd si sacer locus belli vel témporis injúriâ dirútus exístat, & instaurári néqueat, illíus beneficia simplícia in Ecclésiam parœciálem, intra cujus límites situs erat, cum ómnibus emoluméntis & onéribus prióribus Ecclésiis impósitis transferántur.

FERIA TERTIA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 4.

Post Seléuci vitæ excéssum, cùm suscepísset regnum Antíochus qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jason frater Oníæ summum sacerdótium; ádito rege, promíttens ei argénti talénta trecénta sexaginta,

reddítibus áliis ta-
octogínta. Super hæc
ittébat & ália cen-
quinquagínta, si po-
i ejus concederétur
iásium & ephébiam
onstitúere, & eos
ı Jerosólymis erant
ıchénos scríbere.
l cùm rex annuísset,
inuísset principátum,
ı ad gentílem ritum
ibúles suos transfér-
epit. Et amótis his
ıumanitátis causâ Ju-
à régibus fúerant
ıtúta, per Joánnem
m Eupolémi qui
Romános de ami-
& societáte functus
gatióne legítimâ,
n jura destítuens,
instítúta sanciébat.
m ausus est sub ipsa
gymnasium consti-
, & óptimos quos-
phebórum in lupa-
ıs pónere. Erat au-
oc non initium, sed
néntum quoddam,
ɔféctus gentílis, &
ʒenæ conversatiónis,
er ímpii, & non sa-
tis Jasónis nefárium
ıdítum scelus.

Supra modum *pag.*

Lectio ij.

ET post triénnii tempus misit Jason Meneláum supradicti Simónis fratrem, portantem pecúnias regi, & de negótiis necessáriis respónsa perlatúrum. At ille commendátus regi, cùm magnificásset fáciem potestátis ejus, in semetípsum retórsit summum sacerdótium, superpónens Jasóni talénta argénti trecénta. Acceptísque à rege mandátis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdótio, ánimos verò crudélis tyránni & feræ bélluæ iram gerens. Et Jason quidem qui próprium frátrem captiváverat, ipse decéptus, prófugus in Ammanítem expúlsus est regióné. Meneláus autem principátum quidem obtínuit: de pecúniis verò regi promíssis nihil agébat, cùm exactiónem fáceret Sostrátus qui arci erat præpósitus: (nam ad hunc exáctio vectigálium pertínebat) quam ob causam utríque ad regem sunt evocáti. Et Meneláus amótus est à sacerdótio, succedénte Lysímacho fratre suo; Sostrátus autem prælátus est Cypriis.

℟. Cùm mater *p.* 367.

Lectio iij.

RAtus autem Meneláus accepísse se tempus opportúnum, áurea quædam vasa è templo furátus donávit Andronico, & ália vendíderat Tyri & per vicínas civitátes. Quòd cùm certíssimè cognovísset Onías, arguébat eum, & ipse in loco tuto se cóntinens Antiochíæ secùs Daphnem. Unde Meneláus accédens ad Andronícum, rogábat ut Oníam interfíceret. Qui cùm venísset ad Oníam, & datis dextris cum jurejurándo (quamvis esset ei suspéctus) suasísset de ásylo procédere, statim eum perémit, non véritus justítiam. Ob quam causam non solùm Judæi, sed áliæ quoque natiónes indignabántur & moléstè ferébant de nece tanti viri injusta. Sed regréssum regem de Cilíciæ locis adiérunt Judæi apud Antiochíam, simul & Græci, conquerentes de iníqua nece Oníæ. Contristátus itaque ánimo Antíochus propter Oníam, & flexus ad misericórdiam, lacrymas fudit, recordátus defúncti sobrietátem & modéstiam. Accensísque ánimis, Andronícum púrpurâ exútum per totam civitátem jubet circumdúci, & in eódem loco in quo in Oníam impietátem commíserat, sacrílegum vitâ privári, Dómino illi condígnam retribuénte pœnam.

℟. Rex accénsus *pag.* 368.

CANON.

Ex Concílio Senonénsi.

Anno 1528. *Decret.* 13.

INhibémus Capéllas de novo érigi, cónstrui, étiam omninò dirútas reædificári sine Diœcesanórum licéntia & permíssu. . . . . Si quæ sint Missæ quæ in Capéllis privátis dici débeant die Domínico, non dicántur nisi post Missam Parochiálem.

FERIA QUARTA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1 *Cap.* 1.

PArátum est regnum in conspéctu Antiochi, & cœpit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, & elephántis, & equítibus, & copiósâ

návium multitúdine : & constítuit bellum advérsùs Ptolemæum regem Ægypti ; & véritus est Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in terra Ægypti, & accépit spólia terræ Ægypti. Et convértit Antíochus, postquàm percússit Ægyptum in centésimo & quadragésimo tértio anno ; & ascéndit ad Israël, & ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi, & intrávit in sanctificatiónem cum supérbia.

℟. Postquàm *pag.* 364.

Lectio ij.

ET accépit altáre áureum, & candelábrum lúminis, & univérsa vasa ejus, & mensam propositiónis, & libatória, & phíalas, & mortarióla áurea, & velum, & corónas, & ornámentum áureum quod in fácie templi erat ; & comminuit ómnia. Et accépit argéntum & aurum, & vasa concupiscibília ; & accépit thesáuros occúltos quos invénit, &, sublátis ómnibus, ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eórum. Et ingemuérunt príncipes & senióres : vírgines & júvenes infirmáti sunt : & speciósitas mulíerum immutáta est. Omnis maritus sumpsit laméntum ; & quæ sedébant in thoro maritáli, lugébant: & commóta est terra super habitántes in ea, & univérsa domus Jacob índuit confusiónem.

℟. Cóntigit *pag.* 365.

Lectio iij.

ET misit rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem, & in omnes civitátes Juda, ut sequeréntur reges géntium terræ, & prohibérent holocáusta, & sacrifícia, & placatiónes fieri in templo Dei ; & prohibérent celebrári Sábbatum, & dies solémnes : & jussit coinquinári sancta, & sanctum pópulum Israël. Et jussit ædificári aras, & templa, & idóla, & immolári carnes suíllas, & pécora commúnia, & relínquere fílios suos incircumcísos, & coinquinári ánimas eórum in ómnibus immúndis & abominatiónibus, ita ut obli-

viscérentur legem, & immutárent omnes justificatiónes Dei; & quicúmque non fecíssent secúndùm verbum regis Antíochi, morérentur. Secúndùm ómnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præpósuit princípes pópulo qui hæc fieri cógerent. Et jussérunt civitátibus Juda sacrificáre.

℟. In sartágine *p.* 366.

CANON.

Ex Concílio Agathénsi.

Anno 506. *Can.* 21.

SI quis étiam extrà Paróchias in quibus legítimus est ordináriusque Convéntus, Oratórium in agro habére volúerit reliquis festivitátibus, ut ibi Missas téneat propter fatigatiónem famíliæ justâ ordinatióne permíttimus. Pascha verò, Natále Dómini, Epiphániam, Ascensiónem Dómini, Pentecósten & Natálem sancti Joánnis Baptístæ, vel si qui máximi dies in festivitátibus habéntur, non nisi in civitátibus aut in Paróchis téneant.



FERIA QUINTA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. *Cap.* 6.

ELeázarus unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, áperto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quàm odibílem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. Intuens autem, quemádmodùm oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admittére illícita propter vitæ ámorem. Hi autem qui astábant, iníquâ miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secrétò, rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus, ut hoc facto à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Supra modum *pag.* 366.

Lectio ij.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitátis canítiem, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secúndùm sanctæ & à Deo cónditæ legis constitúta, respóndit citò, dicens, præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est inquit, fíngere, ut multi adolescéntium, arbitrántes Eleázarum nonáginta annórum transísse ad vitam alienigenárum, & ipsi propter meam simulatiónem, & propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur, & per hoc máculā atque execratiónem meæ senectúti conquíram. Nam etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam: quamóbrem fórtiter vitâ excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo; adolescéntibus autem exémplum forte relínquā, si promptο ánimo, ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honéstâ morte perfungar. His dictis, confestim ad supplícium trahebátur.

℟. Cùm mater *p.* 367.

Lectio iij.

HI autem qui eum ducébant, & paulò antè fúerant mitióres, in iram convérsi sunt propter sermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabántur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit & dixit: Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia, cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres: secúndùm ánimam verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. Et iste quidem hoc modo vitâ decéssit, non solùm juvénibus, sed & univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens.

℟. Rex accénsus *p.* 368.

CANON.

Ex Concílio Moguntino. *An.* 1549. *Cap.* 2. *Can.* 95.

SAcelláni nobílium in Sacéllis Missas celebráre, aut ália Sacraménta conférre, aut étiam prædicáre non præsúmant, nisi super eo autoritátem & consénsum

ordinariórum obtinúerint: Salvis étiam júribus Parochiárum ad quas tália castra nobílium pertinére noscúntur.

FERIA SEXTA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 7.

CONtígit & septem fratres unà cum matre sua apprehénsos, compélli à rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & táureis cruciátos. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis díscere à nobis? Paráti sumus mori magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, jussit sartágines & ollas æneas succéndi: quibus statim succénsis, jussit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam; & cute cápitis abstráctâ, summas quoque manus & pedes ei præscíndi, cæteris ejus frátribus & matre inspiciéntibus. Et cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, & adhuc spírantem torréri in sartágine: in qua cùm diu cruciáretur, cæteri unà cum matre invicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes: Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis, quemádmodùm in protestatióne cántici declarávit Móyses: Et in servis suis consolábitur. Mórtuo ítaque illo primo hoc modo, sequéntem deducébant ad illudéndum; & cute cápitis ejus cum capíllis abstráctâ, interrogábant si manducáret, priúsquàm toto córpore per membra síngula punirétur. At ille respóndens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quod & iste, sequénti loco, primi torménta suscépit; & in último spíritu constitútus, sic ait: Tu quidem, scelestíssime, in præsénti vita nos perdis, sed rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit.

℟. Postquàm *pag.* 364.

Lectio ij.

POst hunc tértius illúditur, & linguam postulátus citò prótulit, & manus constánter exténdit, & cum fidúcia ait: È cœlo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quó-

am ab ipso me ea re-
ptúrum spero, ita ut
x, & qui cum ipso erant,
raréntur adolescéntis á-
num, quòd tanquàm
iilum dúceret cruciátus.
hoc ita defúncto, quar-
n vexábant similiter tor-
éntes. Et cùm jam esset
mortem, sic ait: Pó-
s est ab homínibus mor-
latos spem expectáre à
o, íterum ab ipso re-
citándos; tibi enim re-
réctio ad vitam non
t. Et cùm admovíssent
ntum, vexábant eum.
ille respíciens in eum,
it: Potestátem inter
nines habens, cúm sis
ruptíbilis, facis quod
; noli autem putáre ge-
nostrum à Deo esse
elíctum: tu autem pa-
iter sústine, & vidébis
gnam potestátem ip-
, quáliter te & semen
m torquébit. Post hunc
ébant sextum, & is
ri incípiens, sic ait:
li frustrà erráre; nos
n propter nosmetípsos
pátimur, peccántes
Deum nostrum, & di-
admiratióne facta sunt
nobis: tu autem ne
times tibi impúnè fu-
m, quòd contra Deũ
náre *tentáveris*.

℟. Cóntigit *pag.* 365.

Lectio iij.

Supra modum autem mater mirábilis & bonórum memóriâ digna, quæ pereúntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spẽ quam in Deum habébat, síngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta sapiéntiâ, & fœmíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos: Néscio quáliter in útero meo apparuístis: neque enim ego spíritum & ánimam donávi vobis & vitam, & singulórum membra non ego ipsa compégi: sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátẽ, quique ómnium invénit originem, & spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges ejus.

℟. In sartágine *p.* 366.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

Anno 1565. *Part.* 2.

Oratória ne sint in interiórum ædium pártibus, in quibus Dómini vel família frequéntiùs

versséntur : Sed cómmodo & honésto loco à cubículis, triclíniis & ab aula separáto, ad templi formam própiùs accédant.

SABBATO.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 7.

ANtíochus contémni se arbitrátus, simul & exprobrántis voce despéctâ, cùm adhuc adolescéntior superésset, non solùm verbis hortabátur, sed & cum juraménto affirmábat se dívitem & beátum factúrum, & translátum à pátriis légibus amícum habitúrum, & res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cùm adoléscens nequáquàm inclinarétur, vocávit rex matrem, & suadébat ei ut adolescénti fíeret in salútem. Cum autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se fílio suo.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

ITaque inclinata ad illum, irrídens crudélem tyrannum, ait pátriâ voce : *Fili* mi, miserére meî, quæ te in útero novem ménsibus portávi, & lac triénnio dedi & álui, & in ætátem istam perdúxi. Peto, nate, ut aspícias ad cœlum & terram, & ad ómnia quæ in eis sunt, & intélligas quia ex níhilo fecit illa Deus & hóminum genus : ita fiet ut non tímeas carníficem istum, sed dignus frátribus tuis effléctus párticeps, suscípe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam.

Lectio iij.

CUm hæc illa adhuc díceret, ait adoléscens : Quem sustinétis? non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis per Móysen. Tu verò qui invéntor omnis malitíæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur : & si nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noster módicùm irátus est, sed íterum reconciliábitur servis suis. Tu autem, ô scelésté, & ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustra extólli vanis spebus in servos ejus inflammá-

tus ; nondum enim omnipoténtis Dei, & ómnia inspiciéntis judícium effugísti. Nam fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testámento ætérnæ vitæ effécti sunt : tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exólves. Ego autem, sicut & fratres mei, ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus, ínvocans Deum matúriùs genti nostræ propítium fieri, teque cum torméntis & verbéribus confitéri quòd ipse est Deus solus. In me verò & in frátribus meis désinet omnipoténtis ira, quæ super omne genus nostrum justè superdúcta est. Tunc rex accénsus irâ, in hunc super omnes crudéliùs desævit, indígnè ferens se derísum. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. Novíssimè autem post filios & mater consúmpta est.

C A N O N.

Ex Concílio Avenionénsi.

Anno 1594. *Tit.* 24.

Calices ad Missæ sacrifícium non adhibeántur, nisi argéntei ab interióre parte inauráti. Sint verò instrúcti Purificatório decénti & Albo, Paténâ inaurátâ ad dignoscéndas particulas commodióre ; Velo decénti ejus colóris qui Missæ offício convéniat, quodque totum cálicem tegat.

¶ *Si unica tantùm supersit Dominica usque ad Adventum, quod contingit, quoties Pascha occurrit die 24. vel 25. Aprilis, prætermittitur Officium Hebdomadæ XXIII. sequentis, ejusque loco ponitur Officium Dominicæ & Hebdomadæ ultimæ post Pentecosten, ut infra ante Proprium Sanctorum.*

DOMINICA XXIII.

post Pentecosten.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 7. Simon Mathathíæ filius, & fratres ejus dedérunt se perículo, & restitérunt adversáriis gentis suæ, ut starent sancta ipsórum, & lex : & glóriâ magnâ glorificavérunt gentem suam. 1. *Mach.* 14.

Oratio ut infrà ad Laudes.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Psal. 43.

Lectio iv.

MAchabæi, cùm invasísset Judæam Antíochus, qui dictus est Epíphanes, & ómnia devastásset, & multos qui tunc erant, à pátriis institútis resilíre coëgísset, permansérunt illæsi ab illis tentatiónibus. Et quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquã póterant fácere quod prodésset, se abscondébant; nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper in média irruébant perícula, sed nonnúnquàm fugiéntes, & laténtes cedébant. Postquàm autem parùm respiráverant, tanquàm generósi quidam leúnculi ex antris exiliéntes, & è látebris emergéntes, statuébant se non ámpliùs solos serváre, sed álios quoscúmque possent: & civitátem & omnem regiónem obeúntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc sanos & íntegros; & multos étiam qui laborábant & corrúpti erant, in statum prístinum redegérunt, eis persuadéntes redíre ad legem pátriam.

℟. Illi quídem armis confídunt, & audáciâ, * Nos in omnipoténte Dómino, qui potest & veniéntes advérsùm nos, & univérsum mundum uno nutu delére, confídimus. ℣. Hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra. * Nos. 2. *Mach.* 8. I. *Joan.* 5.

Lectio v.

DEum enim dicébant esse benígnum & cleméntem, nec unquàm adímere salútem quæ profiscíscitur ex pœniténtia. Hæc autem dicéntes, habuérunt deléctum virórum fórtium. Non enim pro uxóribus, líberis, & ancíllis, patriæque eversióne, & captivitáte, sed pro lege & pátria república pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & próprias expónerent ánimas, fundébant adversários, non armis fidéntes, sed loco omnis armatúræ pugnæ causam sufficere ducéntes. Ad bellum autem eúntes, non tragœdias excitábant; non pæana canébant, sicut

nonnulli

nonnúlli fáciunt: non adcíscébant tibícines, ut fit in áliis castris, sed Dei supérnè auxílium invocábant, ut adésset, opem ferret, & manum præbéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. In áliis natiónibus Dóminus patiénter expéctat, ut eas in plenitúdine peccatórum púniat; * Corrípiens verò in advérsis pópulum suum, non derelínquit. ℣. Novit Dóminus iníquos in diem judícii reserváre cruciándos. * Corrípiens. 2. *Mach.* 6. 2. *Petr.* 2.

Lectio vj.

VIdeámus ergo quid hæc castra Dei loquántur, quæ sunt spirituáli munita auxílio, cùm sunt hostes aggressúra. Deus, áuribus nostris audívimus. Quia enim nonnulli eórum qui cum ipsis stabant in ácie, Antíochi multitúdinem, instrúctam áciem, & victóriam vidéntes, quòdque ómnia primo ímpetu cepísset, propriámque imbecillitátem & paucitátem considerántes, molliores erant & imbecilliores; eórum ánimos spiritúsque excitans, & osténdens in Dei ductu univérsum situm esse, & absque exércitu, si is opem ferat, posse parári victóriam, instar precatiónis compósitam suasiónem & exhortatiónem effert ad commilitónes, & Deum álloquens, eos promptióres reddit & alacrióres. Sed tanquàm hæc eis deéssent quæ jure afférre possent, nec fidúciam ex suis factis habérent, ad ea quæ Deus majóribus illórum fécerat, confúgiunt. Eos enim qui fidúciæ causam non habent, hæc fácere non est mirum, cùm eos ipsos trahat ad hoc necéssitas. Cùm autem illi qui quóniam rectè fecérunt, magníficè loqui possunt, nolunt ex iis servári, sed ex Dei benignitáte quâ in patres usus est, hoc est magnum arguméntum eórum humilitátis: prompti autem & álacris ánimi sui non parvam hinc quoque causam státuunt.

℟. Pro peccátis nostris hæc pátimur: * Etsi nobis propter correptiónem Deus noster módicùm irátus est, † Iterum reconciliábitur servis suis. ℣. Persecutiónem pátimur, sed

non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus. * Etsi nobis. Glória. † Iterum. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 4.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 9.

IN illo témpore; Loquénte Jesu ad discípulos Joánnis, ecce princeps unus accéssit, & adorábat eum, dicens: Dómine, filia mea modò defúncta est; sed veni, impóne manum tuam super eam, & vivet. Et réliqua.

Homília Sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. Lib. 6. *num.* 60.

COnsiderémus quòd Christus suscitatúrus mórtuam, ad faciéndam fidem, hemorrhoüsam antè curávit. Et ut scias exémpli grátiâ stetísse sánguinis fluxum, dum illa pétitur, ista curátur. Sic & resurréctio temporális in Dómini passióne celebrátur, ut & perpétua illa credátur. Sic & Maríæ paritúra stérilis indicátur, ut conceptúra virgo credátur. Dénique audívit paritúram Elízabeth María, nec de sua generatióne dubitávit. Venérunt, inquit, servi dicéntes princípi: Noli vexáre illum. Adhuc & hi incréduli ad resurrectiónem quam Jesus in lege prædíxit, in Evangélio complévit. Itaque cùm venísset in domum, paucos futúræ árbitros resurrectiónis ascívit; non enim à multis contínuò est crédita resurréctio.

℟. Quidam de Archisynagógis prócidit ad pedes Jesu, dicens: Fília mea in extrémis est: * Veni, impóne manum super eam, ut salva sit. ℣. Tu, Dómine, vitæ & mortis habes potestátem; dedúcis ad portas mortis, & redúcis. * Veni. *Marc.* 5. *Sap.* 16.

Lectio viij.

DIcénte Dómino: Non est mórtua púella, sed dormit; deridébant eum. Quicúmque enim non credit, irrídet. Fleant ígitur mórtuos suos, qui putant mórtuos: ubi resurrectiónis fides est, non mortis est spécies, sed quiétis. Nec abhórret illud Matthæi, quod ait tibícines fuísse in domo príncipis, & turbam tumultuántem; quia more véteri tibícines ad incen-

déndos excitandósque luctus videbántur adhibéri.

℟. Véniunt ab Archisynagógo, dicéntes : Fília tua mórtua est ; quid ultrà vexas Magístrum ? Jesus ait : * Noli timére ; tantúmmodò crede. ℣. Dabit tibi Dóminus petitiónes cordis tui : spera in eo : & ipse fáciet. * Noli. *Marc.* 5. *Ps.* 36.

Lectio ix.

TEnens ergo manum púellæ Jesus, sanávit eam : & jussit ei dari manducáre ; quod est testimónium vitæ, ut non phantásma, sed véritas crederétur. Beátus ille cui manum Sapiéntia tenet. Utinam meos quoque téneat actus, téneat manum justítia, téneat Dei Verbum, indúcat in penetrália sua, spíritum avértat erróris, convértat salútis, dari mihi júbeat manducáre. Panis enim cœléstis, Dei Verbum est. Inde & illa Sapiéntia quæ divíni córporis & sánguinis sacrosáncta altária replévit aliméntis : Veníte, inquit, édite panes meos, & bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Cùm veníſſet Jesus domum, tenens manum púellæ, * Clamávit, dicens : Púella, surge : & † Revérsus est spíritus ejus; & surréxit continuò. ℣. In omni necessitáte ómnia obáudiunt ei. * Clamávit. Glória. † Revérsus. *Luc.* 8. *Eccli.* 42.

Ad Benedictus

Ant. 6. Dicébat múlier intrà se : Si tetígero tantùm vestiméntum ejus, salva ero. *Matth.* 9.

Oratio.

ABsolve, quæsumus, Dómine, tuórum delícta populórum, ut à peccatórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tuâ benignitáte liberémur. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Turonénsi tértio.

Anno 813. *Can.* 37.

SCiéndum est, quòd, excéptis diébus Domínicis & illis solemnitátibus, quibus & universális ecclésia ob recordatiónem Domínicæ resurrectiónis, solet stando oráre ; fixis in terra génibus, suppliciter Dei clementiam nobis profutúram ; nostrorúmque críminum indulgéntiam deposcéndum est.

Ad Magníficat

Ant. 1. Jesus convérsus, dixit: Confíde, fília, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est múlier ex illa hora. *Matth.* 9.

Oratio ut suprà ad Laud.

FERIA SECUNDA

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. *Cap.* 2.

EXclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: Omnis qui zelum habet legis, státuens testaméntum, exeat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, & reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quæréntes judícium & justitiam, in desértum: & sedérunt ibi ipsi, & filii eórum, & mulíeres eórum, & pécora eórum; quóniam inundavérunt super eos mala. Et renuntiátum est viris regis, & exercítui qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occúlta in desérto, & abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos & constituérunt advérsùs eos prælium in die sabbatórum, & dixérunt ad eos: Resístitis & nunc adhuc? Exíte, & fácite secúndùm verbum regis Antíochi, & vivétis. Et dixérunt: non exíbimus, neque faciémus verbum regis ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt advérsùs eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes: Moriámur omnes in simplicitáte nostra; & testes erunt super nos cœlum & terra, quòd injústè pérditis nos.

℟. Intrávit *pag.* 382.

Lectio ij.

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, & dixit fíliis suis: Nunc confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ô filii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; & accipiétis glóriam magnam & nomen ætérnum. Abraham nonne in tentatióne invéntus est fidélis, & reputátum est ei ad justítiam?

Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, & factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni.

℟. Ex gravi *pag.* 383.

Lectio iij.

VOs ergo, filii, confortámini, & viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilii est: ipsum audíte semper, & ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis víribus à juventúte sua, sit vobis princeps milítiæ; & ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis; & vindicáte vindíctam pópuli vestri. Retribúite retributiónem géntibus, & inténdite in præcéptum legis. Et benedíxit eos, & appósitus est ad patres suos. Et defúnctus est anno centésimo & quadragésimo-sexto; & sepúltus est à fíliis suis in sepúlcris patrum suórum in Modin: & planxérunt eum omnis Israël planctu magno.

℟. Surréxit *pag.* 383.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *Part.* 1. *Tit.* 1.

CŒmetéria ut muro vel álias tutè úndique sepiántur, & eórum ingréssus béstiis occludátur, curet Epíscopus diligénter. In eórum médio crux firmiter eré cta sit.

FERIA TERTIA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. *Cap.* 3.

SUrréxit Judas qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo; & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérsi qui se conjúnxerant patri ejus, & præliabántur prælium Israël cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo tuo, & induit se lorícam sicut gigas, & succínxit se arma béllica sua in præliis, & protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, & sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: & qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis; & repúlsi sunt inimíci ejus præ ti-

móre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt, & diréċta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus suis, & in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, & pérdidit ímpios ex eis, & avértit iram ab Israël. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ, & congregávit pereúntes. Et congregávit Apollónius gentes, & à Samaría virtútem multam & magnam, ad bellándũ contra Israël. Et cognóvit Judas, & éxiit óbviam illi, & percússit, & occídit illum; & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt; & accépit spólia eórum, & gládium Apollónii ábstulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Illi quidem *p.* 384.

Lectio ij.

ET vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala, & exércitus applicábant ad fines eórum: & cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum & consummatiónem; & dixérunt unusquísque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, & pugnémus pro pópulo nostro & sanctis nostris. Et congregátus est convéntus, ut essent paráti in prælium, & ut orárent, & péterent misericórdiam & miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabátur, sed erat sicut desértum: non erat qui ingrederétur & egrederétur de natis ejus; & sanctum conculcabátur: & filii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio géntium: & abláta est volúptas à Jacob, & defécit ibi tíbia & cíthara. Et congregáti sunt, & venérunt in Maspha contra Jerúsalem, quia locus oratiónis erat in Maspha ante in Israël. Et jejunavérunt illâ die, & induérunt se cilíciis, & cínerem imposuérunt cápiti suo; & discidérunt vestiménta sua: & expandérunt libros legis, de quibus scrutabántur gentes similitúdinem simulacrórum suórum.

℟. In áliis *pag.* 385.

Lectio iij.

ET post hæc constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, & centurióncs,

& pentacontárchos, & decurióņes. Et dixit his qui ædificábant domos, & sponsábant uxóres, & plantábant víneas, & formidolósis, ut redírent unusquísque in domũ suam secúndùm legem. Et movérunt castra, & collocavérunt ad austrum Emmaüm. Et ait Judas: Accingímini, & estóte filii poténtes; & estóte paráti in manè, ut pugnétis advérsùs natiónes has quæ convenérunt advérsùs nos dispérdere nos, & sancta nostra, quóniam mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ & sanctórum. Sicut autem fúerit volúntas in cœlo, sic fiat.

℟. Pro peccátis *p.* 385.

C A N O N.

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit. de Sepult. Num.* 1. & 2.

QUantùm autem áttinet ad christianórum sepultúram, quam nec supérbam nec negléctam esse decet, paræci in hanc offícii partem diligénter incúmbent, ut piórum fúnera christiánæ simplicitátis ac modéstiæ límites non excédant: Id autem fiet, si ipsi primùm mercéde consuétâ & honéstâ conténti, deinde supérfluas impénsas, quæ propter ambitiónem ac fastum fiunt, vel hærédibus relínqui, vel paupéribus erogári suádeant.

FERIA QUARTA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. Cap. 4.

COmmisérunt prælium: & cecidérunt de exércitu Lysiæ quinque míllia virórum. Videns autem Lysias fugam suórum, & Judæórũ audáciam, & quòd paráti sunt aut vívere aut mori fórtiter, ábiit Anthiochíam, & elégit mílites, ut multiplicáti rursus venírent in Judæam. Dixit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri; ascendámus nunc mundáre sancta, & renováre. Et congregátus est omnis exércitus, & ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatiónem desértam, & altáre profanátum, & portas exústas, & in átriis virgúlta nata sicut in saltu vel in móntibus, & pastophória díruta. Et scidérunt vestiménta sua, & planxérunt planctu magno, & imposuérunt ci-

nerem super caput suum; & cecidérunt in fáciem super terram, & exclamavérunt tubis signórum, & clamavérunt in cœlum.

℟. Intrávit *pag.* 382.

Lectio ij.

TUnc ordinávit Judas viros ut pugnárent advérsùs eos qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habéntes in lege Dei: & mundavérunt sancta, & tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et íncidit illis consílium bonum ut destrúerent illud, ne fortè illis esset in oppróbrium, quia contaminavérunt illud gentes: & demolíti sunt illud. Et reposuérunt lápides in monte domûs in loco apto, quoadúsque veníret Prophéta, & respondéret de eis. Et accepérunt lápides íntegros secúndùm legem; & ædificavérunt altáre novum, secúndùm illud quod fuit priùs: & ædificavérunt sancta, & quæ intrà domum erant intrínsecùs; & ædem & átria sanctificavérunt.

℟. Ex gravi *pag.* 383.

Lectio iij.

ET obtulérunt sacrifícium secúndùm legem super altáre holocaustórũ novum quod fecérunt. Secúndùm tempus & secúndùm diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, & cítharis, & cínyris, & in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt, & benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, & obtulérunt holocáusta cum lætítia, & sacrifícium salutáris & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis & scútulis; & dedicavérunt portas & pastophória, & imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valde, & avérsum est oppróbrium géntium. Et státuit Judas & fratres ejus, & univérsa ecclésia Israël, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis ab anno in annum.

℟. Surréxit *pag.* 383.

C A N O N.

Ex Concílio Reménsi.

Anno 1583. *Tit. de Sepult. Num.* 5. & 6.

OMnes Christiáni, præsértim Láïci, quibus sepultúra ecclesiástica non est interdícta, in cæmetériis non autem in ecclésiis sepeliántur, nisi fortè de consénsu superiórum. Superióres autem non passim ómnibus id privilégii concédant, sed in ejúsmodi concessiónibus deléctum hábeant personárum.

FERIA QUINTA.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 9.

EOdem témpore Antíochus inhonéstè revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam quæ dicitur Persépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: sed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam versi sunt; & ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cùm venísset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum gesta sunt. Elá*tus autem in ira, arbitra*bátur se injúriam illórum qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére; ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, cœlésti eum judício perurgénte, eò quòd ita supérbè locútus est se ventúrum Jerosólymam, & congériem sepúlcri Judæórum eam factúrum. Sed qui univérsa cónspicit Dóminus Deus Israël, percússit eum insanábili & invisíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehéndit eum dolor dirus víscerum, & amára internórum torménta, & quidem satis justè; quippe qui multis & novis cruciátibus aliórum tórserat víscera, licèt ille nullo modo à sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbiâ replétus, ignem spirans ánimo in Judæos, & præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, & gravi córporis collisióne membra vexári.

℟. Illi quidem *p.* 384.

Lectio ij.

ISque quì sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra huma-

num modum supérbiâ replétus, & móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, maniféstam Dei virtútem in semetípso contéstans: ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus & fœtóre exércitus gravarétur; &, qui paulò ante sídera cœli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiã fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi supérbia dedúctus ad agnitiónem suî veníre, divínâ admónitus plagâ, per moménta síngula dolóribus suis augménta capiéntibus. Et cùm nec ipse jam fœtórem suum ferre posset, ita ait: Justum est súbditum esse Deo, & mortálem non pária Deo sentíre. Orábat autem hic sceléstus Dóminum, à quo non esset misericórdiam consecutúrus.

℟. In áliis *pag.* 385.

Lectio iij.

SEd non cessántibus dolóribus, (supervénerat enim in eum justum Dei judícium) despérans, scripsit ad Judæos in modum deprecatiónis epístolam hæc continéntem: Optimis cívibus Judæis plúrimam salútem, & bene valére, & esse felíces, rex & princeps Antíochus. Si bene valétis & fílii vestri, & ex senténtia vobis cuncta sunt, máximas ágimus grátias. Et ego in infirmitáte constitútus, vestrî autem memor, benígnè revérsus de Pérsidis locis, & infirmitáte gravi apprehénsus, necessáriũ duxi pro commúni utilitáte curam habére; non despérans memetípsum, sed spem multam habens effugiéndi infirmitátem. Respíciens autem quòd & pater meus, quibus tempóribus in locis superióribus ducébat exércitum, osténdit qui post se suscíperet principátum; ut si quid contrárium accíderet, aut diffícile nuntiarétur, sciéntes hi qui in regiónibus erant, cui esset rerum summa derelícta, non turbaréntur. Ad hæc consídérans de próximo poténtes quosque, & vicínos tempóribus insidiántes, & evéntum expectántes, designávi fílium meum Antíochum regem, quem

ſæpè recúrrens in ſuperióra regna multis veſtrûm commendábam : & ſcripſi ad eum quæ ſubjécta ſunt. Oro ítaque vos, & peto, mémores beneficiórum públicè & privátim, ut unuſquíſque consérvet fidem ad me & ad filium meum. Confido enim eum modéſtè & humánè actúrum, & ſequéntem propóſitum meum, & commúnem vobis fore. Igitur homicída & blaſphémus péſſimè percúſſus, & ut ipſe álios tractáverat, pérегrè in móntibus miſerábili óbitu vitâ functus eſt.

℟. Pro peccátis *p.* 385.

C A N O N.

Ex Concílio Tolosáno.

An. 1590. *Part.* 2. *C.* 10.

MOrtuos intrà Eccléſiam, multò minùs propè Altáre ſepelíri non ita fácilè permittátur, niſi eos quos Eccleſiáſtica dígnitas, aut géneris prærogatíva, aut ómnibus perſpécta virtus illuſtrióres reddíderit, ita tamen ut ſupra ſoli planítiem ſepúlcri moles non attollátur.



FERIA SEXTA

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 10.

AT Tímotheus qui priùs à Judæis fúerat ſuperátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, & congregáto equitátu Aſiáno, advénit quaſi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, & qui cum ipſo erant appropinquánte illo, deprecabántur Dóminum, caput terra aſpergéntes, lumbóſque cilíciis præcíncti, ad altáris crepídinem provolúti, ut ſibi propítius, inimícis autem eórum eſſet inimícus, & adversáriis adverſarétur, ſicut lex dicit. Et ita poſt oratiónem, ſumptis armis, lóngiùs de civitáte procedéntes, & próximi hóſtibus effécti, reſedérunt. Primo autem ſolis ortu utríque commiſérunt: iſti quidem victóriæ & proſperitátis ſponsórum cum virtúte Dóminum habéntes; illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed cùm véhemens pugna eſſet, apparuérunt adversáriis de cœlo viri quinque in equis, frænis

áureis decóri, ducátum Judæis præstántes: ex quibus duo Machabæum médium habéntes, armis suis circumséptum incólumem conservábant, in adversários autem tela & fúlmina jaciébant, ex quo & cæcitáte confúsi, & repléti perturbatióne cadébant. Interfécti sunt autem vigínti míllia quingénti, & équites sexcénti. Timótheus verò confúgit in Gázaram præsídium munítum, cui præerat Chæreas.

℟. Intrávit *pag.* 382.

Lectio ij. Cap. 11.

LYsias autem ingréssus Judæam, & apprópians Bethsúræ quæ erat in angústo loco, ab Jerosólyma intervállo quinque stadiórum, illud præsídium expugnábat. Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia, cum fletu & lacrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salútem Israël. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortátus est simul secum perículum subíre, & ferre auxílium frátribus suis. Cumque páriter prompto ánimo procéderent, Jerosólymis appáruit præcédens eos eques in veste cándida, armis áureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixérunt misericórdem Dóminum, & convaluérunt ánimis, non solùm hómines, sed & béstias ferocíssimas, & muros férreos paráti penetráre. Ibant ígitur prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miserántem super eos Dóminum. Leónum autem more, ímpetu irruéntes in hostes, prostravérunt ex eis úndecim míllia péditum, & équitum mille sexcéntos: univérsos autem in fugam vertérunt; plures autem ex eis vulneráti, nudi evasérunt. Sed & ipse Lysias túrpiter fúgiens evásit.

℟. Ex gravi *pag.* 383.

Lectio iij. Cap. 15.

NIcánor quidem cum summa supérbia eréctus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda. Machabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum; & hortabátur suos, ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habé-

rent adjutória sibi facta de cœlo, & nunc sperârent ab Omnipoténte sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, simul ostendébat géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem. Singulos autem illórum armávit, non clypei & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis & exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus: Oníam qui fúerat summus sacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuísse & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum; respondéntem verò Oníam dixísse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: hic est qui multùm orat pro pópulo & univérsa sancta civitáte, Jeremías prophéta Dei. Extendisse autem Jeremíam dextram, & dedisse Judæ gládium áureum, dicéntem: Accípe sanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israël. Exhortáti itaque Judæ sermónibus bonis valde, de quibus extólli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre.

℟. Surréxit *pag.* 383.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *An.* 1583. *Cap.* 15. *de Sepult.*

PAuperes, quibus ádeò ténues fuére facultátes, ut própriis impénsis humári néqueant; gratis ac honéstè tamen sepéliant Párochi: alíoqui pœnas arbitrárias exolutúri.

SABBATO.

De Libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 15.

NIcánor & qui cum ipso erant, cum tubis & cánticis admovébant. Judas verò, & qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréssi sunt: manu quidem pugnántes, sed

Dóminum córdibus orántes, prostravérunt non minùs triginta quinque míllia, præséntiâ Dei magníficè delectáti. Cùmque cessássent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruísse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipoténtē Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abscíssam, Jerosólymam perférri. Quò cùm pervenísset, convocátis contribúlibus & sacerdótibus ad altáre, accérsiit & eos qui in arce erant. Et osténso cápite Nicánoris, & manu nefáriâ quā exténdens contra domum sanctam omnipoténtis Dei, magníficè gloriátus est: linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari, manum autem deméntis contra templum suspéndi. Omnes ígitur cœli benedixérunt Dóminum, dicéntes: Benedíctus qui locum suum incontaminátum servávit. *Suspéndit* autem Nicánoris caput in summa arce; ut évidens esset & maniféstum signum auxílii Dei.

Si fiat de Sabbato ℟℟. sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij. Lib. 1. Cap. 9.

CÆtera verba bellórum Judæ, & virtútum quas fecit, & magnitúdinis ejus, non sunt descripta; multa enim erant valde. Et factum est, post óbitum Judæ emersérunt iníqui in ómnibus fínibus Israël, & exórti sunt omnes qui operabántur iniquitátem. In diébus illis facta est fames magna valde, & trádidit se Bácchidi omnis régio eórum cum ipsis. Et elégit Bácchides viros ímpios, & constítuit eos dóminos regiónis: & exquirébant, & perscrutabántur amícos Judæ, & adducébant eos ad Bácchidem. Et vindicábat in illos, & illudébat. Et facta est tribulátio magna in Israël, qualis non fuit ex die quâ non est visus Prophéta in Israël. Et congregáti sunt omnes amíci Judæ, & dixérunt Jónathæ: Ex quo frater tuus Judas defúnctus est, vir símilis ei non est qui éxeat contra inimícos nos-

tros, Bácchidem, & eos qui inimíci sunt gentis nostræ. Nunc ítaque te hódie elégimus esse pro eo nobis in príncipem & ducem ad belländum bellum nostrum. Et suscépit Jónathas témpore illo principátum, & surréxit loco Judæ fratris sui.

Lectio iij. *Cap.* 13.

ET audívit Simon quòd congregávit Tryphon exércitum copiósum, ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est & in timóre, ascéndit Jerúsalem, & congregávit pópulum, & adhórtans, dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, fécimus pro légibus & pro sanctis prælia, & angústias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Israël, & relíctus sum ego solus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis; non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam & sancta, natos quoque nostros & uxóres; quia congregátæ sunt univérsæ gentes contérere nos inimicítiæ grátiâ. Et accénsus est spíritus pópuli simul ut audívit sermónes istos; & respondérunt voce magnâ, dicéntes: Tu es dux noster loco Judæ & Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum; & ómnia quæcúmque díxeris nobis, faciémus.

CANON.

Ex Concilio Reménsi. *An.* 1583. *Tit. de Sepult. Num.* 9. & 10.

HUmáta semel córpora fidélium exhumári, & in ália loca quantúmvis pia & religiósa deférri, sine expréssa Epíscopi licéntia, vetámus. Et si qua controvérsia de efferéndo córpore, vel de ália áliqua re símili oriátur, ad Epíscopi judícium referátur, ac illíus arbítrio terminétur.

¶ *Dominicæ post Pentecosten non possunt esse pauciores viginti tribus nec plures viginti octo. Si fuerint tantùm viginti tres, tunc prætermittitur Officium Hebdomadæ XXIII. & ponitur Hebdomada ultima, ut infra ante Proprium Sanctorum.*

Si fuerint viginti qua-

tuor, omittuntur Hebdomadæ quæ mox dicentur post Epiphaniam resumendæ, & ponitur Officium Dominicæ, quæ inscribitur, ultima post Pentecosten.

Quod si Dominicæ illæ plures fuerint quam viginti quatuor, tunc post Hebdomadam XXIII. resumetur Officium unius aut plurium Hebdomadarum quæ eo anno superfuerint post Epiphaniam, incipiendo à Vesperis Sabbati, & ordine infra posito.

Si igitur fuerint Dominicæ XXV. resumetur Officium Dominicæ VI. quæ superfuit post Epiphaniam.

Si XXVI. resumetur Officium Dominicarum V. & VI. Si XXVII. resumetur Officium Dominicarum IV. V. & VI. Si XXVIII. fuerint, resumetur Officium Dominicarum III. IV. V. & VI. ita ut ultimo loco semper ponatur ea quæ infra dicitur Ultima post Pentecosten.

HEBDOMADÆ
POST EPIPHANIAM
RESUMENDÆ

Quando post Pentecosten plures fuerint Dominicæ quàm viginti-quatuor.

DOMINICA III.
quæ superfuit
POST EPIPHANIAM.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magníficat

Ant. 2. Sciéntes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu crédimus. *Galat.* 2.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem qui suscitávit eum à mór-

nis ; & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ : Grátia vobis & pax à Deo Patre, & Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam, secúndùm voluntátem Dei & Patris nostri, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Apud Dóminum misericórdia & copiósa apud eum redémptio. * Et ipse rédimet Israël ex ómnibus iniquitátibus ejus. ℣. Salvátor noster Jesus Christus dedit semetípsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte. * Et ipse. *Ps.* 129. *Tit.* 2.

Lectio ij.

MIror quòd sic tam citò transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium ; quod non est áliud, nisi sunt áliqui qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut ángelus de cœlo evangelízet vobis prætérquàm quod evangelizávimus vobis, anathéma sit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico : Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepístis anathéma sit. Modò enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére ? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum ; & humiliábit calumniatórem. * Oriétur in diébus ejus justítia. ℣. Christum propósuit Deus ad ostensiónem justítiæ ejus in hoc témpore, ut sit ipse justus, & justíficans eum qui est ex fide Jesu Christi. * Oriétur *Ps.* 71. *Rom.* 3.

Lectio iij.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizátum est à me, quia non est secúndùm hóminem. Neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meã aliquándo in Judaísmo ; quóniam supra modum persequébar Ecclésiã Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in género meo,

abundántiùs æmulátor exístens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus, continuò non acquiévi carni & sánguini.

℟. Rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide: * Díligit misericórdiam & judícium; † Misericórdiâ Dómini plena est terra. ℣. In Christo Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium: sed fides quæ per caritátem operátur: * Díligit. Glória. † Misericórdiâ. *Ps.* 32. *Galat.* 5.

IN II. NOCTURNO.

De Expositióne S. Augustíni Epíscopi in Epístolam ad Gálatas.

Lectio iv. Præf. initio.

CAusa propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas, hæc est: Ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne, quamvis Christiáni nómine, nondum tamen tenéntes ipsum grátiæ benefícium, & adhuc voléntes esse sub onéribus legis, quæ Dóminus Deus imposúerat, non justítiæ serviéntibus, sed peccáto; justam scílicet legem injústis homínibus dando, ad demonstránda peccáta eórum, non auferénda. Non enim aufert peccáta, nisi grátia fidei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Adjuva me, Dómine Deus meus: salvum me fac secúndùm misericórdiam tuam; & sciant * Quia manus tua hæc: & tu, Dómine, fecísti eam. ℣. Grátiâ estis salváti per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. * Quia. *Ps.* 108. *Ephes.* 2.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas constitútos illi volébant constitúere sub onéribus legis, asseverántes nihil eis prodésse Evangélium, nisi circumciderentur, & cæteras carnáles Judáici ritûs observatiónes subírent. Et ideò Paulum Apóstolum

suspéctum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tanquàm non tenéntem disciplínam cæterórum Apostolórum qui gentes cogébant judaizáre.

℟. Super omnem terram glória tua, Deus; * Ut liberéntur dilécti tui, salvum fac dexterâ tuâ, & exáudi me. ℣. Grátia quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária, manifestáta est nunc per illuminatiónem salvatóris nostri Jesu Christi. * Ut. *Ps.* 107. 2. *Tim.* 1.

Lectio vj.

TAlis quidem quæstio est & in Epístola ad Románós. Verúmtamen vidétur áliquid interésse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litémque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex géntibus credíderant, orta erat, cùm illi tanquàm ex méritis óperum legis, sibi rédditum Evangélii præmium arbitraréntur, quod præmium incircumcísis tanquàm imméritis nolébant dari; illi contrà, Judæis se præférre gestírent, tanquàm interfectóribus Dómini. In hac verò Epístola ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant, & ad observatiónes legis cogébant.

℟. Dóminus petra mea, & robur meum, sperábo in eum: * Salvátor meus, † De iniquitáte liberábis me. ℣. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis. * Salvátor. Glória. † De iniquitáte 2. *Reg.* 22. *Rom.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 8.

IN illo témpore; Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ; & ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homília Sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. Lib. 5. *Num.* 1.

SEcúndùm Matthæum primus hic post benedictiónes à Dómino sanátus indúcitur, ut quia díxerat Dóminus: Non veni sólvere legem, sed adimplére, ille qui excludebátur à lege, purgári se Dómini potestáte præsúmens, non ex lege,

ſed ſupra legem eſſe grátiam judicáret, quæ leprósi máculam poſſet ablúere. Verùm ut in Dómino poteſtátis auctóritas, ita in illo fidei conſtántia declarátur. Ille in fáciem prócidit, quod humilitátis eſt & pudóris, ut unuſquíſque de ſuæ vitæ máculis erubéſcat: ſed confeſſiónem verecúndia non repréſſit. Oſténdit vulnus, remédium poſtulávit; & ipſa religiónis & fidei plena conféſſio eſt. Si vis, inquit, potes me mundáre. In voluntáte Dómini tríbuit poteſtátem: de voluntáte autem Dómini, non quaſi pietátis incrédulus dubitávit, ſed quaſi colluviónis ſuæ cónſcius, non præſúmpſit.

℟. Cùm deſcendíſſet Jeſus de monte, ecce lepróſus véniens, adorábat eum, dicens: Dómine, * Si vis, potes me mundáre. ℣. Dómine Deus, non erit tibi difficile omne verbum. * Si vis. *Matth.* 8. *Jerem.* 32.

Lectio viij.

CUi moráli quâdam Dóminus ſanctitáte reſpóndit: Volo; mundáre. Et contínuò lepra diſcéſſit ab eo. Nihil enim médium eſt inter opus Dei, atque præcéptum, quia in præcépto eſt opus. Dénique dixit, & facta ſunt. Vidétis ígitur quòd dubitári non poteſt, quia volúntas Dei potéſtas eſt. Itaque ſtatim lepra diſcéſſit, ut intélligas medéntis affectum qui veritátem óperi áddidit. Dénique ſecúndùm Marcum, miſerátus eſt eum Dóminus: quod pulchrè eſt póſitum. Et pléraque tália poſuérunt Evangeliſtæ, qui nos in utróque fundáre voluérunt, deſcribéntes ſigna virtútis ad fidem, expriméntes ópera virtútis ad imitatiónem. Unde & tangit non dedignátus, & ímperat non diffiſus; hoc enim eſt indícium poteſtátis, quia quaſi habens poteſtátem ſanándi & jubéndi auctoritátem, operándi teſtimónium non réfugit. Volo, ergo dicit propter Photínum, ímperat propter Aríum, tangit propter Manichæum.

℟. Jeſus miſértus ejus, exténdit manum ſuam & tangens eum, * Ait illi: Volo; mundáre: & ſtatim mundátus eſt. ℣. Omne quod volúerit, fáciet;

& sermo illius potestáte plenus est. * Ait. *Marc.* 1. *Eccles.* 8.

Lectio ix.

SImul illud mirábile, quòd eo sanávit génere, quo fúerat obsecrátus. Si vis, potes me mundáre. Volo, inquit; mundáre. Habes voluntátem, habes étiam pietátis efféctum. Et exténdens manum, tétigit illum. Lex tangi leprósos próhibet; sed qui Dóminus legis est, non obséquitur legi, sed legem facit. Non ergo tétigit, quia sine tactu mundáre non póterat, sed ut probáret quia subjéctus non erat legi, nec contágium timébat ut hómines, sed quia contaminári non póterat, qui álios liberábat: simul ut è contrário lepra tactu Dómini fugarétur, quæ solébat contamináre tangéntem. Osténdere autem se sacerdóti jubétur, ut intellígeret sacérdos non legis órdine, sed Dei grátiâ super legem esse curátum; & dum mandáto jubet offérre sacrifícium præcéptum Móysi, osténderet Dóminus quia legem non sólveret, sed impléret, *qui secúndùm legem grádiens*, supra legem sanáre eos quos remédia legis non sanáverant, viderétur. Et bene áddidit, Sicut præcépit Móyses. Lex enim spirituális est, ideòque vidétur sacrifícium spirituále mandásse.

℟. Ait Jesus: Vide, némini díxeris; sed vade, * Osténde te sacerdóti, & † Offer munus quod præcépit Móyses in testimónium illis. ℣. Hic est ritus leprósi, quando mundándus est: Adducétur ad sacerdótem, qui præcípiet ei ut ófferat. * Osténde. Glória. † Offer munus. *Matth.* 8. *Levit.* 14.

Ad Benedictus

Ant. 1. Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, & curábo eum. *Matth.* 8.

Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque, ad protegéndum nos, déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

CANON.

Ex Concilio Aquénsi.

Anno 1585. *Tit. de Fest. cultu.*

CUm Festi dies potíssimùm ad celebrándas Dei & Sanctórum laudes salutáriter fúerint institúti, curándum est diligénter, ut piè sanctéque ab ómnibus observéntur; &, ne iis ipsis hómines ad divínam offensiónem & animárum perníciem abutántur.

Ad Magnificat

Ant. 8. Dixit Jesus Centurióni: Vade, & sicut credidísti fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora. *Matth.* 8.

Oratio ut suprà ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Epístola ad Gálatas.

Lectio j. *Cap.* 2.

SCiéntes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi, & non ex opéribus legis: Propter quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quòd si quæréntes justificári in Christo, invénti sumus & ipsi peccatóres, nunquid Christus peccáti miníster est? Absit. Si enim quæ destrúxi, íterum hæc ædífico, prævaricatórem me constítuo. Ego enim per legem legi mórtuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me, & trádidit semetípsum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem justítia, ergo gratis Christus mortuus est.

℞. Apud *pag.* 401.

Lectio ij. *Cap.* 3.

O Insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscríptus est, in vobis crucifixus? Hoc solùm à vobis volo díscere: Ex opéribus legis Spíritum accepístis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tríbuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis; ex

opéribus legis, an ex audítu fidei? Sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

℟. Judicábit *pag.* 401.

Lectio. iij.

PRóvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicéntur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúmque enim ex opéribus legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim: Maledíctus omnis qui non permánserit in ómnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, maniféstum est quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum, quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno, ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℟. Rectum est *p.* 402.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *Decret. de Invoc. Ss.*

QUi docéndi munus curámque sústinent, fidéles dóceant, Sanctos unà cum Christo regnántes, oratiónes suas pro homínibus Deo offérre, bonum atque útile esse suppliciter eos invocáre, & ob beneficia impetránda à Deo per Fílium ejus Jesum Christum Dóminum nostrum ad eórum oratiónes, opem auxiliúmque confúgere.

FERIA TERTIA.

De Epístola ad Gálatas.

Lectio j. *Cap.* 5.

VOs in libertátem vocáti estis, fratres: tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur: Díliges próximũ tuum sicut teipsum. Quòd si invicem mordétis & comédítis, vidéte ne ab ínvicem consumámini. Dico autem: Spíritu ambuláte,

& desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsùs spíritum; spíritus autem advérsùs carnem: hæc enim sibi ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis, illa faciátis. Quòd si spíritu ducímini, non estis sub lege. Maniféſta sunt autem ópera carnis: quæ sunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, commessatiónes, & his simília, quæ prædico vobis sicut prædíxi; quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem Spíritûs est cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas.

℟. Adjuva me *p.* 402.

Lectio ij. *Cap.* 6.

FRatres, etsi præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teipsum, ne & tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, & sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, & sic in semetípso tantùm glóriam habébit, & non in áltero: unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo, ei qui se catechísat in ómnibus bonis. Nolíte erráre, Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc & metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

℟. Super *pag.* 403.

Lectio iij.

VIdéte quálibus lítteris scripsi vobis meâ manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantùm ut crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt, sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri

Jesu

Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos & misericórdia, & super Israël Dei. De cætero nemo mihi moléstus sit; ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

℟. Dóminus *pag.* 403.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. de Invocat. Venerat. & Reliquiis Ss. & sacris Imaginibus.

OMnis superstítio in Sanctórum invocatióne, Reliquiárum veneratióne & imáginum sacro usu tollátur; omnis turpis quæstus eliminétur, omnis dénique lascívia vitétur, ita ut procáci venustáte imágines non pingántur nec ornéntur, & Sanctórum celebratióne ac Reliquiárum visitatióne hómines ad comessatiónes atque ebrietátes non abutántur.

FERIA QUARTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, ómnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidélibus in Christo Jesu: Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dño Jesu Christo. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte.

℟. Apud *pag.* 401.

Lectio ij.

QUi prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndùm divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit

in nobis in omni sapiéntia & prudéntia ; ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.

℟. Judicábit *pag.* 401.

Lectio iij.

IN quo étiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndùm consilium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ ejus, nos qui ante sperávimus in Christo ; in quo & vos, cùm audissétis verbum veritátis, (Evangélium salútis vestræ,) in quo & credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. Rectum est *p.* 402.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *de Inv. Vener. & Reliq. Ss & sacr. Imag.*

STátuit sancta Synodus néinini licére ullo in loco, vel Ecclésiâ étiam quomodólibet exémptâ ; ullam insólitam pónere, vel ponéndam curáre imáginem, nisi ab Epíscopo approbáta fúerit. Nulla étiam admitténda esse nova mirácula, nec novas relíquias recipiéndas, nisi eódem recognoscénte & approbánte Epíscopo.

FERIA QUINTA.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio j. *Cap.* 2.

NOs omnes aliquándò conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, faciéntes voluntátem carnis & cogitatiónem ; & erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui dives est in misericórdia, propter nímiam [redacted]tátem suam quâ dilé[redacted]s, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Grátiâ enim estis salváti per fidem, & hoc non ex vo-

bis; Dei enim donum est: non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus.

℟. Adjuva me *p.* 402.

Lectio ij.

PRopter quòd mémores estóte, quòd aliquándo vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab ea quæ dicitur circumcísio in carne, manufacta; quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israël, & hóspites testamentórum, promissiónis spem non habéntes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquándo erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utráque unum, & médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua; legem mandatórũ decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso.

℟. Super *pag.* 403.

Lectio iij.

ET véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuístis, & pacem iis qui propè; quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem. Ergo jam non estis hóspites & ádvenæ, sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino: in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℟. Dóminus *pag.* 403.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *Decret. de sacr. imag.*

IMágines Christi, Deiparæ-Vírginis, & aliórum Sanctórum in templis præsértim habéndæ & retinéndæ, eísque débitus honor impertiéndus: non quòd credátur inésse áliqua in eis divínitas vel virtus, propter quam sint coléndæ, vel quòd fidúcia in imagínibus sit figen-

da, sed quóniam honos qui eis exhibétur, refértur ad protótypa quæ illæ repræséntant.

FERIA SEXTA.

De Epistola ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4.

OBsecro vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne quâ vocáti estis, cum omni humilitáte & mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Apud *pag.* 401.

Lectio ij.

UNicuíque autem nostrûm data est grátia secúndùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia & descéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est & qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. Judicábit *pag.* 401.

Lectio iij.

ET ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem Pastóres & Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi; donec occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi; ut jam non simus párvuli fluctuántes, & circumferámur omni vento doctrínæ, in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

℟. Rectum est *p.* 403.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 25. *Decret. de Indulg.*

SAcro-sancta Synodus indulgentiárum usum Christiáno pópulo máximè salutárem, & sacró-

rum Conciliórum autoritáte probátum, in Ecclésia retinéndum esse docet & præcipit: eósque anathémate damnat, qui aut inútiles esse ásserunt, vel eas concedéndi in Ecclésia potestátem esse negant: in his tamen concedéndis moderatiónem, juxta véterem & probátam in Ecclésia consuetúdinem adhibéri cupit, ne nimiâ facilitáte ecclesiástica disciplína enervétur.

SABBATO.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio j. *Cap.* 5.

ESstóte imitatóres Dei sicut filii caríssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitúdo, aut stultilóquiū aut scurrílitas quæ ad rem non pértinet, sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligéntes, quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, (quod est idolórum sérvitus) non habet hæreditátem in regno Christi & Dei.

Si fiat de Sabbato ℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

NEmo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte, (fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia & veritáte:) probántes quid sit beneplácitum Deo: & nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum, magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipsis, turpe est & dícere. Omnia autem quæ arguúntur, à lúmine manifestántur; omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit: Surge, qui dormis; & exúrge à mórtuis: & illuminábit te Christus.

Lectio iij. *Cap.* 6.

DE cætero, fratres, confortámini in Dómino, & in poténtia virtútis ejus. Indúite vos ar-

hoc mihi provéniet ad salútem per vestram oratiónem, & subministratiónem Spíritûs Jesu Christi.

℟. Salvábis me, Dómine à contradictiónibus pópuli mei; custódies me in caput géntium: pópulus quem ignóro, sérviet mihi: * Et exaltábitur Deus fortis salútis meæ.

℣. Sermo Dei currat & clarificétur. * Et exaltábitur. Glória. * Et. 2. *Reg.* 22. 2. *Thess.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário Sancti Joánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Philippénses.

Lectio iv. In Præf. n. 2.

PAulus testimóniũ Philippénsibus dat, non solùm fídei & periculórum nómine, sed étiam beneficéntiæ, ubi, inquit, quod & in princípio Evangélii, & semel & bis in usum mihi misístis, némine álio id præstánte. Hæc ígitur & nos intelligéntes, aggrediámur ipsi digni fieri hujúsmodi exémplis, & primùm quidem promptos ac parátos nos ostendámus pro Christo pati. At enim hoc témpore non est qui Christiános insectétur & vexet. Ergo, ubi nihil áliud, saltem efficácem & veheméntem illórum beneficéntiam imitémur; neque ubi semel atque íterum dedérimus, omni offício perfúnctos nos arbitrémur. Etenim per omnem vitam id faciéndum est. Quemádmodùm dívitum filii decus áureum circa collum gestant, illúdque nunquàm depónunt, tanquàm nobilitátis insígne circumferéntes; ita & eleemósynam nobis ipsis circúmdemus, opórtet, declarántes nos esse misericórdis illíus fílios, qui solem exoríri facit super malos & bonos. At non credunt infidéles? Quinímò per hæc credent, si nos hæc præstitérimus. Nam si víderint nos ómnium miseréri, illúmque repræsentáre præceptórem, ad illíus imitatiónem hoc à nobis fieri intélligent.

℟. Clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; & de necessitátibus eórum liberávit eos. * Misit verbum suum, & sanávit eos; & erípuit eos de interitiónibus eórum.

℣. Quóniam misericors Dóminus est & miserátor. * Misit verbum. *Psl.* 106. *Jac.* 5.

Lectio v.

NOstis profectò, nostis & vos ex pecúniis mala ómnia, ex pecúniis sexcénta bella solére exístere. Quamóbrem qui illas contémnere dídicit, tranquíllo in portu seípsum locávit, nec damnum posthàc métuit. Ad hanc enim disciplínam illum eleemósyna erudívit: non áppetit posthàc aliéna: quómodò enim, cùm sua profúndat ac donet? Nullâ posthàc dívitis invídiâ tángitur; quómodò enim, cùm pauper fieri velit? Ipsúmque ánimæ óculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hìc: quorum verò ibi bonórum compos futúrus sit, nulla unquàm orátio queat expónere. Non unà cum stultis virgínibus foris manébit, sed unà cum prudéntibus, unà cum sponso introíbit, splendídas habens lámpades. Tanta est eleemósynæ virtus! magnâ cum libertáte alúmnos suos introdúcit, ac nemo contradícit, sed omnes cedunt. Nam si Deum in terram addúxit, idque ipsi persuásit ut homo fieret, multò magis hóminem in cælum intromittere póterit: usque ádeò magna est ipsíus poténtia.

℟. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, & mirabília ejus fíliis hóminum; * Quia suscépit eos de via iniquitátis eórum. ℣. Suscípite infirmos, semper quod bonũ est sectámini in omnes: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu. * Quia suscépit. *Ps.* 106. 1. *Thess.* 5.

Lectio vj.

ITaque si ex misericórdia atque hóminum ámore, Deus homo factus est, imò si eò addúctus est ut servus fieret; multò magis propter eam servos in domum introdúcet suam. Hanc amémus, hanc colámus, non uno aut áltero die: sed per omne tempus, ut ipsa nos bene notos hábeat. Nam si ea nos nóverit, & Dóminus noscet; sin ignóret, Dóminus étiam ignorábit, ac dicet: Néscio vos. Verùm absit ut hanc nos vocem audiámus, sed beátam illam: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi; quod útinam nos omnes consequámur in Christo Jesu Dó-

mino nostro, cum quo Patri, unáque sancto Spirítui glória, impérium, honos, nunc & semper, in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Misericórdiam & veritátem díligit Deus: * Grátiam & glóriam dabit Dóminus: † Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. ℣. Hilarem datórem díligit Deus: potens est autem omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Grátiam. Glória. † Non privábit. *Ps.* 83. 2. *Cor.* 9.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 8.

IN illo témpore; Ascendénte Jesu in navículam secúti sunt eum discípuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus: ipse verò dormiébat. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Enarr. 2. *In Psalm.* 25.

AUdístis in Evangélio: Periclitabátur navígium in stagno, & dormiébat Jesus. Navigámus per quoddam stagnum, & ventus & procéllæ non desunt; tentatiónibus quotidiánis hujus sæculi propè opplétur nostrum navígium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? si non dormíret in te Jesus, tempestátes istas non paterèris, sed tranquillitátem habéres intèriùs, convigilánte tecum Jesu.

℟. Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; Jesus verò dormiébat. Et discípuli ejus suscitavérunt eum, dicentes: * Dómine, salva nos, perímus. ℣. Exúrge, quare obdórmis, Dómine? ádjuva nos. * Dómine. *Math.* 8. *Ps.* 43.

Lectio viij.

QUid est autem, dormit Jesus? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormívit. Surgunt procéllæ stagni hujus? vides malos florére, bonos laboráre: tentátio est, fluctus est. Et dicit ánima tua: O Deus, ipsa est justítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo, ipsa est justítia tua? & Deus tibi, ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promísi? ad hoc Christiánus factus es, ut in sæculo isto floréres? Unde hoc dicis? Unde

flúctibus stagni & tempestáte turbáris? Quia dormit Jesus, id est, quia fides tua, quæ est de Jesu, sopita est in corde tuo.

℟. Exurgens Jesus, ait discípulis: * Quid tímidi estis? necdum habétis fidem? ℣. Qui timet Dóminum, non pavébit, quóniam ipse est spes ejus. * Quid tímidi. *Marc.* 4. *Eccli.* 34.

Lectio ix.

Quid facis ut liberéris? Excita Jesum, & dic: Magister, perímus. Movent enim incérta stagni, perímus. Evigilábit ille, id est, rédiet ad te fides tua; &, ádjuvante illo, considerábis in ánima tua quia quæ dantur modò malis, non cum illis perseverábunt; tibi autem quod promíttitur, manébit in ætérnum. Evigilánte Christo, jam tempéstas illa non quátiet cor tuum, non opplébunt fluctus navim tuam, quia fides tua ímperat ventis & fluctibus, & tránsiet perículum.

℟. Vidérunt ópera Dómini, & mirabília ejus in profúndo. Clamavérunt ad Dóminum: * Et státuit procéllam in auram; & † Siluérunt fluctus maris. ℣. Comminátus est Jesus vento, & dixit mari: Tace: obmutésce; * Et státuit. Glória. † Siluérunt fluctus maris. *Ps.* 106. *Marc.* 4.

Ad Benedictus *Ant.* 8. Surgens Jesus, imperávit ventis & mari; & facta est tranquíllitas magna. *Matth.* 8.

Oratio.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere, da nobis salútem mentis & córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum nostrum.

C A N O N.

Ex Concílio Burdigalénsi. *An.* 1583. *Tit.* 6. *de Festis.*

Omnibus provínciæ nostræ Párochis indícimus, pópulum suum frequénter & sériò commonefáciant, ut diébus Festis, non solùm à quibúslibet prohíbitis opéribus sese contíneant, verùm étiam sacris ómnibus Ecclésiæ mystériis, & divíni verbi prædicatióni quantùm fieri possit, ex ánimo religiósè intérsint: Nec pietátis ópera ítidem

prætermíttant, in paupéribus reficiéndis, afflíctis consolándis, aliísque piis rebus geréndis; in quibus Christiána proféssio & cáritas máximè elucéssit.

Ad Magnificat *Ant.* 8. Hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti & mare obédiunt ei! *Matt.* 8.

Oratio ut supra ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Epístola ad Philippénses.

Lectio j. *Cap.* 2.

SI qua consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua socíetas spíritûs, si qua víscera miseratiónis: impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eámdem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sentiéntes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed ea quæ aliórum.

℟. Voluntátem. *p.* 415.

Lectio ij.

ITaque, caríssimi mei, (sicut semper obedístis) non ut in præséntia mei tantùm, sed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu & tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim qui operátur in vobis & velle & perfícere pro bona voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus & hæsitatiónibus, ut sitis sine queréla, & símplices filii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ & pervérsæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo.

℟. Dómine *pag.* 415.

Lectio iij. *Cap.* 4.

DE cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didicístis, & accepístis, & audístis, & vidístis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobíscum. Gavísus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquándo refloruístis pro me sentíre, sicut & sentiebátis: occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam

co : ego enim dídici, in
ιibus sum, sufficiens esse.
:io & humiliári, scio &
ιundáre, (ubique & in
nnibus institútus sum)
satiári, & esuríre, &
ιundáre, & penúriam
ιti. Omnia possum in eo
ιi me confórtat.

℟. Salvábis me *p.* 416.

C A N O N.

x Concílio Mediolanénsi
quarto.

nno 1576. *Part.* 3. *Tit.*
monitiones, num. 7.

Hristi viscéribus sub-
stántiam Ecclesiásti-
m erogáte, paupéribus
ilicet, peregrínis, ví-
ιis, pupíllis, ægrótis,
vincula conjéctis, cap-
ιis : quibus egéntibus &
ιriéntibus cùm subvení-
posśítis, si aliménta ne-
ssária denegátis, violátæ
ritátis rei estis in con-
éctu Dómini.

ERIA TERTIA.

cipit Epístola beáti Pauli
Apóstoli ad Colosśénses.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus Apóstolus Je-
su Christi per vo-
luntátem Dei, & Ti-
ótheus frater, eis qui
nt Colóssis, sanctis & fi-
libus frátribus in Christo
Jesu : Grátia vobis & pax
à Deo Patre nostro, &
Dómino Jesu Christo.
Grátias ágimus Deo &
Patri Dómini nostri Jesu
Christi, semper pro vobis
orántes : audiéntes fidem
vestram in Christo Jesu,
& dilectiónem quam ha-
bétis in Sanctos omnes,
propter spem quæ repó-
sita est vobis in cœlis,
quam audístis in verbo ve-
ritátis Evangélii, quod
pervénit ad vos, sicut &
in univérso mundo est,
& fructíficat, & crescit,
sicut in vobis ex ea die quâ
audístis & cognovístis grá-
tiam Dei in veritáte.

℟. Clamavérunt *p.* 416.

Lectio ij.

IDeò & nos ex qua die
audívimus, non cessá-
mus pro vobis orántes, &
postulántes ut impleámini
agnitióne voluntátis ejus
in omni sapiéntia & intel-
léctu spiritáli ; ut ambulé-
tis dignè Deo, per ómnia
placéntes, in omni ópere
bono fructificántes, &
crescéntes in sciéntia Dei :
in omni virtúte confortáti,
secùndùm poténtiam cla-
ritátis ejus, in omni pa-
tiéntia, & longanimitáte
cum gáudio, grátias agén-
tes Deo Patri qui dignos

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, & Dómino Jesu Christo: Grátia vobis & pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fidei vestræ, & labóris, & caritátis, & sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deũ & Patrem nostrum: sciéntes, fratres dilécti à Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed & in virtúte & in Spíritu Sancto, & in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Clamavérunt *p.* 416.

Lectio ij. *Cap.* 2.

EXhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrûm; tanquàm si nutrix fóveat filios suos. Ita desiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

℟. Confiteántur *p.* 417.

Lectio iij.

MEmores enim estis, fratres, labóris nostri & fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrûm gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & justè & sine queréla vobis qui credidístis, fúimus, sicut scitis quáliter unumquémque vestrûm, (sicut pater filios suos) deprecántes vos & con-

tes, testificáti sumus
bularétis dignè Deo
vocávit vos in suum
um & glóriam. Ideò
s grátias ágimus Deo
intermissióne; quó-
cùm accepissétis à
verbum audítûs Dei,
istis illud, non ut
m hóminum, sed (si-
t verè) verbum Dei
perátur in vobis qui
dístis.

Misericórdiam *p.* 418.

C A N O N.

Concílio Ravennaténsi.

1311. *Rubrica* 10.

Um bona ecclesiá-
um, sint páuperum,
mus quòd de cætero
juxta possibilitátem,
ósynæ generáles per
opos & capítula Ca-
álium Ecclesiárum:
paupéribus verecún-
áleat providéri; in
bet quartério civitá-
ligántur honorábiles
qui quæstam requí-
pro eleemósyna hu-
di paupéribus facién-



FERIA SEXTA.

De Epístola prima ad Thessalonicénses.

Lectio j. *Cap.* 4.

De cætero, fratres, rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis à nobis quómodò opórteat vos ambuláre & placére Deo, sic & ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra, ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrûm vas suum possidére in sanctificatióne & honóre, non in passióne desidérii, sicut & gentes quæ ignórant Deũ, & ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum, quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, & testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem.

℟. Voluntátem timéntium *pag.* 415.

Lectio ij. *Cap.* 5.

DE tempóribus autem & moméntis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligénter scitis quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint, pax & secúritas: tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habénti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies tanquàm fur comprehéndat. Omnes enim vos fílii lucis estis & filii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut & cæteri, sed vigilémus & sóbrii simus.

℟. Dómine *pag.* 415.

Lectio iij.

ROgámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos & præsunt vobis in Dómino, & monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in caritáte propter opus illórũ: pacẽ habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patiéntes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem, & in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est tenéte: ab omni spécie mala abstinéte vos.

℟. Salvábis me *p.* 416.

CANON.

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 1.

FIdes vera & fructuósa esse non potest, nisi bónis opéribus exornétur, id est, spe, caritáte, humilitáte, castitáte, continéntiâ, sobrietáte, unanimitáte, concórdiâ, justítiâ, pietáte, misericórdiâ, innocéntiâ, & simplicitáte & cæteris his simílibus; quæ ómnia in dilectióne Dei & próximi consístunt.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessaloni-

cénsium, in Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo: Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam supercréscit fides vestra, & abúndat cáritas uniuscujúsque vestrûm in ínvicem, ita ut & nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra & fide & in ómnibus persecutiónibus vestris, & tribulatiónibus quas sustinétis in exémplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini. Si tamen justum est apud Deum retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant, & vobis qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo cum ángelis virtútis ejus.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij. Cap. 2.

ROgámus autem vos, fratres, per advéntum Dómini nostri Jesu Christi & nostræ congregatiónis in ipsum, ut non citò moveámini à vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tanquàm per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo: quóniam nisi vénerit discéssio primùm, & revelátus fúerit homo peccáti, filius perditiónis, qui adversátur & extóllitur supra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, osténdens se tanquàm sit Deus. Non retinétis quòd, cùm adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis: tantùm ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, & déstruet illustratióne advéntûs sui eum.

Lectio iij. Cap. 3.

CUm essémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis: quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiétè, nihil

operántes, sed curiósè agéntes. Iis autem qui ejúsmodi sunt, denuntiámus & obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cùm siléntio operántes suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte deficere benefaciéntes. Quòd si quis non óbedit verbo nostro per Epístolam, hunc notáte, & ne commisceámini cum illo, ut confundátur: & nolíte quasi inimícum existimáre, sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempitérnam in omni loco. Dóminus sit cum ómnibus vobis. Salutátio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epístola: ita scribo. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *Anno* 813. *Cap.* 13.

CAritátem qui habet, ómnia bona habet. Augustínus in sermóne de laude caritátis dicit: si ergo non vacat omnes páginas perscrutári, ómnium Scripturárum secréta penetráre, tene caritátem, ubi pendent ómnia, ibi tenébis quod ibi didicístis. Ille ítaque tenet, & quod patet, & quod latet in divínis sermónibus, qui caritátem tenet in móribus.

DOMINICA V.
quæ superfuit
POST EPIPHANIAM.

In Vesperis Sabbati
Ad Magnificat

Ant. 5. Christus Jesus dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis. 1. *Tim.* 2.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus Apóstolus Jesu Christi secúndùm impérium Dei Salvatóris nostri, & Christi Jesu spei nostræ: Timótheo dilécto fílio in fide: Grátia, misericórdia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephesi, cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibúsdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis & genealógiis in-

terminátis : quæ quæstiónes præstant magis quàm ædificatiónem Dei , quæ est in fide. Finis autem præcépti est cáritas de corde puro , & consciéntia bona , & fide non ficta. A quibus quidam aberrántes , convérsi sunt in vanilóquium , voléntes esse legis doctóres , non intelligéntes neque quæ loquúntur , neque de quibus affirmant.

℟. Díriget Dóminus mansuétos in judício : docébit mites vias suas. * Univérsæ viæ Dómini , misericórdia & véritas , requiréntibus testaméntum ejus. ℣. Sectáre justítiam , fidem , spem , caritátem & pacem ; stultas autem & sine disciplina quæstiónes devita. * Univérsæ. *Psal.* 24. 2. *Tim.* 2.

Lectio ij.

GRátias ago ei qui me confortávit , Christo Jesu Dómino nostro , quia fidélem me existimávit , ponens in ministério ; qui priùs blasphémus fui , & persecútor , & contumeliósus ; sed misericórdiam Dei consecútus sum , quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autem *grátia Dómini nostri* cum fide & dilectióne quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo , & omni acceptióne dignus , quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere , quórum primus ego sum : sed ídeò misericórdiam consecútus sum , ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam , ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam.

℟. Usquequò , Deus , improperábit inimícus ? irritat adversárius nomen tuum in finem ? Deus autem rex noster ante sæcula : * Operátus est salútem in médio terræ.

℣. Fílius hóminis non venit ánimas pérdere , sed salváre. * Operátus. *Psal.* 73. *Luc.* 9.

Lectio iij. *Cap.* 2.

OBsecro ígitur primùm ómnium fieri obsecratiónes , oratiónes , postulatiónes , gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus , pro régibus , & ómnibus qui in sublimitáte sunt ; ut quiétam & tranquíllam vitam agámus in omni pietáte & castitáte. Hoc enim bonũ est , & accéptum coram Salvatóre

nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus & mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus testimónium tempóribus suis.

* ℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israël. * Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri. ℣. Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Ps.* 97. 2. *Cor.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

De verb. Apost. Serm. 176. *al.* 9.

Lectio iv. *Cap.* 1.

FIdélis sermo, & omni acceptióne dignus; quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniéndi Christo Dómino, nisi peccatóres salvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla causa est medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus, ipse ægrótus genus humánum est.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino: & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus: * Anima mea, noli oblivísci omnes retributiónes ejus, qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℣. Misericórdiam consecútus sum: ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam. * Anima. *Ps.* 102. 1. *Tim.* 1.

Lectio v. *Ser.* 176. *C.* 4.

DIxit Paulus unicuíque ægróto, & de se voléntí desperáre: Qui curávit me, misit me ad te, & dixit mihi: Illi desperánti vade, & dic quid habuísti, quid in te sanávi, quàm citò sanávi. De cœlo vocávi; unâ voce percússi & dejéci, áliâ eréxi, & elégi, tértiâ implévi & misi, quartâ liberávi & coronávi. Vade, dic ægrótis, clama desperátis: Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere. Quid timétis? Quid trepidátis? Quo-

rimus ego ſum. Ego,
, vobis loquor, ſa-
egrotántibus, ſtans
ibus, ſecúrus deſpe-
us. Ideò enim miſe-
iam conſecútus ſum,
ne oſténderet Chriſ-
ſus omnem longani-
m.

Quómodò miſeré-
ter filiórum, misér-
Dóminus timénti-
; quóniam * Ipſe
vit figméntum noſ-
: recordátus eſt quó-
pulvis ſumus.
Non ex opéribus juſ-
quæ fécimus nos,
cúndùm ſuam miſe-
liam ſalvos nos fe-
* Ipſe. *Pſalm.* 102.
3.

io vj. *Cap.* 5.

Olíte ergo deſperáre.
Ægróti eſtis, accédi-
eum, & ſanámini:
eſtis, accédite ad eũ,
minámini. Et qui ſa-
is, ei grátias ágite:
i ægrotátis, ad eum
di cúrrite: dícite
s: Veníte, adoré-
& proſternámur ei,
orémus coram Dó-
qui fecit nos & hó-
& ſalvos. Nam ſi ille
fecit hómines, nos
n *ipſi nos fécimus ſal-*
vos; áliquid illo mélius fécimus: mélior eſt enim ſalvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem; & tu te feciſti bonum hóminem; quod tu feciſti, mélius eſt. Noli te extóllere ſuper Deum: ſubde te Deo, adóra, proſtérnere, confitére illi qui fecit te, quia nemo récreat, niſi qui creat: nemo réficit, niſi qui fecit.

℟. Magnificáte Dóminum mecum: & exaltémus nomen ejus in idipsũ. *Accédite ad eum, & illuminámini: & † Fácies veſtræ non confundéntur.

℣. Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine: qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. * Accédite. Glória. † Fácies. *Pſalm.* 33. *Coloſſ.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13.

IN illo témpore; Parábolam propóſuit turbis Jeſus, dicens: Símile factum eſt regnum cœlórum hómini qui ſeminávit bonum ſemen in agro ſuo. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

De verbis Evang. Serm. 88. *Cap.* 18.

HOc in mystério lectiónis hujus cognóvimus, fratres esse intùs in Ecclésia bonos & malos, quod sæpè dícimus frumentum & páleam. Nemo ante tempus désérat áream, tóleret páleam in tritúra, tóleret in área: quod enim tóleret, in hórreo non habébit. Véniet Ventilátor qui dívidet malos à bonis. Erit étiam corporális separátio, quam modò spirituális præcédit. A malis corde semper disjungímini, ad tempus cautè córpore copulámini. Nec tamen negligéntes sitis in corrigéndis vestris, ad curam scílicet vestram quoquómodò pertinéntibus, monéndo, docéndo, hortándo, terréndo.

℟. Símile factum est regnum cœlórum hómini, qui * Seminávit bonum semen in agro suo: Cùm autem dormírent hómines, inimícus superseminávit zizánia. ℣. Ad imáginem similitúdinis suæ Deus fecit hóminem; invídiâ autem diáboli mors introívit in orbem terrárum. * Seminávit. *Matth.* 13. *Sap.* 2.

Lectio viij.

DUóbus modis non te máculat malus; si non conséntias, & si redárguas: hoc est, non communicáre, non consentíre. Communicátur quippe, quando facto ejus consórtium voluntátis vel approbatiónis adjúngitur. Hoc ergo nos ádmonens Apóstolus ait: Nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum. Et quia parùm erat non consentíre, si sequerétur negligentia disciplínæ: Magis autem, inquit, & redargúite. Vidéte quemádmodum utrúmque compléxus est: Nolíte communicáre; magis autem & redargúite. Quid est, Nolíte communicáre? Nolíte consentíre, nolíte laudáre, nolíte approbáre. Quid est, Magis autem & redargúite? Reprehéndite, corrípite, coercéte. Deinde in ipsa correctióne vel coërcitióne alienórum peccatórum cavéndum est ne se extóllat qui álterum córripit. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbétis; neque negligén-

tes, ut non arguátis; neque superbiéntes, ut insultánter arguátis.

℟. Pervérsæ cogitatiónes séparant à Deo: * Probáta autem virtus córripit insipiéntes. ℣. Servum Dómini opórtet mansuétum esse ad omnes, cum modéstia corripiéntem eos, qui resístunt veritáti. * Probáta. *Sap.* 1. 2. *Tim.* 2.

Lectio ix.

QUi deserúerit unitátem, víolat caritátem; & quisquis víolat caritátem, quódlibet magnum hábeat, ipse nihil est. Si linguis hóminum loquátur & Angelórum, si sciat ómnia sacraménta, si hábeat omnem fidem ut montes tránsferat, si distríbuat ómnia sua paupéribus, si corpus suum tradat ut árdeat, caritátem autem non hábeat, nihil est, nihil ei prodest. Univérsa inutíliter habet, qui unum illud quo univérsis utátur, non habet. Ampleétámur ítaque caritátem, studéntes serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Non vos sedúcant qui carnáliter intélligunt, & corporálem separatiónem faciéntes, ab Ecclesiæ fruméntis toto orbe diffúsis spirituáli sacrilégio separántur. Per totum enim mundum seminátum est bonum semen.

℟. Habitávi cum habitántibus Cedar: multùm íncola fuit ánima mea. * Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: cùm loquébar illis, impugnábant me gratis. ℣. Idem sápite, pacem habéte; & Deus pacis, & dilectiónis erit vobíscum. * Cum his. Glória. * Cum his. *Psal.* 119. 2. *Cor.* 13.

Ad Benedictus

Ant. 3. In consummatióne sæculi mittet Fílius hóminis ángelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala, & eos qui fáciunt iniquitátem. *Matth.* 13.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ protectióne custódi, ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, tuâ semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Burdigalénsi. *An.* 1624. *Cap.* 3. *Num.* 3.

COnfessários quoscúmque, sive sæculáres,

five reguláres, scrutári pœniténtes an Officio Parochiális Missæ satisfécerint, propósitâ eísdem gravitáte peccáti, obligátos esse declarámus.

Ad Magníficat

Ant. 1. Collígite primùm zizánia, & alligáte ea in fascículos ad comburéndum; tríticum autem congregáte in hórreum meum. *Matth.* 13.

Oratio ut supra ad Laud.

FERIA SECUNDA.

De Epístola prima ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum, non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, filios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum & testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, & in láqueum diáboli.

℟. Díriget *pag.* 429.

Lectio ij. Cap. 4. *&* 5.

NEmo adolescéntiam tuam contémnat; sed exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli neglígere grátiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetíam cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto, ut proféctus tuus maniféstus sit ómnibus. Atténde tibi, & doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, & teípsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt. Senjórem ne increpáveris, sed óbsecra ut patrem; júvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvénculas, ut sorores in omni castitáte. Víduas honóra, quæ verè víduæ sunt.

℟. Usquequò pag. 429.

Lectio iij. *Cap. 6.*

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auférre quid póssumus. Hábentes autem aliménta, & quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diáboli, & desidéria multa inutília & nociva, quæ mergunt hómines in intéritum & perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam ætérnam in qua vocátus es, & conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℟. Recordátus *p.* 430.

CANON.

Ex Concílio Burdigalénsi.

Anno 1583. *Cap.* 1.

Omnis áctio quæ de rebus divínis & ad *religiónem pertinéntibus* suscípitur, profic̃isci debet à divíni núminis cultu & veneratióne, cujus basis & firmaméntum est fides, bonórum ómnium, ut inquit divus Augustínus, fundaméntum, & humánæ salútis inítium, ut proptéreà sine fide placére Deo impossíbile esse dicat Apóstolus.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. *Cap.* 1.

Paulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, secúndùm promissiónem vitæ quæ est in Christo Jesu: Timótheo caríssimo fílio, Grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura, quòd sine intermissióne hábeam tuì memóriam in oratiónibus meis nocte ac die, desíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens ejus fídei, quæ est in te non ficta, quæ & habitá-

vit primùm in ávia tua Lóide, & matre tua Eunice: certus sum autem quòd & in te. Propter quam causam admóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. ℟. Bénedic p. 430.

Lectio ij. *Cap. 2.*

TU ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ est in Christo Jesu; & quæ audísti à me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, implicat se negótiis seculáribus, ut ei pláceat cui se probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico; dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

℟. Quómodò p. 431.

Lectio iij.

JUvenília autem desidéria fuge: sectáre verò justítiam, fidem, caritátem, & pacem cum iis qui invocant Dóminum de corde puro. Stultas autem & sine disciplína quæstiónes devíta; sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos qui resístunt veritáti; nequándo Deus det illis pœniténtiam ad cognoscéndam veritátem, & resipíscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipsius voluntátem.

℟. Magnificáte p. 431.

CANON.

Ex Concílio Rotomagénsi. *Anno* 1581.

PRima ac præcípua pars cultûs divíni in ánimo consístit, ut priùs diligámus ac venerémur Deum in veritáte, in corde perfécto, deindè verbo atque ópere; ut de nobis non dicátur: pópulus hic lábiis me honórat, cor autem eórum longè est à me.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda ad Timótheum.

Lectio j. *Cap. 3.*

HOc autem scito; quòd in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa:

erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, sceléšti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immites, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, & voluptátum amatóres magìs quàm Dei; habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta: ex his enim sunt qui pénetrant domos, & captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis desidériis; semper discéntes, & nunquàm ad sciéntiam veritátis perveniéntes.

℟. Diriget *pag.* 429.

Lectio. ij.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, & Lystris: quales persecutiónes sustínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem *hómines* & seductóres profícient in pejus, errántes, & in errórem mitténtes. Tu verò pérmane in iis quæ didicísti, & crédita sunt tibi, sciens à quo didíceris, & quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu.

℟. Usquequò *p.* 429.

Lectio iij. *Cap.* 4.

TEstíficor coram Deo, & Jesu Christo qui judicatúrus est vivos & mórtuos, per advéntum ipsíus, & regnum ejus: prædíca verbum, insta opportúnè, importúnè: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia & doctrína. Erit enim tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus; & à veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple, sóbrius esto.

℟. Recordátus *p.* 430.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *Part.* 1. *C.* 4.

QUantùm in religióne stabiliénda atque augénda labóris ponéndum est, tantùm in superstitióne ex hóminum méntibus evellénda, curæ ac diligéntiæ est impendéndum. Quare Párochi diligénter ei rei invígilent.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi secúndùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis quæ secúndùm pietátem est, in spem vitæ ætérnæ quam promísit, qui non mentítur, Deus ante témpora seculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne quæ crédita est mihi secúndùm præcéptum Salvatóris nostri Dei: Tito diléćto filio secúndùm commúnem fidem, grátia & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Salvatóre nostro.

℟. Bénedic *pag.* 430.

Lectio ij.

HUjus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, & constítuas per civitátes Presbyteros, sicut & ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, uníus uxóris vir, filios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Opórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum, sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum qui secúndùm doctrínam est, fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt, argúere.

℟. Quómodò *pag.* 431.

Lectio iij.

SUnt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui & seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui: qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis próprius ipsórum prophéta: Creténses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam

ob causam íncrepa illos durè, ut sani sint in fide, non intendéntes Judáïcis fábulis, & mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem & infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum & mens & consciéntia. Confiténtur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abomináti, & incredíbiles, & ad omne opus bonum réprobi.

℟. Magnificáte *p.* 431.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi *Anno* 1573. *Decret.* 7.

CUm nimbi, procéllæ, túrbines, aut grándines impéndent, ne sacérdos ad tempestátis procéllam arcéndam vásculum adhíbeat in quo sanctíssimum Eucharístiæ sacraméntum asservátur.... sed litánias, aliásque religiósas preces ejus rei causâ institútas, piè sanctéque pronúntiet.



FERIA SEXTA

De Epístola ad Titum.

Lectio j. *Cap.* 2.

TU lóquere quæ decent sanam doctrínam; senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes: ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Díriget *pag.* 429.

Lectio ij. *Cap.* 3.

ADmone illos princípibus & potestátibus súbditos esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse, némi-

nem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modéstos, omnem ostendéntes mansuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquándo & nos insipiéntes, incréduli, errántes, serviéntes desidériis & voluptátibus váriis, in malítia & invídia agéntes, odíbiles, odiéntes ínvicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs Sancti, quem effúdit in nos abúndè per Jesum Christum Salvatórem nostrum; ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secúndùm spem vitæ ætérnæ.

℟. Usquequò *p.* 429.

Lectio iij.

Fidélis sermo est; & de his volo te confirmáre, ut curent bonis opéribus præésse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta: sunt enim inútiles & vanæ. Hæréticum hóminem, post unam & secúndam correptiónem, devíta; sciens quia subvérsus est qui ejúsmodi est, & delínquit, cùm sit próprio judício condemnátus. Cùm mísero ad te Artemam aut Tychicum, festína ad me veníre Nicópolim; ibi enim státui hiemáre. Zenam legisperítum & Apóllo sollícitè præmítte, ut nihil illis desit. Discant autem & nostri bonis opéribus præésse ad usus necessários, ut non sint infructuósi. Salútant te qui mecum sunt omnes. Salúta eos qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Recordátus *p.* 430.

CANON.

Ex Concílio Antiochéno.

Anno 341. *Can.* 2.

Censémus non licére communicáre cum excommunicátis, neque in dómibus conveniéntes oráre pro eis qui in Ecclésia non commúnicant: neque in ália ecclésia récipi eos qui in ália Ecclésia non convéniunt. Si quis autem de Epíscopis, Presbyteris, vel Diáconis, sive quílibet ex Clero deprehénsus fúerit cum ex-

communicátis communicáre, étiam iste privétur communióne, tanquàm régulam confúndens ecclésiæ.

SABBATO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philemónem.

Lectio j. *Cap.* 1.

PAulus vinctus Christi Jesu, & Timótheus frater: Philémoni dilécto & adjutóri nostro, & Appiæ soróri caríssimæ, & Archíppo commilitóni nostro, & Ecclésiæ quæ in domo tua est: Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, & fidem quam habes in Dómino Jesu, & in omnes sanctos, ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.

Lectio ij.

GAudium enim magnum hábui, & consolatiónem in caritáte tua, quia víscera sanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperándi tibi quod ad rem pértinet: propter caritátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo fílio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquándo inútilis fuit, nunc autem & mihi & tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum, ut mea víscera, súscipe: Quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii: sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, uti ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium.

Lectio iij.

FOrsitan enim ídeò discéssit ad horam à te, ut ætérnùm illum recíperes; jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magis tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me: si autem áliquid

nócuit tibi, aut debet, hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi quòd & teípsum mihi debes. Ita, frater. Ego te fruar in Dómino: réfice víscera mea in Dómino. Confidens in obediéntia tua, scripsi tibi; sciens quóniam & super id, quod dico, fácies. Simul autem & para mihi hospítium; nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristárchus, Demas & Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen.

CANON.

Ex Concílio Meldénsi.

Anno 845. *Cap.* 56.

NEmo Episcopórum quémlibet sine certa & maniféstà peccáti causa, communióne privet ecclesiásticâ. Anathéma autem sine prolata Evangélica admonitióne nulli impónat, nisi unde canónica docet autóritas; quia anathéma ætérnæ est mortis damnátio, & non nisi pro mortáli debet impóni crímine & illi qui áliter non potúerit córrigi.

DOMINICA VI.

quæ superfuit

POST EPIPHANIAM.

IN VESPERIS SABBATI

Ad Magnificat

Ant. 6. Jesus Christus heri & hódie: Ipse & in sæcula. *Hebr.* 13.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 1.

MUltifáriàm multísque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis, novíssimè diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis; tantò mélior ángelis efféctus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Speciósus formâ præ

filiis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis. * Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. ℣. Ad ángelos quidem dicit: Qui facit ángelos suos, spíritus; ad Filium autem: * Sedes tua. *Ps.* 44. *Hebr.* 1.

Lectio ij.

CUi enim dixit aliquándo angelórum: Filius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium? Et cùm íterum introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes ángeli Dei. Et ad ángelos quidem dicit: Qui facit ángelos suos spíritùs; & minístros suos, flammam ignis. Ad Filium autem: Tronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem; proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ particípibus tuis.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium sæculórum: * Et dominátio tua in omni generatióne, & *generatiónem.* ℣. Dómine Deus omnípotens, accepísti virtútem tuam magnam, & regnásti. * Et dominátio. *Ps.* 144. *Apoc.* 11.

Lectio iij.

ET: Tu in princípio, Dómine, terram fundásti, & ópera mánuum tuárum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanébis, & omnes ut vestiméntum veteráscent: & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis?

℟. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * Nimis exaltátus es super omnes deos. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem, quia tu creásti ómnia: * Nimis exaltátus. Glória. * Nimis. *Psalm.* 96. *Apoc.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Athanásii Epíscopi.

Orat. 2. contra Arianos Num. 24. & 26.

Lectio iv.

NEmo disceptántes audíre velit hæréticos, Deum non semper Patrem fúisse, sed pósteà factum esse, ut ementiántur áliquo témpore ejus Verbum non extitísse. Nemo, inquam, hæc disputántes patiénter audíerit, cùm multæ sint advérsùs illos refutatiónes; tum ex verbis Joánnis qui dicit: Erat verbum; tum ex Pauli scriptis, cujus hæc senténtia est: Qui est splendor glóriæ, & qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula: amen. Deus æternáliter est. Æternáliter ígitur existénte Patre, æternáliter quoque exístit ejus splendor, quod ipsum est Verbum ejus. Ac rursum Deus exístens, ex se exístens Verbum habet; neque Verbum supervénit, cùm priùs non esset; neque Pater unquàm irrationális, hoc est, sine ratióne & Verbo fuit.

℟. Domináre in médio inimicórum tuórum: * Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum; ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Ad quem angelórum dixit Deus aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? * Tecum princípium. *Ps.* 109. *Hebr.* 1.

Lectio v. N. 53. & 55.

SEd, inquiunt, in Epístola ad Hebræos ita Apóstolus lóquitur: Tantò mélior ángelis factus, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. Ex his verbis cólligunt Verbum Dei creatúram esse, & opus, & unam ex rebus cónditis. Si persónam, rem, tempus Apostólici dicti cognóscerent hærétici, nunquàm humána in deitáté transferéntes, tam ímpiè & stultè advérsùs Christum sese habuíssent. Id intuéri licébit, si inítium lectiónis probè excípias. Dicit enim Apóstolus: Multifáriàm multísque modis olim Deus locútus est pátribus nostris per Prophétas, últimis autem diébus locútus est nobis in Fílio. Atque ita paulò post dicit, perféctâ

ab eo nostrórum peccatórum purificatióne, ipsum sedére ad déxteram majestátis in excélsis, tantò meliórem ángelis factum, quantò præstántius nomen præ illis sortítus est. De eo igitur témpore quo nobis per Fílium locútus est, cùm peccatórum purgátio fieret, Apostólicum dictum mentióne facit. Quando autem nobis locútus est in Fílio, aut quando purgátio peccatórum facta est, aut quando natus est homo, nisi post Prophétas; idque in últimis diébus? phétas. Et postquàm Prophétæ suo officio persúncti sunt, & lex per ángelos pronuntiáta est, & Fílius étiam ad nos descéndit, & ad ministrándum accéssit; tunc demum necessáriò subintulit: Tantò mélior ángelis factus, osténdere volens, quantò Fílius præ servo excéllit, tantò functióne officióque servórum Fílii administratiónem meliórem fuisse.

℟. Quis símilis erit Deo in fíliis Deī? Deus qui glorificátur in concílio sanctórum: * Magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt. ℣. Qui est de terra, de terra est, & de terra lóquitur: qui de cœlo venit, super omnes est. * Magnus. Glória. * Magnus. *Psal.* 88. *Joan.* 3.

℟. Benedícite Dómino, omnes ángeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, * Ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Vidébitis cœlum apértum, & ángelos Dei ascendéntes & descendéntes supra Fílium hóminis. * Ad audiéndam. *Ps.* 102. *Joan.* 1.

Lectio vj.

DEinde cùm narrátio institúta esset de humána Verbi dispensatióne, deque últimis tempóribus; consequénter commemorávit Deum neque superióribus ætátibus tacuísse, sed locútum esse per Pro-

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13.

IN illo témpore, Parábolam propósuit turbis Jesus, dicens: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

Libr. 2. in Matth.

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitnr ad Judæos; auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet. Ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetípso, & in corde suo.

℟. Locútus est Jesus in parábolis ad turbas, ut implerétur quod dictum est per Prophétam: * Eructábo abscóndita à constitutióne mundi. ℣. Apériam in parábolis os meum, loquar propositiónes ab inítio. * Eructábo abscóndita. *Matth.* 13. *Ps.* 77.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat, nisi sensus noster & ánimus, qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fidei, facit in agro sui péctoris pullulare. Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum; & vidébis quantò minor sit cæteris semínibus seméntis Evangélii.

℟. Dimíssis turbis, venit Jesus in domum: & * Accessérunt ad eum discípuli ejus, dicéntes: Edíssere nobis parábolam. ℣. Cor sapiéntis quærit doctrínam. * Accessérunt. *Matth.* 13. *Prov.* 15.

Lectio ix.

SEd illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrat: sed totum fláccidum marcidúmque & mollítum ebúllit in ólera, & in herbas quæ citò aréscunt & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sa-

ta fúerit, non exúrgit in ólera, sed crescit in árborem, ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei servítio mancipátas sentíre debémus) véniant & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit.

℟. Quæ semináverit homo, hæc & metet; quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem: * Qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. ℣. Qui séminat iniquitátem, metet mala: * Qui autem. Glória. * Qui autem. *Gal.* 6. *Prov.* 22.

Ad Benedictus

Ant. 7. Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth.* 13.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut semper *rationabília* meditántes, quæ tibi sunt plácita; & dictis exequámur & factis. Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Aquilénsi.

Anno 1596. *Rubrica* 14.

TEmpus diéi festi in audiéndis conciónibus, Missæ sacro & divínis Officiis ponéndum est; non in comessatiónibus. Multò minùs, peracto prándio, ad saltatiónes & lusus declinándum, cùm sit in Ecclésias, ad horas vespertínas audiéndas, diverténdum, & nomen Dei concórditer & devótè, vel siléntii meditatióne, vel vocis exultatióne laudándum.

Ad Magnificat

Ant. 1. Símile est regnum cœlórum ferménto quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. *Matth.* 13.

FERIA SECUNDA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 2.

PRoptéreà abundántiùs opórtet observáre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. Si enim qui per ángelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævari-

cátio & inobediéntia accépit justam mercédis retributiónem; quómodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútẽ? Quæ cùm inítium accepíſſet enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs Sancti diſtributiónibus ſecúndùm ſuam voluntátem.

℟. Speciósus *p.* 442.

Lectio ij.

Eum autem qui módicò quàm ángeli minorátus eſt, vidémus Jeſum, propter paſſiónem mortis, glória & honóre coronátum, ut grátiâ Dei pro ómnibus guſtáret mortẽ. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem ſalútis eórum per paſſiónem conſummáre. Qui enim ſanctíficat & qui ſanctificántur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, & púeri mei quos dedit mihi Deus.

℟. Regnum *pag.* 443.

Lectio iij.

Quia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem; ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum, & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. Nuſquàm enim ángelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis qui tentántur auxiliári.

℟. Tu Dóminus *p.* 443.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 25. *de Refor. C.* 3.

Quamvis excommunicatiónis gládius, nervus ſit Eccleſiáſticæ diſciplínæ & ad continéndos in offício pópulos valdè ſalutáris, sóbriè tamen, magnâque circumſpectióne exercéndus eſt, cùm experiéntia dóceat, ſi témerè,

aut lévibus ex rebus incutiátur, magis contémni quàm formidári, & perníciē pótiùs párere quàm salútem.

FERIA TERTIA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 3.

UNde, fratres sancti, vocatiónis cœléstis partícipes, consideráte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum, qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò ampliórem honórem habet domus qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo: qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tanquàm fámulus, in testimónium eórum quæ dicénda erant; Christus verò tanquàm Fílius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus.

℟. Domináre *p.* 444.

Lectio ij.

VIdéte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis, discedéndi à Deo vivo: sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec Hódie cognominátur, ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti. Partícipes enim Christi effécti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem firmum retineámus. Dum dícitur: Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodum in illa exacerbatióne. Quidam enim audiéntes, exacerbavérunt, sed non univérsi qui profécti sunt ex Ægypto per Móysen.

℟. Benedícite *p.* 445.

Lectio iij. *Cap.* 4.

VIvus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, ac pertingens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, compágum quoque ac medullárum; & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus; ómnia autem nuda & apérta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habéntes ergo Pontíficem magnum, qui penetrávit

cœlos, Jesum Filium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad tronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Quis símilis *p.* 445.

CANON.

Ex Concílio Arelaténsi secúndo.

Anno 452. *Can.* 49.

SEcúndùm instítúta seniórum, si quis à communióne sacerdotáli fúerit autoritáte suspénsus, hunc non solùm à Clericórum, sed étiam à totíus pópuli collóquio atque convívio plácuit exclúdi; donec respíciens ad sanitátem redíre festínet.

FERIA QUARTA

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 6.

QUaprópter intermitténtes incohatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fídei ad Deum, baptísmatũ doctrínæ, impositiónis quoque manuũ, ac resurrectiónis mortuórum, & judícii ætérni. Et hoc faciémus, síquidem permíserit Deus. Impossíbile est enim eos qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœléste, & partícipes facti sunt Spíritûs Sancti, gustavérunt nihilóminùs bonum Dei verbum, virtutésque sæculi ventúri, & prolápsi sunt; rursus renovári ad pœniténtiam, rursum crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei, & osténtui habéntes.

℟. Speciósus *p.* 442.

Lectio ij.

TErra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo: próferens autem spinas ac tríbulos réproba est, & maledícto próxima; cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra & viciniόra salúti; tamétsi ita lóquimur. Non enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam osten-

dictis in nómine ipsíus, qui ministrástis sanctis, & ministrátis. Cúpimus autem unūquémque vestrum eādem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem, ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℟. Regnum *pag.* 443.

Lectio iij. *Cap.* 7. & 8.

LEx hómines constituit sacerdótes infirmitátem habéntes, sermo autem jurisjurándi, qui post legem est, Fílium in ætérnum perféctum. Capítulum autem super ea quæ dicúntur: Talem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum miníster & tabernáculi veri, quod fixit Dóminus & non homo. Omnis enim Póntifex ad offeréndum múnera & hóstias constitúitur; unde necésse est & hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset sacérdos, cùm essent qui offérrent secúndū legem múnera, qui exemplári & umbræ desérviunt cœléstium, sicut respónsū est Móysi, cùm consummáret tabernáculum: Vide, (inquit) ómnia fácito secúndùm exémplar quod tibi osténsum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò & melióris testaménti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. Nam si illud priùs culpâ vacásset, non utíque secúndi locus inquirerétur.

℟. Tu Dóminus *p.*443.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

Anno 816. *Cap.* 134.

DElinquéntibus, & excommunicátis frátribus nequáquàm cæteri fratres debent favére, aut eos suis adulatiónibus decípere, aut eórum erráta deféndere, sed pótiùs opem ferre, ut æquitátis censúrâ distríctè corrigántur.

FERIA QUINTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 10.

VOluntáriè peccántibus nobis post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccatis hóstia, terríbilis autem quædam expectátio judi-

cii, & ignis æmulátio quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur: quantò magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & Spirítui gratiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Et íterum: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis.

℟. Domináre *p.* 444.

Lectio ij. *Cap.* 11.

EST autem fides sperandárum substántia rerum, arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília fierent. Fide plúrimam hóstiam Abel, quám Caïn óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo; & per illam defúnctus adhuc lóquitur. Fide Enoch translátus est, ne vidéret mortem; & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: ante translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim opórtet accedéntem ad Deum, quia est, & inquiréntibus se renumerátor sit.

℟. Benedícite *p.* 445.

Lectio iij.

FIde Noë, respónso accépto de iis quæ adhuc non videbántur, métuens aptávit arcam in salútem domûs suæ, per quam damnávit mundum; & justítiæ, quæ per fidem est, hæres est institútus. Fide qui vocátur Abraham obedívit in locum exire, quem acceptúrus erat in hæreditátem; & éxiit, nésciens quò iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tanquàm in aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac & Jacob cohærédibus repromissiónis ejúsdem. Expectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus.

℟. Quis símilis *pag.* 445.

C A N O N.

Ex Concílio Narbonénsi.

Anno 1551. *Cap.* 60.

NUllus Clléricus aut étiam Laïcus à jure vel hómine excommunicátus & declarátus, ad publica múnera admittátur; indígnum est enim, ut qui à grege Domínico segregátus & separátus est, públicis offíciis fungátur.

FERIA SEXTA.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 12.

DEponéntes omne pondus & circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fidei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémptâ; atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit à peccatóribus advérsùm semetípsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsùs peccátum repugnántes; & oblíti estis consolatiónis quæ vobis tanquàm filiis lóquitur, dicens, Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini; neque fatigéris, dum ab eo arguéris. Quem enim díligit Dóminus, castígat, flagéllat autem omnem filium quem récipit.

℟. Speciósus *p.* 442.

Lectio ij.

IN disciplína perseveráte. Tanquàm filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrípit pater? Quòd si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes; ergo adúlteri & non filii estis. Deínde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri spirítuum, & vivémus? Et illi quidem in tempóre paucórum diérum, secúndùm voluntátem suam erudiébant nos; hic autem ad id quod útile est, in recipiéndo sanctificatiónem ejus. Omnis autem disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justitiæ.

ros percussérunt gládio, & ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, & ecce álius intrávit & dixit: Fíliis tuis & filiábus vescéntibus & bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repéntè ventus véhemens írruit à regióne desérti, & concússit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppréssit líberos tuos, & mórtui sunt; & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Benedíctio peritúri super me veniébat, & cor víduæ consolátus sum: justítiâ indútus sum: * Oculus fui cœco, & pes claudo; † Pater eram páuperum. ℣. Factus sum infírmis infírmus: ómnibus ómnia factus sum. * Oculus. Glória. † Pater. *Job.* 29. 1. *Cor.* 9.

IN II. NOCTURNO

Ex Libris Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 2. *cap.* 18.

Lectio iv.

Dominus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est. Sanctus vir Job, tentánte adversário, cuncta perdíderat; sed tamen *sciens* quia contra se Satan tentándi vires, nisi permitténte Dómino, non habébat, non aït: Dóminus dedit, diábolus ábstulit: sed, Dóminus dedit, Dñs ábstulit. Fortássè enim fúerat doléndum, si quod Cónditor déderat, hostis abstulísset: at postquàm non ábstulit nisi ipse qui dedit, sua recépit, non nostra ábstulit. Si enim ab illo accípimus quibus in hac vita útimur, cur doleámus quod ipso judicánte exígimur, quo largiénte fœnerámur? Nec aliquándo injústus est créditor, qui dum præfixo reddéndi témpore non constríngitur, quando vult, éxigit quod fœnerátur. Ubi & bene subjúngitur: Sicut Dómino plácuit, ita factum est. Cùm enim in hac vita ea quæ nólumus pátimur, necésse est ut ad eum qui injústum velle nil potest, stúdia nostræ voluntátis inclinémus.

℟. Beátus homo qui corrípitur à Deo. Increpatiónem ergo Dómini ne réprobes, * Quia ipse vúlnerat & medétur.

℣. Noli neglígere disciplinam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris; * Quia. *Job.* 5. *Hebr.* 6.

Lectio v.

MAgna quippe est consolátio in eo quod dísplicet, quod, illo ordinánte, erga nos ágitur, cui non nisi justum placet. Si ígitur justa placére Dómino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Dómino placúerint, póssumus; justa sunt cuncta quæ pátimur, & valde injústum est si de justa passióne murmurámus. Sed quia orátor fortis quómodò assertiónem partis suæ contra adversárium allegávit, audívimus; nunc quómodò in oratiónis suæ término júdicem benedicéndo laudet, audiámus. Séquitur: Sit nomen Dómini benedíctum. Ecce omne quod rectum sensit, Dómini benedictióne conclúsit, ut hinc adversárius inspíciat, & ad pœnam suam victus erubéscat; quia ipse Dómino cóntumax, étiam in beatitúdine cónditus éxtitit, cui homo hymnum glóriæ étiam percússus dicit.

℟. Addidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job duplícia, & fratres sui consoláti sunt eum. * Dóminus benedíxit novíssimis Job magis quàm princípio ejus. ℣. Tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem, spes autem non confúndit. * Dóminus. *Job.* 42. *Rom.* 5.

Lectio vj.

INtuéndum verò est quia hostis noster tot nos jáculis pércutit, quot tentatiónibus affligit. Quotídiè namque in ácie stamus quotídiè tentatiónum ejus tela excípimus: sed & nos contra illum jácula míttimus, si confóssi tribulatiónibus humília respondémus. Beátus ígitur Job percússus damno rerum, percússus morte filiórum, quia vim dolóris vertit in laudem Conditóris, dicens: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuit, ita factum est: Sit nomen Dómini benedíctum; supérbum hostem humilitáte pérculit, crudélem patiéntiâ stravit.

℟. Patiéntes estóte & vos, & confirmáte corda vestra: * Exémplum accípite labóris & patiéntiæ: † Sufferéntiam Job audístis, & finem Dómini vidístis. ℣. Sustinéte misericórdiam Dómini: respícite natiónes hóminum; & scitóte quia nullus spe-

℟. Regnum *pag.* 443.

Lectio iij.

PRopter quod remíssas manus & solúta génua erígite, & gressus rectos fácite pédibus vestris, ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum omnibus, & sanctimóniam sine qua nemo vidébit Deum: contemplántes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, & per illam inquinéntur multi. Ne quis fornicátor aut profánus, ut Esaü qui propter unam escam véndidit primitíva sua. Scitóte enim quóniam & pósteà cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus est; non enim invénit pœniténtiæ locum, quanquàm cum lácrymis inquisísset eam.

℟. Tu Dóminus *p.* 443.

CANON.

Ex Synodo Ebroicénsi.

Anno 1576. *apud Laurent. Boch. Decret. Eccles. Gallic. Lib.* 2.

NOlumus excommunicatiónes persunctóriè & quasi plebéium áliquod mandátum à Curátis seu Vicáriis cursìm legi, & publicári, sed semper cum horróre & interminatióne divíni Judícii, ac públicæ in totam Paróchiam afflictiónis si excommunicátus in illa tolerátur, ob idque differri jubémus, quiàm diutíssimè póterit, excommunicatiónis fulminatiónem.

SABBATO.

De Epístola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, ángelis hospítio recéptis. Mementóte vinctórum, tanquàm simul vincti: & laborántium, tanquàm & ipsi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Fornicatóres enim & adultéros judicábit Deus. Sint mores sine avarítia, conténti præséntibus; ipse enim dixit: Non te déseram, neque derelínquam. Ita ut confidénter dicámus: Dóminus mihi adjútor; non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei:

quórum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, & hódie: ipse & in sæcula.

Si fiat de Sabbato ℟℟℟. *sumentur è II. Nocturno Dominicæ præcedentis.*

Lectio ij.

DOctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium inféertur sanguis pro peccáto in sancta per Pontíficé, hórum córpora cremántur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem; sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem & communiónis *nolite oblivísci; tálibus* enim hóstiis promerétur Deus.

Lectio iij.

OBedíte Præpósitis vestris, & subjacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis: confidimus enim quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quò celériùs restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Pastórem magnum óvium in sánguine testaménti ætérni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis quod pláceat coram te per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

C A N O N:

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit. de Sim. & fiduc. num.* 1.

CUm nihil ádeò totum Clerum defórmet, quàm simóniæ labes; non abs re pridem cénsuit Ec-

clésia omnes simoníacos & fiduciários excommunicatióne percelléndos, ... contra quos ut ómnibus viis juris & pœnis severíssimis inquirátur, atque procedátur, optámus, volumus & decérnimus: præcépimus quoque ut síngulis diébus Domínicis omnes simoníaci & fiduciárii denuntiéntur excommunicáti eo ipso quod tales exístant.

DOMINICA ULTIMA
POST PENTECOSTEN.

IN VESPERIS SABBATI *Ad* Magnificat

Ant. 1. Numquid considerásti servum meũ Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocentiam? *Job.* 2.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Liber Job.

Lectio j. *Cap.* 1.

VIr erat in terra Hus, nómine Job, & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo: natíque sunt ei septem filii & tres filiæ. Et fuit posséssio ejus septem míllia óvium & tria míllia camelórum, quingénta quoque juga boum, & quingéntæ ásinæ, ac família multa nimis: erátque vir ille magnus inter omnes Orientáles. Et ibant filii ejus, & faciébant convívium per domos, unusquísque in die suo. Et mitténtes vocábant tres soróres suas, ut comédernt & bíberent cum eis. Cùmque in orbem transíssent dies convívii, mittébat ad eos Job & sanctificábat illos; consurgénsque dilúculo, offerébat holocáusta pro síngulis. Dicébat enim: Ne fortè peccáverint filii mei, & benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. Job córruens in terram adorávit & dixit: * Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc: Dómi-

nus dedit, Dóminus ábstulit: Sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nihil intúlimus in hunc mundum; haud dúbium quòd nec auférre quid póssumus * Nudus. *Job.* 1. 1.*Tim.*6.

Lectio ij.

QUâdam autem die, cùm veníssent filii Dei ut assísterent coram Dómino, áffuit inter eos étiam Satan. Cui dixit Dóminus: Unde venis? Qui respóndens, ait: Circuívi terram & perambulávi eam. Dixítque Dóminus ad eum: Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deũ, & recédens à malo? Cui respóndens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallásti eum ac domum ejus, universámque substántiam per circúitum? opéribus mánuum ejus benedixísti, & posséssio ejus crevit in terra. Sed exténde páululùm manum tuã, & tange cuncta quæ póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan: Ecce univérsa quæ habet, in *manu tua sunt; tantùm in* eum ne exténdas manum tuam. Egressúsque est Satan à fácie Dómini.

℟. Quis respondébit Deo? vel quis dícere potest: Cur ita facis? * Deus, cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvántur qui portant orbem, quantus sum ego ut respóndeam ei? ℣ Numquid dicit figméntum ei qui se finxit: Quid me fecísti sic? * Deus. *Job.* 9. *Rom.* 9.

Lectio iij.

CUm autem quâdam die filii & filiæ ejus comédèrent, & bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, & ásinæ pascebántur juxta eos, & irruérunt Sabæi, tulerúntque ómnia, & púeros percussérunt gládio, & evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cùmque adhuc ille loquerétur, venit alter & dixit: ignis Dei cécidit è cœlo, & tactas oves puerósque consúmpsit, & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi. Sed & illo adhuc loquénte, venit álius & dixit: Chaldæi fecérunt tres turmas, & invasérunt camélos, & tulèrunt eos, necnon & púe-

à planta pedis usque ad vérticem ejus, qui testâ sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? bénedic Deo, & mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulíéribus locúta es: si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? in ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Quis *pag.* 457.

Lectio iij.

IGitur audiéntes tres amíci Job omne malum quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo, Eliphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes. Condíxerant enim ut páriter veniéntes visitárent eum & consolaréntur. Cùmque eleváscent procul óculos suos, non cognovérunt eum: & exclamántes ploravérunt, scissísque véstibus sparsérunt púlverem super caput suum in cœlum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus & septem nóctibus, & nemo loquebátur ei verbum; vidébant enim dolórem esse veheméntem.

℟. Benedíctio *p.* 458.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit de Simon. & Fiduc. num.* 6.

UT autem noscant omnes quinam utriúsvis críminis (simóniæ & confidéntiæ) rei habéndi sint; illi imprímis & própriè habeántur, prout sunt, simoníaci, qui beneficia, resque spirituáles pecúniis cómparant, vel cónferunt, vel certè rebus quæ pecúniâ æstimári queant. Nam eórum impudentíssimum prætéxtum detestámur, qui de solo provéntu, reque temporáriâ se pacísci dicunt, cum ea spirituáli tam arcto sit annéxa vínculo, ut non magis una ab áltera divélli queat, quàm in hómine vivo manénte corpus à sua ánima.

FERIA TERTIA.

De Libro Job.

Lectio j. *Cap.* 3.

POst hæc apéruit Job os suum, & maledíxit diéi suo, & locútus est: Péreat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Concéptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras; non

requírat eum Deus désuper, & non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ & umbra mortis; óccupet eum caligo, & involvátur amaritúdine. Noctem illam tenebrósus turbo possídeat, non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna: maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti sunt suscitáre Levíathan. Obtenebréntur stellæ calígine ejus: expéctet lucem, & non vídeat, nec ortum surgéntis auróræ, quia non conclúsit óstia ventris qui portávit me, nec abstulit mala ab óculis meis.

℟. Beátus *pag.* 458.

Lectio ij. *Cap.* 4.

RESpóndens autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan moléstè accípies; sed concéptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuísti multos & manus lassas roborásti, vacillántes confirmavérunt sermónes tui, & génua treméntia confortásti: nunc autem venit super te plaga, & defecísti; tétigit te & conturbátus es. Ubi est timor tuus, *fortitúdo* tua, patiéntia tua & perféctio viárũ tuárũ? Recordáre, óbsecro te, quis unquàm ínnocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótiùs vidi eos qui operántur iniquitátem & séminant dolóres, & metunt eos, flante Deo, periisse, & spíritu iræ ejus esse consúmptos.

℟. Addidit *pag.* 459.

Lectio iij. *Cap.* 8.

RESpóndens autem Job dixit: Utinam appenderéntur peccáta mea quibus iram mérui, & calámitas quam pátior, in statéra! quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde & verba mea dolóre sunt plena; quia sagíttæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, & terróres Dómini mílitant contra me. Numquid rúgiet ónager, cùm habúerit herbam? aut múgiet bos, cùm ante præsépe plenum stéterit? aut póterit cómedi insúlsum, quod non est sale condítum? aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Quæ priùs nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia cibi mei sunt. Quis det ut

véniat petítio mea ; & quod expécto, tríbuat mihi Deus ? & qui cœpit, ipse me cónterat ? solvat manum suam, & succídat me ? Et hæc mihi sit consolátio, ut afflígens me doloré non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti.

℟. Patiéntes *pag.* 459.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *Lib.* 1. *cap.* 38.

ALiud munus est ab obséquio, áliud munus à manu, áliud munus à lingua. Munus quippe ab obséquio, est subjéctio indébite impénsa. Munus à manu pecúnia est. Munus à lingua, favor..... Ab omni múnere manus éxcutit, quando in divínis rebus, non solùm nullam pecúniam, sed étiam humánam grátiam non requírit.

FERIA QUARTA.

De Libro Job.

Lectio j. *Cap.* 8.

REspóndens Baldad Suhítes, dixit: Usquequò loquéris tália, & spíritus múltiplex sermónes oris tui ? Numquid Deus supplántat judícium ? aut Omnípotens subvértit quod justum est ? Etiámsi fílii tui peccavérint ei, & dimísit eos in manu iniquitátis suæ ; tu tamen si dilúculo consurréxeris ad Deum, & Omnipoténtem fúeris deprecátus, si mundus & rectus incésseris, statim evigilábit ad te, & pacátum reddet habitáculum justítiæ tuæ ; in tantum ut si prióra tua fúerint parva, & novíssima tua multiplicéntur nimis.

℟. Job córruens *p.* 456.

Lecti ij. *Cap.* 9.

ET respóndens Job, ait : Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificétur homo conpósitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, & fortis róbore : quis réstitit ei, & pacem hábuit ? Qui tránstulit montes, & nesciérunt hi quos subvértit in furóre suo. Qui cómmovet terram de loco suo, & colúmnæ ejus concutiúntur. Qui præcipit soli, & non óritur ; & stellas claudit quasi sub signáculo. Qui exténdit cœlos solus, & gráditur super fluctus maris. Qui facit

Arctúrum, & Orióna, & Hyadas, & interióra Austri. Qui facit magna, & incomprehensibília & mirabília, quorum non est númerus.

℟. Quis *pag.* 457.

Lectio iij.

SI vénerit ad me, non vidébo eum, si abíerit, non intélligam. Si repéntè intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest, Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiámsi habúero quídpiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocánte exaudíerit me, non credo quod audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, & multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa. Non concédit requiéscere spíritum meum, & implet me amaritudínibus. Si fortitúdo quæritur, robustíssimus est: si æquitas judícii, nemo audet pro me testimónium dícere. Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me: si innocéntem ostendero, pravum me comprobábit.

℟. Benedíctio *p.* 458.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *Anno* 1583. *Tit. de fœnore num.* 1.

SImóniæ vítio peccátum usúræ esse affine nemo non cónspicit. Cùm ígitur sacræ lítteræ exclúdant eum à divíno tabernáculo qui pecúniam déderit ad usúram, apertéque núntient ut mútuum demus nihil inde sperántes; Quísquis præter sortem præcípuam ex mútuo áliquid ámplius exégerit, vel accéperit, cujuscúmque géneris illud sit, modo pecúniâ æstimári possit, usurárius esse censeátur. Quæ autem per usúram parta sunt, vel accépta, usurárii restitúere teneántur.

FERIA QUINTA.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 11.

RΕspóndens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non & áudiet? aut vir verbósus justificábitur? Tibi soli tacébunt hómines? & cùm cæteros irríseris, à

nullò confutáberis? Dixísti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspéctu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, & aperíret lábia sua tibi, ut osténderet tibi secréta sapiéntiæ, & quòd múltiplex esset lex ejus; & intellígeres quòd multò minóra exigáris ab eo, quàm merétur iníquitas tua!

℟. Beátus *pag.* 458.

Lectio ij. *Cap.* 12.

REspóndENS autem Job dixit: Ergo vos estis soli hómines, & vobíscum moriétur sapiéntia? Et mihi est cor sicut & vobis, nec inférior vestrì sum: quis enim hæc quæ nostis, ignórat? Qui deridétur ab amíco suo sicut ego, invocábit Deum, & exáudiet eum: deridétur enim justi simplícitas. Lampas contémpta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. Abúndant tabernácula prædónum, & audácter provocant Deum, cùm ipse déderit ómnia in manus eórum. Nimírum intérroga juménta, & docébunt te, & volatília cœli, & indicábunt tibi. Lóquere terræ, & respondébit tibi; & narrábunt pisces maris. Quis ignórat quòd ómnia hæc manus Dómini fécerit? In cujus manu ánima omnis vivéntis, & spíritus univérsæ carnis hóminis.

℟. Addidit *pag.* 459.

Lectio iij. *Cap.* 13.

AUdíte ergo correptiónem meam, & judícium labiórum meórum atténdite. Numquid Deus índiget vestro mendácio, ut pro illo loquámini dolos? Numquid fáciem ejus accípitis, & pro Deo judicáre nitímini? Aut placébit ei quem celáre nihil potest? aut decipiétur ut homo vestris frauduléntiis? Ipse vos árguet, quóniam in abscóndito fáciem ejus accípitis. Statim ut se commóverit, turbábit vos, & terror ejus írruet super vos. Memória vestra comparábitur cíneri, & redigéntur in lutum cervíces vestræ. Tacéte paulísper, ut loquar quodcúmque mihi mens suggésserit. Quare lácero carnes meas déntibus meis, & ánimam meam porto in mánibus meis? Etiámsi occíderit me, in ipso sperábo: Verúmtamen vias meas in conspéctu ejus ár-

guam. Et ipse erit Salvátor meus : non enim véniet in conspéctu ejus omnis hypócrita.

℟. Patiéntes *pag.* 459.

C A N O N.

Ex Concílio Epaonénsi.

Anno 517. *Can.* 38.

MOnastéria puellárum, nonnísi probátæ vitæ & ætátis provéctæ viri ad quascúmque eárum necessitátes vel ministratiónes permittántur intráre. Ad faciéndas verò Missas, qui ingréssi fúerint, statim exácto ministério régredi festinábunt. Aliàs autem nec Cléricus nec Mónachus júvenis ullum ad puellárum congregatiónem habébit accéssum.

FERIA SEXTA.

De Libro Job.

Lectio j. *Cap.* 32.

OMisérunt tres viri isti respondére Job eò quòd justus sibi viderétur. Et irátus indignatúsque est Elíu fílius Bárachel Buzítes, de cognatióne Ram : irátus est auté advérsùm Job, eò quòd justum se esse díceret corã Deo. Porrò advérsùm amícos ejus indignátus est, eò quòd non inveníssent responsiónem rationábilem, sed tantúmmodò condemnássent Job. Igitur Elíu expectávit Job loquéntem, eò quòd senióres essent qui loquebántur. Cùm autem vidísset quòd tres respondére non potuíssent, irátus est veheménter. Respondénsque Elíu fílius Bárachel Buzítes, dixit: Júnior sum témpore, vos autem antiquióres ; idcírco demísso cápite, véritus sum vobis indicáre meã senténtiam. Sperábam enim quòd ætas prolíxior loquerétur, & annórum multitúdo docéret sapiéntiam. Sed, ut vídeo, spíritus est in homínibus, & inspirátio Omnipoténtis dat intelligéntiam. Non sunt longævi sapiéntes, nec senes intélligunt judícium.

℟. Job córruens *p.* 456.

Lectio ij. *Cap.* 36.

ADdens quoque Elíu, hæc locútus est ; Sústine me páululùm, & indicábo tibi ; adhuc enim hábeo quod pro Deo loquar. Répetam sciéntiam meam à princípio, & operatórem meum probábo justum. Verè enim absque mendácio sermónes mei, & perfécta sciéntia probá-

ditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc centum quadragínta annis, & vidit filios suos & filios filiórum suórum usque ad quartam generatiónem, & mórtuus est senex, & plenus diérum.


CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *Lib.* 1. *cap.* 145.

QUi divínis se mancipárunt Officiis, stúdeant hæc bréviter colлécta sédulâ meditatióne perlégere, & memóriæ commendáre, & divínâ adjuvánte grátiâ, juxta vires adimplére. Vocatióne ergo quâ vocáti sunt, nec ad déxteram, nec ad sinístram declinántes ámbulent; quátenùs divínis jussiónibus obtemperántes, ad Christum (de cujus sorte esse noscúntur) qui via, véritas & vita est, eo opitulánte, perveníre mereántur.





PROPRIUM SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

¶ *In Solemnibus, nisi aliter notetur, Psalmi de Dominica in toto Officio etiam in I. Vesperis & I. Completorio, excepto quòd in utrisque Vesperis ultimus Psalmus erit Ps. 116.* Laudate, Dóminum, omnes Gentes *pag.* 171.

In Duplicibus & infra Psalmi de Feria in toto Officio.

AD MATUTINUM


Ad I. NOCTURNUM in Solemnibus Lectiones, Scriptura de Communi Lectionum convenienti, quod habetur post Commune Sanctorum: In Duplicibus autem, Scriptura occurrens.

Ad NOCTURNUM in Semiduplicibus I. Lectio Scriptura occurrens ex qua fit una: In Simplicibus autem duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, secundâ & tertiâ in unam coactis.

Te Deum *dicitur in omnibus Sanctorum Festis.*

AD HORAS

CANON de Feria, nisi aliud assignetur. Responsoria brevia dicuntur in Solemnibus de primo modo: In Duplicibus & intra Octavas Solemnes de secundo modo: In Simplicibus & intra Octavas non Solemnes de tertio modo.



DIE I.

IN FESTO *SANCTORUM SIXTI* PRIMI REMENSIS *ARCHIEPISCOPI ET APOSTOLI,* AC SINICII *EJUS SOCII* ET SUCCESSORIS.

Solemne-minus.

IN I. VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Colos. 2.

SIcut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti & superædificáti in ipso, & confirmáti fide sicut & didicístis.

℟. Vocábunt eos, pópulus sanctus, redémpti à Dómino. *. Vocáberis quæsita cívitas, & non derelícta. Allelúia, allel.

℣. Grátias Deo super inenarrábili dono ejus. * Vocáberis. Glória. * Vocáberis.

HYMNUS

CHRISTE, qui mundi réparas salútem,
Mitte quem nosti fidei minístrum:
Quid semper mortis sedet urbs sepúlta
Nostra sub umbris?
FERTILES tellus petit illa curas,
Non tulit veros inaráta fructus;

Hæc dabit lætam ségetem fidéli
Culta labóre.

En Deo plenus, fideíque præsul
Luce divínâ rádians ad urbem
Advolat Sixtus: pietátis ardor
Créscit eúndo.

Urget exémplo cómitem labóris,
Quem sibi virtus sócians perénni
Vínculo junxit, similíque movit
Grátia pulsu.

Una mens ambos agit: æmulósque
Cáritas ambos agit una: fortes
Mílitant, signum crucis inferéntes
Sub duce Christo.

Inde nostrórum pietas paréntum
Prisca deflúxit: máneat superstes;
Fracta nec longo minuéntis ævi
Cóncidat usu.

Summa laus Patri, Genitóque summa:
Laus tibi compar utriúsque nexus:
Fac tuis vivat, Deus, in minístris
Prístina virtus.
Amen.

℣. Pópulus qui creátur laudábit Dóminum,
℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo. Allel. allel. allel. *Ps.* 101.

Ad Magnificat

Ant. 1. Occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio: quia erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam. *Is.* 60.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Venite, adorémus. 1. *Petr.* 2.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum; & præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. 1. *Reg.* 13.

Ant. 3. Factum est verbum Dómini ad eum, dicens: Surge, & vade in civitátem magnam & prædica in ea. *Jonæ.* 3.

Ant. 3. Surréxit & ábiit juxta verbum Dómini, & cœpit introíre in civitátem. *Jonæ.* 3.

℣. Lingua ejus loquétur judícium:
℟. Lex Dei ejus in cor-

ante prævíderat, clausit. Ejus corpus in ecclésia quam ipse construxerat, a beato Sinicio, cui móriens sacram curam Remensis Ecclésiæ commendavit, sepúltum est. Antequam vero Suessióne discéderet Sinicius, suum in locum Divitianum ordinásse tráditur. Postquàm autem uno anno pópulum Remensem secúndum Deum rexit, unius ejusdémque templi ac tumuli, cum Sixto prædecessóre meruit consortium. Hinc sanctæ utriúsque Pontíficis Relíquiæ nono sæculo in ecclésiam beati Remígii translátæ sunt, & ibi post altáre sancti Petri repósitæ. Distráctis deinde eórum óssibus, pars eórum notabílior ecclésiæ Metropolitánæ data est; quædam alia Anschário Remensi ab Ebbóne páriter concéssa; caput verò sancti Sixti ecclésiæ sancti Nicásii, ubi cum sancti Sinicii bráchio religiósè conservátur. Anno millésimo sexcentésimo vigésimo nono Simon Episcopus Suessionénsis sacrórum pignorum partem quæ in Metropolitána servabántur, in capsam pretiosiórem inclúsit, & ossa quædam Suessiónem tránstulit, quæ in majóri Ecclésia honorificè colúntur.

℟. Magnificabátur nomen Dómini Jesu: * Ita † Fortiter crescébat verbum Dei, & confirmabátur. ℣. Deferéntes cæremónias patrum suórum, quæ in multitudine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. * Ita. Glória. † Fortiter. *Act.* 19. *Judith.* 5.

IN III. NOCTURNO

Ant. 3. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtúte & in Spiritu Sancto & in plenitúdine multa. 1. *Thess.* 1.

Ant. 4. Scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: mémores enim estis labóris nostri. 1. *Thess.* 2.

Ant. 5. Frater & cooperator, & commilito meus, vester autem Apóstolus omnes vos desiderábat. *Philip.* 2.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum.

℟. Facti sumus lætántes. Allelúia, allel. allel. *Ps.* 125.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilia Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 7. in cap. 2. Epist. 1. ad Corinth. 6.

DIcébam nuper, Apóstolos ea quæ prædicárunt, nunquã prædicatúros fuisse, nisi divínâ movénte grátiâ: & non modò id non perfectúros, sed neque hac de re consultatúros fuisse. Age verò, hódie quoque eã rem excutiámus, ostendamúsque non potuísse eos id suscípere vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent; non quia imbecílles advérsùs fortes; non quia pauci contra multos; non quia páuperes contra dívites; non quia indócti contra sapiéntes áciem instruébant, sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines validius esse véteris consuetúdinis tyránnide. Nihil enim ita turbat ánimum, etiámsi útile quidpiam aggrediátur, ut innováre & peregrínum quid indúcere, máximè cùm de cultu religiónis, & de Dei glória ágitur.

℟. Debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres; quòd elégerit vos Deus primítias in salútem in fide veritátis, in qua * Vocávit vos per Evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi.

℣. Vobis junctus est Dóminus, & elégit vos, quia diléxit vos. * Vocávit. Glória. * Vocávit. 2. *Thess.* 2. *Deut.* 7.

Lectio viij.

ALiud erat majus impediméntum, quòd non modò consuetúdo tam antíqua mutarétur, sed étiam quòd mutátio illa cum perículo fíeret. Credéntem statim accidébat publicári, pelli, à pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse & suis & aliénis. . . . . . Ad consuetúdinem & ad perícula id addas, quod hæc præcépta onerosióra essent, & ea à quibus abducébant, lévia & facília. Nam à fornicatióne ad castitátem vocábant,

ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, à risu ad lácrymas & compunctiónem, ab avarítia ad paupertátem, à securitáte ad perícula: & per ómnia extrémam exigébant accuratiónem..... Quid ergo illos inducébat? An non virtus ejus qui prædicabátur, ut palam est?

℟. Ut Christi Apóstoli * Cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

℣. Fortis est ut mors diléctio. * Cúpidè. Glória. * Cúpidè 1. *Thess.* 2. *Cant.* 8.

Lectio ix.

ITaque ea de causa máximè admirári oportébat, quòd bárbaris homínibus persuáserint ut talem fidem susciperent, & bonam de futúris spem habérent, ac depósitâ prióram peccatórum sárcinâ, cum magna ánimi alacritáte, deínde pro virtúte labóres susciperent, & ad sensibília nulla inhiárent, omnibúsque corpóreis rebus superióres effécti, spirituália accíperent dona, ac Persa, Sármata, Maurus & Indus, scirent ánimæ expiatiónem, Dei poténtiam & benignitátem ineffábilem, fidei philosóphiam, Spíritûs Sancti advéntum, córporum resurrectiónem & vitæ immortális dógmata. Hæc quippe ómnia & his plura barbarórum gentes piscatóres in baptísmo mystériis initiántes, philosophári suasérunt. Hæc ítaque ómnia accurátè servántes, illa eis dicámus, & à vita quoque nostra demonstratiónem rursum ipsis exhibeámus, quò utrínque & nos salútem consequámur, & illos ad Dei glóriam attrahámus, quia ipsi est gloria in sæcula. Amen.

℟. State & tenéte traditiónes quas didicístis: * Ipse autem qui dedit spem bonam in grátia, corda vestra confírmet in omni ópere bono.

℣. Judícium Patris audíte, filii, & sic fácite, ut salvi sitis: Deus enim honorávit Patrem in fíliis. * Ipse. Glória. * Ipse. 2. *Thess.* 2. *Eccli.* 3.

AD LAUDES

Ant. 7. ECce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum

meum expándi manus meas ad pópulum incrédulum. *Is.* 65.

Ant. 1. Repléta est terra ejus idólis : opus mánuum suárum adoravérunt, exaltábitur autem Dóminus solus. *Is.* 2.

Ant. 8. Convérsi estis ad Deum à simulácris, servíre Deo vivo & vero. 1. *Thess.* 1.

Ant. 2. Spem quæ repósita est.

Canticum *Is.* 52.

Quàm pulcri super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacē:* annuntiántis bonū!

Prædicántis salútem, dicéntis Sion : * regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum : * levavérunt vocem, simul laudábunt.

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte simul, desérta Jerúsalem ; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium géntium.

Et vidébunt omnes fines terræ, * Salutáre Dei nostri.

Ant. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo veritátis Evangélii quod pervénit ad vos. *Coloss.* 1.

Ant. 3. Non fecit táliter omni natióni, & judícia sua non manifestávit eis. *Ps.* 147.

Capitulum 1. Thess. 4.

Fratres, rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodùm accepístis à nobis, quómodò opórteat vos ambuláre & placére Deo, sic & ambulétis ut abundétis magis.

℣. Quanta audívimus, & cognóvimus ea:

℟. Et Patres nostri annuntiavérunt nobis. Allel. allel. allel. *Ps.* 77.

Ad Benedictus

Ant. 5. Virtútes annuntiémus ejus, qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum : qui aliquándò non pópulus, nunc autem pópulus Dei. Allelúia. 1. *Petr.* 2.

Oratio.

Deus qui gentis nostræ primítias beatórum Sixti & Sinícii Pontíficum prædicatióne & miráculis, Ecclésiæ tuæ aggregári voluísti, fac, quæsumus, ut illórum doctrina & vi-

bóribus in Christo géniti, in Evangélio quod prædicavérunt immóbiles permaneámus. Per eúmdem Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seff. 4. Decret. de Canon. scripturis.*

EVangélium promíssum ante per Prophétas in Scriptúris sanctis Dóminus noster Christus Dei filius próprio ore primùm promulgávit: deínde per suos Apóstolos, tanquàm fontem omnis salutáris veritátis & morum disciplínæ, omni creatúræ prædicári jussit.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* Confirma hoc Deus quod operátus es in nobis. * Allelúia, allel.

℣. A templo tuo in Jerúsalem. * Allelúia. Glória. Confirma.

℣. Deus Israël ipse dabit virtútem.

℟. Et fortitúdinem plebi suæ. Allel. allel. allel. *Ps.* 67.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *br.* Patres nostri annuntiavérunt nobis. * All. all. ℣. Opus quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis. * Allelúia. Glória. Patres. *Ps.* 43.

℣. Non discédimus à te (Dómine), vivificábis nos, ℟. Et nomen tuum invocábimus. Allel. allel. allel. *Ps.* 79

AD NONAM

Capitulum Ephes. 2.

IN (Christo Jesu) omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo & vos coædificámini in habitáculum in spíritu.

℟. *brev.* Dómini est assúmptio nostra. * Allel. allel. ℣. Et sancti Israël regis nostri. * Allelúia. Glória. Dómini. *Ps.* 88.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus,

℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. All. all. all. *Ps.* 32.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus. Capitulum, Hymnus & Versus de I. Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 5. Sit memória illórum in benedictióne, & nomen eórum permáneat in ætérnum, pérma-

nens ad filios illórum, sanctórum virórum glória. *Eccli.* 46.

Oratio ut suprà ad Laud.

Commemor. S. Nivardi Archiepiscopi Remensis per Ant. Elégit *pag.* xxj. *Orat.* Deus fidélium *pag.* xxiv. *de Communi Ss. Pontific.*

Deindè S. Lupi per Ant. Ego sum óstium *pag.* xxiv. *ibidem.* *Oratio.*

DEus qui beátum Pontíficem Lupum, caritátis tuæ minístrum, in advérsis quoque patiéntem effecísti, præsta, ut qui tibi ejus exémplo bene ministráverint, ætérnæ cum eo glóriæ mereántur esse partícipes. Per Dóminum.

Die ii.

In Festo

SANCTI NIVARDI ARCHIEPISC. REMENSIS.

Semiduplex - minus.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix.*

Oratio Deus fidélium *pag.* xxiv.

Ex variis Hist. Rem. Mon.

Lectio ij. De S. Nivardo.

NIvárdus, qui et Nivo dictus est, vir fuit insígnis sanctitátis, régiæ stirpi affinis, Emmæ Príncipis fílius. In aula régia educátus nihil de sæculi contágio trahens, tantis fulgébat virtútibus, ut ad sedem Reménsem evéctus fúerit, dignúsque hábitus qui illi præésset ecclésiæ, quæ tunc témporis, totíus sciéntiæ & pietátis domicílium habebátur, clero símul & pópulo divíni amóris cultum spirántibus. Quæ quidem stúdio sancti Pontíficis mira sumpsére increménta. Ecclésiam Reménsem multum locupletávit, emptis per divérsa loca fundis, aut vindicátis ab invasóribus. Altivillarénse monastérium extrúxit, cui præfécit Berchárium virum sanctitáte illústrem, quem ab infántia nóverat, quique, relictâ pátriâ, Remos vénerat, futúrus cum Nivárdo, ejúsdem urbis, quæ famâ sanctitátis ac divíni cultûs odóre flagrábat, civis felicíssimus. Cœnóbium sancti Básoli restruxísse fertur Sanctus Nivárdus; ei saltem multa cóntulit dona & privilégia Póntifex ascéticæ vitæ cultórum amantíssimus. Rem omnem suam, ántequàm è vivis excéderet, ecclésiis [illegible]

gitus est : & tandem receptúrus à Deo gestórum mercédem, ex hac vita decéssit in ædícula sanctæ Maríæ apud Altivillarénse monastérium. Inde Remos ad ecclésiam sancti Remígii deportátus, ibi à Berchário Abbáte, comitántibus plúrimis qui ad exéquias tanti Præsulis convénerant, Epíscopis, honoríficè sepúltus est.

Ex vita S. Lupi apud Duchesne Tom. 1. Hist. Franc.

Lectio iij. De S. Lupo.

LUpus in território Aurelianénsi natus est ex nobilíssimis paréntibus Bettóne & Austregílde. Ab avúnculis suis Austréno Aurelianénsi & Aunachário Antissiodorénsi Epíscopis in Clerum cooptátus est, cùm ipsum cérnerent normam religiónis amáre, & Christi præcépta dilígere. At cùm fama illíus longè latèque percúrreret, Artémio Senonénsi Epíscopo defúncto, in ejus locum suffécus est, Clero & pópulo eum in Epíscopum à rege postulántibus. Váriis proscíssus est calúmniis in aula Theodórici Burgundiórum regis; at contra detrahéntes nihil áliud repósuit quàm hæc Christi verba: Beáti estis, cùm maledíxerint vobis hómines, & persecúti vos fúerint & díxerint omne malum advérsùm vos, mentiéntes. Mórtuo Theodórico, Clotárius secúndus calúmniis cujúsdam nómine Farúlphi decéptus, Lupum in Neustriam relegávit, ubi multos pagános sanctus Præsul ad fidem addúxit. Innocéntiam ejus tandem agnóvit Clotárius, id agénte Vinebáldo monastérii sancti Lupi Trecénsis Abbáte, eúmque ab exílio revocávit, & ad ejus pedes advolútus véniam deprecátus est. In prædio Briennonénsi suæ Diœcésis advérsâ valetúdine corréptus, mórtuus est anno círciter sexcentésimo vigésimo tértio, vitæ sanctitáte & miráculis clarus, ac sepúltus (ut ipse volúerat) sub stillicídio basílicæ sanctæ Colúmbæ vírginis & mártyris.

Post LAUDES *commem. Octavæ Ss. Sixti & Sinicii per Ant. & Orat. de die, & sic fit per Octav.*

Deinde S. Lupi per Ant. Elégit ipsum *pag.* xxj. *de Communi Ss. Pontificum.*

Oratio ut *supra.*

Die III.

In Festo

SANCTI GREGORII PAPÆ

& Ecclesiæ Doctoris.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Doctorum pag. *xxv.*

Oratio.

DEus, coróna Pontíficum & lucérna Doctórum, qui beátum Gregórium Ecclésiæ tuæ providísti Pontíficem & Doctórem, quæsumus, ut ejus nos semper & documéntis erúdias, & exémplis infórmes. Qui vivis.

In I. Vesperis *commemoratio S. Nivardi per Ant.* Státuit *pag.* xxv. *Oratio* Deus fidélium *pag.* xxiv. *de Comm. Ss. Pontif.*

Deinde commem. Octav.

IN II. NOCTURNO

Ex vita S. Gregorii per Greg. Turon. Bedam. Paul. Diacon. & alios scripta.

Lectio iv.

GRegórius ex meritórum excelléntia cognómine magnus, Gordiáni ex Senatório génere, & sanctæ Sylviæ filius, urbánâ Præfectúrâ functus, patre mórtuo, ex própriis facultátibus sex in Sicília monastéria, séptimum Romæ sancti Andréæ nómine, in suis ædibus ad clivum Scauri extrúxit; ubi sub Valentióne Abbáte mónachi vitam proféssus; póstea Abbas fuit; evocátus indè, Diáconus ordinátur. Nec multò post à Pelágio secúndo Constantinópolim Apocrisiárius míttitur, sedis Apostólicæ respónsa factúrus; ubi, ne aulæ consuetúdine & curis sæculáribus piétas refrigésceret, Scripturárum meditatióni, & conscribéndis morálium libris ánimum adhíbuit. Ea in urbe Eutychium Patriárcham, qui contra veram & contrectábilem córporum resurrectiónem scrípserat, ita convícit, ut & Imperátor ejus librum in ignem conjécerit, & ipse paulò post Eutychius inter morbi dolóres, instánte morte, pellem manûs suæ contréctans, multis astántibus díxerit: Confíteor quia omnes in hac carne resurgémus.

Lectio v.

ROmam revérsus Gregórius Pelágio pesti-

léntiâ subláto, ómnium votis Póntifex elígitur anno Christi quingentésimo nonagésimo. Totísque licet víribus renítens, non sine multis lácrymis ordinátus est, tértio Nonas Septémbris, quæ dies pósteà in multis ecclésiis ejus memóriæ celebrándæ consecráta est. In epístola synódica, quam pro more tunc scripsit ad Patriárchas, proféssus est se sicut sancti Evangélii quátuor libros, sic suscípere quátuor Concília, Nicænum nempe, Constantinopolitánum, Ephesínum, & Chalcedonénse: quintum quoque páriter venerári; quas illa Concília persónas réspuunt, se respúere, quasque venerántur, ampléсti. Vétuit ne ullus in Sicília Subdiáconus fieret, nisi qui continéntiam se servatúrum pollicerétur. Joánni Patriárchæ Constantinopolitáno fórtiter óbstitit, qui sibi nomen universális Epíscopi arrogábat. Qua de re ad Constantínam Augústam ita scripsit: Etsi peccáta Gregórii tanta sunt, ut pati tália débeat, Petri tamen peccáta nulla sunt, ut *vestris* tempóribus pati ista mereátur. Ipse verò præ modéstia servum servórum Dei se, primus Romanórum Pontíficum, in suis epístolis inscrípsit. Cum Imperatóre Maurítio expostulávit de lege quam túlerat, ne mílites in monastériis reciperéntur, cum plerique sint, inquit, qui nisi ómnia relíquerint, salvári nullátenùs possunt.

Lectio vj.

DIvíni Officii órdinem cantûsque ecclesiástici méthodum melióri formæ restítuit. Scripsit ad Theodóricum & Theodebérthum reges, ut synodum in Gálliis congregárent, in qua constitueréntur, ne ullus pro ecclesiástico órdine áliquid unquàm daret, aut accíperet, nec quisquam de láicis ad sacerdótium contínuò transíret, prohiberéntque, ne Judæi christiána mancípia possidérent. Donatístas représsit in Africa. Manichæos in possessiónibus suis in Sicília degéntes ab erróre revocári curávit. Cénsuit ut Judæi prædicatióne pótiùs quàm vi ac necessitáte ad baptísmum compelleréntur. Anglórum gentem,

missis in Británniam Augustino & áliis mónachis, ad fidem addúxit; unde Anglórum Apóstolus à Beda vocátus est. Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrévit, præsértim infirmâ semper valetúdine. Dénique multis éditis miráculis, Pontificátûs anno décimo tértio, mense sexto, ad cœléstem beatitúdinem est evocátus. Corpus ejus máxima ex parte in Gállias ad Suessionénse sancti Medárdi monastérium nono sæculo translátum est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. *in Evang. n.* 16.

VOs estis sal terræ. Si cibus Dei est pópulus, condiméntum cibi sacerdótes esse debuérunt. Pensémus ergo qui unquàm per linguam nostram convérsi, qui de pervérso suo ópere nostrâ increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui accépto talénto, ab eo ad negótium missi sumus; etenim dicit: Negotiámini dum vénio. Ecce jam venit, ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus?

Lectio viij. *n.* 17.

POnamus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, & ratiónem cum servis suis, quibus talénta crédidit, ponet. In illo tanto exámine, electórum ómnium, & reprobórum multitúdo deducétur; & unusquísque quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæa convérsa, quam post se traxit, apparébit. Ibi Paulus convérsum, ut ita díxerim, mundum ducens. Ibi Andréas post se Achaíam, ibi Joánnes Asiam, Tho-

mas Indiam in conspéctu sui regis convérsam ducet. Ibi omnes Domínici gregis aríetes cum animárum lucris apparébunt, qui sanctis suis prædicatiónibus, Deo post se súbditum gregem trahent. Cùm ígitur tot pastóres cum grégibus suis ante ætérni Pastóris óculos vénerint, nos míseri, quid dictúri sumus, qui ad Dñm nostrum post negótium vácui redímus; qui pastórum nomen habúimus, & oves quas ex nutriménto nostro debeámus osténdere, non habémus? Hîc pastóres vocáti sumus, & ibi gregem non dúcimus.

Lectio ix. *n. 18.*

ET per nos quidem, fidéles ad sanctum baptísma véniunt, nostris précibus benedicúntur, & per impositiónem nostrárum mánuum à Deo Spíritum Sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum cœlórum pertíngunt, & ecce nos per negligéntiam nostram deórsum téndimus. Ingrediúntur elécti, sacerdótum mánibus expiáti, cœléstem pátriam; & sacerdótes ipsi per vitam réprobam ad inférni supplícia festínant. Cui ergo rei, cui símiles díxerim sacerdótes malos, nisi aquæ baptísmatis, quæ peccáta baptizatórum díluens, illos ad regnum cœléste mittit, & ipsa pósteà in clóacas descéndit? Timeámus hæc, fratres: convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum.

DIE IV.

DE OCTAVA Ss. SIXTI & SINICII.

Omnia de die ritu simplici, exceptis quæ sequuntur; & sic quoties fit de Octava.

Lectio tertia de die IV. intra Octavam de Communi Lectionum pag. *xcvij.*

CANON de Feria occurrente.

Dominicâ occurrente intra Octavam vel die Octavâ, fit de Dominica, de Octava verò commemoratio tantùm post Laudes & Vesperas.

DIE V.

DE OCTAVA.

Lectio tertia de die V. intra Octavam de Communi Lectionum pag. *xcviij.*

Vesperæ de sequenti.

Commemor. de Octava.

Die vi.

In Festo

SS. VIVENTII ET REOLI ARCHIEPISC. REMENS.

Semiduplex - minus.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix.*

Oratio Deus, qui nos concédis *pag.* xxiv. *ibid.*

Ex Flodoardo & aliis.

Lectio ij. De S. Viventio.

VIvéntius tam felíciter ab adolescéntia fuit educátus, ut spretis ómnibus hujus mundi illécebris, totum se religióni christiánæ déderit. Hujus sanctitátis tanta fuit fama, ut post óbitum sancti Donatiáni Archiepíscopi Reménsis, ómnium votis & acclamatióne in ejus locum assúmptus fúerit. Gregem sibi commíssum tam sanctè, tamque diligénter pavit, ut veri pastóris nomen sortítus fúerit. Eo metrópolim Reménsem felíciter gubernánte, Morinénses, qui fidei lucem, sanctórum Fusciáni & Victórici prædicatiónibus recéperant, ad gentilitátis calígines & superstitiósos ritus revérsi, stúdio Victrícii Rotomagénsis Epíscopi íterum ad fidem revocáti sunt. Tandem Vivéntius vitæ suæ cursu felíciter peráćto, migrávit ad Dóminum, non sine magno cívium fletu & dolóre. Corpus ejus in basílica sancti Agrícolæ sepúltum est, ubi plúribus cláruit miráculis. Succéssu témporis Ebbo Reménsis Antístes, sacra Vivéntii ossa in ædem sancto Petro sacram in Braquénsi Oppido ad Arduénnam sylvam, juxta Mosam flúvium, magnâ devotióne tránstulit. Quam ecclésiam multis dotávit munéribus Ebbónis succéssor Hincmárus, in eáque collégium Canonicórum instítuit, quibus præbéndas assignávit.

Ex variis scriptoribus.

Lectio iij. De S. Reolo.

REolus quem álii Regulum vocant, regnántibus in Gállia Childérico & Theodórico sedem Reménsem occupávit; ad quam ómnium votis, tum propter ánimi celsitúdinem & præclára mérita, tum propter stirpis eminéntiam assúmptus est post sancti Nivárdi óbi-

tum. Factus Epíscopus totum se rebus ecclésiæ suæ promovéndis impéndit, & tam hæreditáriis quàm emptítiis Episcópium auxit. Anno sexcentésimo septuagésimo quinto Bélgium lustrans, Vindiciánum à Cameracénsibus eléctum Epíscopum consecrávit, novam Elnonénsis cœnóbii ecclésiam, comitántibus áliquot Epíscopis, dedicávit, subscripsítque testaménto sancti Amándi. Adfuit Concílio apud Rotómagum convocáto sub Ausbérto Epíscopo, in quo mónachis permíssum est, ex semetípsis secúndùm sancti Benedícti régulam, Abbátem elígere. Illústrium sui ævi Præsulum, qui suis expénsis monastéria certátim extrúxerant, munificéntiam æmulátus Réolus, Orbacénse cóndidit in loco quem dono Theodórici regis, suffragánte Ebroíno Majóre Palátii, suscéperat. Tandem post vigínti sex regíminis annos, post multos labóres & ærúmnas difficíllimis tempóribus quibus Majóres palátii principátum ambiébant, ad ætérnæ quiétis portum evolávit Réolus, séptimâ Septémbris anni sexcentésimi nonagésimi quinti. Corpus sancti Præsulis, ut ipse jússerat, in ecclésia Orbacénsi sepultúræ mandátum tráditur, ibíque sacræ ejus asservántur Relíquiæ. Tradunt álii in ecclésiam sancti Remígii honorificentíssimè deportátum, ibíque sepultúram obtinuísse.

DIE VII.

OCTAVA

SS. SIXTI & SINICII

PER ANTICIPATIONEM.

Semiduplex minus.

Omnia de die exceptis quæ sequuntur.

Ex enarrat. S. Augustini super Psalmos. In Psal. 96. num. 2.

Lectio ij.


CŒpit fervére per Judæam Ecclésia Christi, ubi ferbúerat oppróbrium Christi. Sed quia díxerat ipse: hábeo álias oves quæ non sunt de hoc ovíli, opórtet me & eas addúcere, ut fit unus grex & unus pastor, étiam ad gentes, ad quas Prophétæ missi non erant, Apóstoli missi sunt. Quæsiti sunt qui non quæsierant: invénti sunt qui

nihil expectábant: quem non tenébant Deum pollicitatórem, invenérunt redemptórem. Jam enim Judæi tenébant Deum pollicitatórem, quia ibi Prophétæ Christum prædicáverant, ibi Christum promíserant: sed quem promissum audíerant, præséntem non agnóverant. Illis autem promissum nihil erat: sed tamen in Prophétis étiam de fide ipsórum dictum erat. Non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis, Missum est & ad illos: & audistis ex dispensatióne Dei.

Ex enarrat. S. Augustini super Psalmos. Ser. 22. de 3. ℣. Psalm. 67.

Lectio iij.

QUando dicebátur Ecclésia Christi futúra per totum orbem terrárum, dicebátur à paucis, & videbátur à multis. Modò jam implétum est quod tantò ante prædíctum est. Diffúsa est Ecclésia per totum orbem terrárum. Ante míllia annórum promissum est Abrahæ: In sémine tuo benedicéntur omnes gentes. Venit Christus ex sémine Abrahæ: benedíctæ sunt in christo jam omnes gentes: Prædíctæ sunt persecutiónes, factæ sunt à régibus coléntibus idóla. Pro idólis advérsùs nomen Christi repléta est omnis terra martyribus. Sparsum est semen sánguinis, surréxit seges Ecclésiæ. Nec frustrà orávit Ecclésia pro inimícis suis: credidérunt & qui persequebántur. Prædíctum est étiam quia ipsa idóla everténda essent per nomen Christi: nam & hoc invenímus in scriptúris. Christiáni illa legébant & non futúra illa vidébant; adhuc frustrà illa expectábant & sic abiérunt: non illa vidérunt, sed tamen credéntes quod futúra essent, cum fide abiérunt ad Dóminum. Nostris tempóribus étiam ipsa cernúntur. Omnia quæ ante prædícta sunt de Ecclésia vidémus impléta, quantùm est quod rémanet, ad ea quæ jam nobis exhíbita vidémus? tam plura Deus osténdit, & de resíduo nos fraudáturus est? veniet judícium redditúrum pro méritis, bonis bona, malis mala. Boni simus, & secúri júdicem expectémus.



DIE VIII.

IN NATIVITATE

B. MARIÆ VIRGINIS.

Solemne-majus.



IN I. VESPERIS

Psalmi de Officio Parvo.

Ant. 6. ECce dies véniunt, dicit Dóminus, & suscitábo verbum bonum quod locútus sum ad domum Israël. *Jerem.* 33.

Ant. 3. Oriétur stella ex Jacob, & consúrget Virga de Israël. *Num.* 24.

Ant. 1. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. *Is.* 11.

Ant. 4. Erit radix Jesse, & qui exúrget régere gentes: in eum gentes sperábunt. *Rom.* 15.

Ant. 5. In diébus illis salvábitur Juda, & Israël habitábit confidénter. *Jer.* 23.

Capitulum Apoc. 21.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis; & ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Benedícam ei, & * Ex illa dabo filium cui benedictúrus sum; constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum.

℣. Páriet María filium; ipse salvũ fáciet pópulum suum. * Ex illa. Glória. * Ex illa. *Gen.* 17. *Matth.* 1.

HYMNUS

VATUM patent orácula,
Promíssa priscis Pátribus:

En Virgo, quæ gravis
Deo,
Nobis parem parit Deum.
Toto quid orbe par
fuit,
Virgo parens, homo
Deus?
Quo náscitur partu puer,
Hoc náscitur mundi salus.
Ut nocte caligántibus
Cœléste lumen témperet,
Velo tegi vult córporis:
Hoc, Virgo, velum præ-
paras.
Quod prima mater
pérdidit,
Mater reformas áltera:
Mors ipsa nobis prófuit,
Dum vita per te réddi-
tur.
Per te Deo conjún-
gimur,
Cui corpus aptásti parens:
Per te Dei nos filii,
Per te Dei fratres sumus.
Tu dux Olympi præ-
via,
Clausas diu pandis fores:
Nos éxules, si nos amas,
Reddas patérnis sédibus.
Sit laus Patri, laus
filio,
Par sit tibi laus, Spíri-
tus,
Per quem sacrâ, se filius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum: ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Allelúia allel. allel. *Ps.* 131.

Ad Magníficat

Ant. 1. Magnificábo nomen tuum: benedícam benedicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. Allelúia. *Genes.* 12.

Oratio ut infra ad Laud.

Ad Completorium *omnia ut in Dominica.*

Hymnus Virgo Dei génitrix *pag.* 42.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Deum cui præparátur habitátio, * Venite, adorémus. 1. *Paral.* 29.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Psalmi de Officio Parvo.

Ant. 4. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi, & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. *Exod.* 3.

Ant. 8. Cùm virgas posuísset Móyses coram Dómino, invénit germinásse virgam Aáron. *Num.* 17.

Ant. 5. Abscíssus est lapis de monte sine mánibus; lapis autem factus est mons

magnus, & implévit univérsam terram. *Dan.* 2.

℣. Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : ℟. Etenim Dóminus habitábit in finem. Allelúia, allel. allel. *Ps.* 67.

De Isaïa Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis : & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndùm visiónem oculórum judicábit, neque secúndùm audítum áurium árguet, sed judicábit in justítia páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórum suórum interficiet ímpium: & erit justítia cíngulum lumbórum ejus; & fides cinctórium renum ejus.

℟. Noli timére, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo : * Ego Dóminus Deus tuus. ℣. Dóminus tecum : ne tímeas; invenísti enim grátiam apud Deum. * Ego. Glória. * Ego. *Is.* 43. *Luc.* 1.

Lectio ij.

IN die illa, radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, & erit sepúlcrum ejus gloriósum. Et erit in die illa: Adjíciet Dóminus secúndò manum suam ad possidéndum resíduum pópuli sui, quod relinquétur ab Assyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiópia, & ab Ælam, & à Sénnaar, & ab Emath, & ab ínsulis maris. Et levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israël, & dispérsos Juda cólliget à quátuor plagis terræ.

℟. Hæc dicit Dóminus, fáciens & formans te ab útero : * Effúndam Spíritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam. ℣. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.* Effúndam. Glória. *Effúndam. *Is.* 44. *Luc.* 1.

Lectio iij. *Cap.* 14.

PRope est ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Ja-

cob, & éliget adhuc de Iſraël, & requiéſcere eos fáciet ſuper humum ſuam: adjungétur ádvena ad eos, & adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum ſuum; & poſſidébit eos domus Iſraël ſuper terram Dómini in ſervos & ancillas: & erunt capiéntes eos qui ſe cœperant, & ſubjícient exactóres ſuos.

℞. Benedícam tibi, complens juraméntum quod ſpopóndi Abraham patri tuo: * Et † Benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. * Et. Glória † Benedicéntur. *Gen.* 26. *Luc.* 1.

IN II. NOCTURNO

Ant. 1. Ros in ſolo véllere fuit, & in omni terra síccitas. *Judic.* 6.

Ant. 8. Ecce nubécula parva quaſi veſtígium hóminis aſcendébat de mari, & facta eſt plúvia grandis. 3. *Reg.* 18.

Ant. 6. Fons parvus crevit in flúvium: lux & ſol ortus eſt, & húmiles exaltáti ſunt. *Eſther.* 11.

℣. Deſcéndet Dóminus ſicut plúvia in vellus, ℞. Et ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram. Allelúia, allel. allel. *Pſ.* 71.

Sermo Sancti Joánnis Damaſcéni.

In Nativ. B. Mariæ V.

Lectio iv.

ADéſte, gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujúſvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis univérſi. Lætítiæ natálem lætis ánimis celebrémus: Dei Genitrícis natálē complectámur, per quem mortálium genus redintegrátum eſt, per quam primigéniæ matris Evæ mœror in lætítiam mutátus eſt. Etenim illa per divínam ſenténtiam hoc audívit: in dolóre páries líberos; hæc, Ave, grátiâ plena: illa, Ad virum convérſio tua; hæc, Dóminus tecum.

℞. Exultáte in lætítia, Jacob: perſonáte, & cánite, quia creávit Dóminus novum ſuper terram: * Fœmina circúmdabit virum. ℣. Sacraméntum abſcónditum à ſæculis in Deo qui ómnia creávit. * Fœmina. Glória. * Fœmina. *Jerem.* 31. *Epheſ.* 3.

Lectio v.

QUid autem quod Virgo mater orta sit ex stérili? Quia scílicet oportébat ut ad id quod solùm sub sole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula sterneretur, ac paulátim ab humilióribus ad sublimióra progréssus fieret; quanquàm ália quoque áltior ac divínior rátio à me afférri potest. Etenim natúra grátiæ cedit, statque subtrémula, non sústinens prógredi. Quóniam itaque futúrum erat ut Dei Génitrix Virgo ex Anna nasceretur, natúra grátiæ fœtum antevértere minimè ausa est, sed mansit infructuósa, dum grátia fructum edidisset.

℟. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: justítia & pax osculátæ sunt: * Etenim † Dóminus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. ℣. Propósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt. * Etenim. Glória. † Dóminus. *Psalm.* 84. *Ephes.* 1.

Lectio vj.

HOdie stériles portæ aperiúntur, & virginea ac divína jánua prodit, ex qua & per quam Deus qui rebus ómnibus supérior est, in orbem terrárum corporáliter introívit. Hódie de radice Jesse virga orta est, ex qua mundo flos divinitùs exístens ascéndit. Hódie ex terréna natúra cœlum in terra ille cóndidit, qui olim firmaméntum ex aquis finxerat, atque in altum extúlerat. Ac sanè hoc illo longè divínius est. Nam qui in illo condíderat solem, ex hoc ipse justítiæ Sol ortus est.

℟. Ego sum, * Ego sum quæ Dómino canam: Cessavérunt fortes, donec súrgeret mater in Israël. ℣. Ubi venit plenitúdo temporis, misit Deus Fílium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret. * Ego. Glória. * Ego. *Judic.* 5. *Gal.* 4.

IN III. NOCTURNO

Ant. 1. Sicut lílium inter spinas, sic amica mea inter fílias. *Cant.* 2.

Ant. 1. Sicut lux auró-

oriénte sole, manè
e núbibus rútilat. 2.
23.
it. 4. Tota pulcra
c mácula non est in
ant. 4.
Adjuvábit eam Deus
dilúculo.
Deus in médio ejus,
commovébitur. All.
ll. *Ps.* 45.
io sancti Evangélii
índùm Matthæum.
io vij. Cap. 1.
ber generatiónis Je-
a Christi filii David,
Abraham. Abraham
t Isaac, Isaac autem
t Jacob. Et réliqua.
ília Sancti Bernárdi
Abbátis.
de 12. Prærog. B.
ariæ V. num. 8.
Uid micat in gene-
ratióne Maríæ? Pla-
iòd ex régibus orta,
ex sémine Abrahæ,
génerósa ex stirpe
d. Si id parum vidé-
adde quòd genera-
illi ob singuláre pri-
ium sanctitátis diví-
nóscitur esse concés-
quòd longè ante eís-
pátribus cœlitùs re-
íssa; quòd mysticis
guráta miráculis;
oráculis prænuntiáta
néticis. Hanc enim

sacerdotális virga, dum si-
ne radíce flóruit; hanc
Gedeónis vellus, dum in
médio siccæ áreæ máduit;
hanc in Ezechiélis visióne
Orientális porta quæ nulli
unquàm pátuit, præsigná-
bat.

℟. Erúmpet quasi ma-
nè lumen tuum, * Et im-
plébit Dóminus splendó-
ribus ánimam tuam, &
erit quasi hortus irríguus,
& sicut fons aquárum,
cujus non deficient aquæ.

℣. Inveniśti grátiam
apud Deum. * Et implé-
bit. Glória. * Et implébit.
Is. 58. *Luc.* 1.

Lectio viij.

Hanc dénique præ cæ-
teris Isaías, nunc vir-
gam de radíce Jesse oritú-
ram promittébat; nunc e-
vidéntiùs Vírginem paritú-
ram. Méritò signum hoc
magnum in cœlo appa-
ruisse scríbitur, quòd tan-
tò ante de cœlo nóscitur
fuisse promíssum. Dómi-
nus ait: Ipse dabit vobis
signum: Ecce Virgo con-
cípiet. Magnum proféctò
signum dedit, quia & ma-
gnus qui dedit. Hujus er-
go prærogatívæ fulgor
quorum non veheménter
revérberat áciem oculó-
rum?

℟. Una est perfécta mea, * Vidérunt eam filiæ & beatíssimam prædicavérunt, regínæ laudavérunt eam. ℣. In médio ejus lignum vitæ ásferens fructus, omne maledíctum non erit ámpliùs, sed sedes Dei & agni in illa erunt. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Cant.* 6. *Apoc.* 22.

Lectio ix. *Num.* 9.

NIhilóminùs fulget étiam novus ille conceptiónis modus, ut non in iniquitáte, quemádmodùm cæteræ omnes, sed superveniénte Spíritu Sancto, sola & de sola sanctificatióne María concíperet. Nam quòd verum Deum, & Dei Fílium génuit, ut idem ipse Dei atque hóminis Fílius, unus omnínò Deus & homo prodíret ex María, abyssus est lúminis; nec fácilè díxerim quòd vel angélicus óculus ad hujus fulgóris veheméntiam non calíget. De cætero sanè & virginitátem carnis, & propósitum virginitátis, máximè & ipsíus quoque propósiti nóvitas evidénter illústrat; quòd vidélicet in libertáte spíritûs, legis Mosáïcæ decréta transcéndens, illibátam Deo córporis simul & spíritûs sanctimóniam vovit.

℟. Tu ipse, Dómine Deus, qui elegísti, * Posuísti nomen ejus, & invenísti cor ejus fidéle coram te, & impléfti verba tua, quóniam justus es. ℣. Nomen Vírginis, María. * Posuísti. Glória. * Posuísti 2. *Esdr.* 9. *Luc.* 1.

Te Deum.

AD LAUDES

Psalmi de Dominica & sic ad Horas Parvas.

Ant. 1. QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulcra ut luna, elécta ut sol? *Cant.* 6.

Ant. 5. Quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus. *Osee.* 6.

Ant. 4. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matri suæ, elécta genitríci suæ. *Cant.* 6.

Ant. 6. Lauda.

CANTICUM *Judic.* 5.

AUdite, reges, áuribus percípite, príncipes: * Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israël.

Dómine, cùm exíres de Seïr, * & transíres per regiónes Edom,

Terra mota est, * cœ-

ſque ac nubes diſtillavé-
unt aquis.

Montes fluxérunt à fá-
ie Dómini, * & Sinaï à
ácie Dómini Dei Iſraël.

Ceſſavérunt fortes in Iſ-
aël, & quievérunt, * do-
ıec súrgeret mater in Iſ-
aël.

Nova bella elégit Dó-
ninus, * & portas hóſ-
ium ipſe ſubvértit.

Salvátæ ſunt relíquiæ
ɔópuli: * Dóminus in fór-
ibus dimicávit.

Benedícta inter mulíe-
es: * benedicátur in ta-
ɔernáculo ſuo.

Qui autem díligunt te,
Dómine, * ſicut ſol in ortu
uo ſplendet, ita rútilent.

Et dicitur quoties fit de Oct.

Ant. Lauda & lætáre,
ília, quia ecce habitábo
n médio tuî, ait Dómi-
ıus. *Zach.* 2.

Ant. 8. Gaudébit ſuper
e Dóminus in lætitia, ſi-
ébit in dilectióne ſua, exul-
ábit ſuper te in laude.
Soph. 3.

Capitulum Judith. 13.

LAudáte Dóminum Deum noſtrum, qui
ıon deséruit ſperántes in
e, & in me ancíllâ ſuâ
ıdimplévit miſericórdiam
uam quam promíſit dó-
mui Iſraël.

℣. Sanctificávit taber-
náculum ſuum Altíſſimus:
℟. Deus in médio ejus.
All. all. all. *Pſ.* 45.

Ad Benedictus

Ant. 3. Ex te egrediétur qui ſit dominátor in Iſ-
raël, & egréſſus ejus ab
inítio, à diébus æternitá-
tis, & erit iſte pax. All.
Mich. 5.

Oratio.

DEus qui Verbum tuũ in beátæ Maríæ Vír-
ginis útero incarnári vo-
luíſti, fac nos, quæſumus,
ita Nativitátis ejus ſolém-
nia perágere, ut tibi pla-
cére valeámus. Per eúm-
dem Dóminum.

AD HORAS

In fine Hymn. ejuſdem metri Doxologia ſequens hodie & per totam Octav.

Qui natus es de Vír-
gine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spí-
ritu:
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
An. 1547. *Seſſ. de Juſtific.*
Can. 23.

SI quis hóminem ſemel juſtificátum díxerit poſ-
ſe in tota vita peccáta óm-
nia, étiam veniália, vitá-

re, nisi ex speciáli Dei privilégio, quemádmodùm de beáta Vírgine tenet Ecclésia: anathéma sit.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* De ventre matris meæ, Deus meus es tu. * Allelúia, allelúia.

℣. Spes mea ab ubéribus. * Allel. Glória. De ventre. *Ps.* 21.

℣. Dómine spes mea à juventúte mea.

℟. In te cantátio mea semper. Allel. allel. allel. *Ps.* 70.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *br.* Prope timéntes Dóminum Salutáre ipsius. * Allelúia, allelúia.

℣. Ut inhábitet glória in terra nostra. * Allel. Glória. Propè.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospéxit. Allelúia, allel. allel. *Psal.* 84.

AD NONAM

Capitulum Is. 41.

Elégi te, & non abjéci te; ne tímeas, quia ego tecum sum.

℟. *br.* Pópuli confitebúntur tibi in ætérnum. * Allelúia, allelúia.

℣. Mémores erunt nóminis tui. * Allel. Glória. Pópuli.

℣. Concupíscet rex decórem tuum, ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum. Allel. all. all. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS

Psalmi de Officio Parvo.

Ant. 3. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith.* 13.

Ant. 7. In omni gente quæ audíerit nomen tuū, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.

Ant. 6. Peccávimus Dómino: ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum ut salvet nos. 1. *Reg.* 7.

Ant. 4. Invoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte. *Esther.* 15.

Ant. 1. Propter angústias & tribulatiónem géneris tui, subveníisti ruínæ ante conspéctum Dei tui. *Judith.* 13.

Capitulum de I. Vesperis.

HYMNUS

Aurora, quæ solem paris,

Et ipsa solis filia,
Quàm spléndidum, cùm náſceris,
Affers diem mortálibus!
Te luce sol veſtit suâ,
Tibíque luna ſtérnitur:
Aptáta sacro vértici
Nectunt corónam sydera.
Te mille virtútum chori,
Te turma cingit cœlitum;
Ambit suo te Númine,
Qui te facit matrē Deus.
Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóſtium;
Te sic obumbrátam Deo
Pavent tremúntque tártara.
Qui tabe nos inféceerat
Serpéntis elídis caput;
Attrítus ætérno jacet,
Non jam timéndus, vúlnere.
Fac, Virgo, quem scimus Deum
Veníſſe terris hóſpitem,
Per te manens nobis adhuc,
Noſtri ſit hoſpes péctoris.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Fílius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Vultum tuum deprecabúntur,
℟. Omnes dívites plebis. Allel. all. all. *Pſ.* 44.

Ad Magnificat

Ant. 3. Benedictus Dóminus qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. *Judith.* 13.

Oratio ut ſupra ad Laud.

Completorium *ut in Dominica. Hymnus* Virgo Dei Génitrix *pag.* 42.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
NATIVITATIS.
Semiduplex-minus.

Omnia ut in die exceptis quæ ſequuntur. Pſálmi de Feria occurrente in toto Officio per totam Octavam.

Ad Matutinum novem Pſalmi ſub ſola prima Antiphona è I. Noct. Feſti. ℣. *&* ℟℟℟. *ex Nocturno ſecundum Feriam.* Glória *poſt iij.* ℟. *tantùm. Prima Lectio, Scriptura occurrens ex qua fit una. II. verò & III. ut infra de die intra Octav. occurr.*

Ad Laudes Pſalmi de Feria cum Cantico de Feſto ſub ſola I. Ant. Feſti.

Ad Horas ℟℟℟. *brevia de ſecundo modo: Canon de Feria* occurrente.

AD VESPERAS Psalmi sub sola prima Antiphona è II. Vesperis Festi. Hymnus & Versus ibidem. Capitulum verò è I. Vesp.

AD COMPLETORIUM omnia ut in Feriis. Hymnus Virgo Dei génitrix *p. 42.*

¶ *Si Dominica intra Octavam Nativitatis occurrat, totum Officium fit de Dominica occurrente, incipiendo à Vesp. Sabb. cum commemoratione Nativitatis B. Mariæ Virginis in utrisque Vesperis & Laudibus.*

Ad MATUTINUM ultima Lectio, tertia Lectio de die intra Oct. occurrente.

Si occurrat commemor. alicujus Sancti, tùm vij. Lectio, Evang. Dominicæ cum prima ejus Hom. parte tantùm. VIII. de die intra Octavam occurrente. Ultima de Sancto.

DIE IX.

DE OCTAVA *Nativitatis.*

Sermo Sancti Joánnis Damascéni.

Oratio 1. de Nativit. B. Mariæ Virginis.

Lectio ij.

HOdie mundi salus inchoátur : jubiláte Deo, omnis terra, cantáte & exultáte & psállite, quóniam nobis nata est Dei mater in sancta probática, ex qua Dei Agnus qui mundi peccáta tollit, in lucem edi vóluit. Exultáte, montes, hoc est, ratióne præditæ natúræ, quæque ad spirituális contemplatiónis fastígium assúrgitis : síquidem claríssimus Dei mons páritur, qui collem omnem ac montem, id est, angelórum & hóminum sublimitátem exsúperat, ex quo citra ullam mánuum óperam exscíndi vóluit lapis anguláris, Christus, unâ persónâ distínctas natúras cópulans, divinitátem nimírum & humanitátem : mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo.

Ex Libro octávo Históriæ Ecclesiásticæ Eusébii Cæsariénsis Epíscopi.

De Ss. Petro, Dorotheo & Gorgonio.

Lectio iij.

PRæ ómnibus qui unquàm sive apud Græcos sive apud bárbaros, admiratióne digni, & ob fortitúdinem célebres extitérunt, glorióso atque illústres Dei mártyres ea tempéstas tulit, Dorótheo

cilicet & réliquos cu-
lários púeros, qui ta-
si summi honóris præ-
itivâ ab Imperatóri-
ornáti, probra tamen
pietáte toleráta, &
rsa mortis génera,
óris prétii esse duxé-
, quàm glóriam & de-
s hujus sæculi. Horum
ır unius dúmtaxat hîc
um réferam, ut ex il-
ectóres conjícere pos-
quid réliquis contige-
Prodúctus est in mé-
n quidam illórum co-
ı Diocletiáno & Ma-
iáno; jussúsque diis
ificáre, cùm id per-
citer recusáret, nudá-
cápite sublimis tolli
ecípitur, & verbéribus
ıcídi, quoad tandem
invítus jussis obtém-
áret. Ipsis jam óssibus
ıudátis, commíxtum
acétum tabescéntibus
poris membris infún-
ır: tum in médium af-
ur cratícula & ignis;
eliquiæ córporis ipsíus
e assántur; idque non
ul ac semel, sed pau-
m, ne scilicet céleri é-
a defungerétur. Verùm
victor in ipsis tormén-
ánimam exhalávit, di-
us proféctò suo nómi-
, Petrus *enim ille vo-*
cabátur. Reliquórum verò martyria, nihilo inferióra, brevitátis stúdio hîc omittémus. Id tantùm retulísse sufficiet, quod Dorótheus & Gorgónius unà cum áliis plúribus, qui in palátio ministrábant, post cujúsque modi certámina, elísis láqueo fáucibus, divínæ victóriæ præmium adépti sunt.

Post Laudes *commem. Ss. Petri, Dorothei & Gorgonii Martyrum per Ant.* Beáti *pag.* xvij. *de Comm. plurium Martyrum.*

Oratio.

SAncti tui, Dómine, Petrus, Dorótheus & Gorgónius mártyres sua nos intercessióne tueántur, & misericórdiæ tuæ fáciant accéptos. Per Dóminum.

Die x.

DE OCTAVA *Nativitatis.*

Sermo Sancti Joannis Damascéni.

2. *de Nativ. B. M. V.*

Lectio ij.

SPléndidè hódiè diem festum agit rerum natúra, dum novum cœlum Vírginem áccipit.

Puélla in terris nata est, Regis cœlórum animátus thálamus; juvéncula solis rádios fulgóribus obscúrans; infans ex stérili effúlsit, sacratíssimum Virginitátis sacrárium. Quis ad celebritátem non convéniet. Quis solémnia, Virginíque cara dona non déferet? Munus pulchérrimum iis qui virginitátem colunt, intégritas incorrúpta; nuptis castítas; divítibus erogátio; páuperibus gratiárum áctio; his qui præsunt mansuetúdo; régibus justítia: sacerdótibus sánctitas; cunctis dénique recta in ómnibus institútio. Gratiárum actiónis cántica depromámus; cum Dávide exultémus Dómino, jubilémus Deo Salutári nostro. Omnium Conditóri templum quo excipiátur, extrúctum est, quia Verbo rerum opífici hospítii domus est paráta. David Deiparens, gaude ánimo; Isaía Prophetárum primas, exhilaráre; alter quidem quòd tuis ex lumbis, uti jurátum erat, Regína procédat: alter verò, quòd finem hábeat vaticínium illud tuum, Egrediétur virga de radíce Jesse: & flos de radíce ascéndet.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativ. B. M. V. n. 7.

Lectio iij.

Totis medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, & votis ómnibus Maríam venerémur, quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est; sed pro nobis. In ómnibus síquidem, & per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, Jesum tibi dedit mediatórem. Hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan & in ipso majestátem vereáre divínam, quòd licèt factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis & ad ipsum? Ad Maríam recúrre: pura síquidem humánitas in María, non modò pura ab omni contaminatióne, sed & pura singularitáte natúræ. Nec dúbius dixérim, exaudiétur & ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique matrem Fílius, & exáudiet

áudiet Fílium Pater. Fílio-li, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ.

Die xi.

DE OCTAVA

Nativitatis.

Sermo Sancti Fulbérti Carnoténsis Epíscopi.

2. de Nativ. B. M. V.

Lectio ij.

INter omnes sanctos, memória beatíssimæ Vírginis eò frequéntiùs ágitur atque festíviùs, quò majórem grátiam apud Dóminum créditur invenísse; nata est ígitur Beatíssima Virgo, patre Nazaréno, matre Bethleemíta, quas urbes Christi nativitáti vel conversatióni destinátas esse Prophétæ non tacúerant. Descéndit autem ab radíce illíus fide præclári Abrahæ, cui supérnè promíssa fúerat benedíctio ómnium géntium in sémine suo, & ab stirpe David, quem Deus propter notam sibi probitátem egrégiâ laude sublimávit, dicens: Invéni virum secúndùm cor meum. De regáli nempè tribu simul & sacerdotáli duxit oríginem: quæ summum Regem atque Pontíficem erat paritúra. Non tamen idcircò dixérimus, quòd Dóminus qui peccatóres vocáre venit, dedignátus sit matrem suam peccatóres habére cognátos: inter quos speciósa velut inter spinas lílium apparéret. Hæc ítaque eléćta atque insígnis inter filias, non fortúito quidem, aut solo plácito paréntum, ut pleríque, sed divínâ dispensatióne nomen accépit; ita ut ipsa, quoque vocábuli sui figúra magnum quiddam innúeret: interpretátur enim maris stella.

Sermo beáti Petri Damiáni.

2. in Nativ. B. M. V.

Lectio iij.

NAtívitas beatíssimæ & intemerátæ Genitrícis Dei, fratres caríssimi, méritò præcípuum & singuláre præbet homínibus gáudium, quæ totíus éxtitit humánæ salútis exórdium. Exultémus ígitur in hac die, caríssimi, in quâ dū beatíssimæ venerámur Vírginis ortum, cunctárum étiam novi testaménti festivitátum celebrámus inítium. Exultémus, in-

quam in hac die præcípua, & totis viscéribus in Dómino delectémur, in qua dum redemptóris nostri recólimus matrem, reliquárum festivitátum celebrámus oríginem. Quæ enim cunctis solemnitátibus est antíquior témpore, nequáquam esse debet inférior dignitáte. Nam si Sálomon cum Israëlítico pópulo in dedicatióne templi ex lapídibus facti, tam copiósum & magníficum sacrificiū solémniter celebrávit; quale quantúmque gáudiū beátæ Maríæ Nativitas pópulo Christiáno debet afférre, in cujus úterum, velut revérà sacratíssimum templum, Deus ipse descéndens, & humánam natúram ex ea suscípere, & cum homínibus dignátus est visibíliter habitáre?

Die xii.

DE OCTAVA

Nativitatis.

Sermo Sancti Andréæ Creténsis Epíscopi.

Serm. 1. de Nativit. B. Mariæ V. Lectio ij.

PRæsens nobis solémnitas festórum inítium est. Natalítia celébritas est, ac géneris nostri reformátio. Jam enim Virgo náscitur, lactátur ac formátur, omniúmque sæculórum Deo mater Virgo præparátur. Omnia ígitur exúltent hódiè, ac sáliat natúra. Lætétur cœlum désuper & nubes spargant justítiam. Stillent montes dulcédinem; & colles exultatiónem, quóniam misértus est Dóminus pópuli sui, erexítque cornu salútis in domo David púeri sui; nempe immaculatíssimam hanc, ex qua Christus salus & expectátio géntium. Una hódiè cœléstium terrestriúmque sit commúnis festívitas.

Sermo Sancti Lauréntii Justiniáni Epíscopi.

In Natal. glor. Virg. Lectio iij.

BEátæ Vírginis, cujus natalítius dies hódiè in univérsa Christi celebrátur Ecclésia, excelléntia fulget. Hinc laudis ipsíus holocaústum commendátur: sanctificatiónis quidem privilégio, virtútum méritis, virginitátis honóre, prolis fœcunditáte, humilitátis decóre, atque donórum plenitúdine mortáles su-

perémìnet univérsos. Omnium quippe reférta cúmulo gratiárum, cunctis in se Deum fecit esse laudábilem. Quis Deum non honóret in Vírgine, qui Vírginem Dei vóluit fieri Genitrícem, reparatrícem sæculi, lucem mundi, spéculum sanctitátis, fidei magistérium, peregrinatiónis solátium, immaculátum templum, & fœderis arcam divínis mánibus fabricátam? In ejus ortu lætáti sunt cœli, decantavérunt ángeli laudes Deo, promulgáta est pax; humánæ speciéi cœpit aboléri oppróbrium; atque fugátis ténebris quæ totum occupáverant orbem, rádios suos rútilans auróra perfúdit. Solis quippe justítiæ ut cumque irradiáta fulgóre, plácidum in se aspiciéntibus præbébat afféctum.

Post Vesperas *commemoratio S. Maurilii Episcopi per Ant.* Elégit ipsum *pag.* xj. *Oratio* Deus, qui pópulis *pag.* xxiv. *de Communi Ss. Pontificum.*



Die XIII.

DE OCTAVA *Nativitatis.*

Sermo S. Petri Damiáni.
Homil. 46. in Nativit. B. Mariæ Virginis.

Lectio ij.

Audístis, fratres caríssimi, in genealógia beatíssimæ Genitrícis Dei, reparatiónis humánæ mystériũ. Audístis quia Creátor angelórũ dignátus est propagári de stirpe mortálium. Audístis quia proávos habére dignátus est in terris, qui fons & origo ómnium rerum cuncta gubérnat in cœlis. Ait enim beátus Evangelísta: Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Hinc fratres, hinc rogo, perpéndite, quibus láudibus digna sit beáta & gloriósa Virgo María, quæ illũ nobis de castíssimis suis viscéribus génuit, qui nos de tam profúndo gútture avidíssimi dracónis erípuit. Quid mirum, si hæc tam ineffábilis Virgo in suis láudibus modum humánæ vocis exúperat, cùm & ipsam humáni géneris natúram excelléntium me-

ritórum dignitáte transcéndat; Quid enim sanctitátis? Quid justítiæ? Quid religiónis? Quid perfectiónis, singulári huic Vírgini deésse pótuit, quæ totíus divínæ grátiæ charísmate plena fuit? sic namque ab ángelo, dum salutarétur, audívit, Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum. Quod, rogo, vítium in ejus mente, vel córpore vindicáre sibi pótuit locum, quæ ad instar cœli, plenitúdinis totíus divinitátis méruit esse sacrárium.

Ex Surio & Usuardo.

De Sancto Maurilio.

Lectio iij.

MAurílius Medioláni, honéstis paréntibus natus, & ab iis piè educátus, relíctâ pátriâ, secéssit in solitúdinem, ut libériùs Deo servíret. Beáto Martíno Turonénsi Epíscopo pósteà adhæsit, eúmque præceptórem hábuit. A sancto Ambrósio ad offícium Lectóris ordinátus, à sancto Martíno sacérdos inaugurátus est; post cujus óbitum, Andégavos petens, Calonnénsis ecclésiæ Rector fuit. Andegavénsibus Epíscopo destitútis, Maurílius, óperam dante Bríctio Turonénsi Metropolitáno, ad eam sedem evéctus est, licèt invítus. Ab exórdio sui Episcopátûs usque ad finem vitæ, ut canónicam impléret senténtiam, semper hábuit victum páuperem, aquam brevem, & supelléctilem vilem. Austéram licèt dúceret vitam, nil tamen ejus suavitáte jucúndius. Sermo ejus erat silens, & siléntium loquens; ádeò in ómnibus servábat temperántiam.

Post LAUDES *commemoratio Sancti Maurilii Episcopi per Ant.* Ego sum óstium. *Oratio* Deus, qui pópulis *pag.* xxiv. *de Communi Ss. Pontificum.*

DIE XIV.

In Festo

EXALTATIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Duplex-majus.

In Ecclesia Metropolitana

Solemne-minus.

IN I. VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Is. 49.

ECce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum: &

ſciet omnis caro quia ego ſalvans te, & Redémptor tuus fortis, Jacob.

℟. Omnes habitatóres orbis, qui morámini in terra, * Cùm elevátum fúerit ſignum in móntibus, vidébitis, & † Deferétur munus Dómino ad montem Sion. ℣. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoſcétis quia ego ſum.* Cùm elevátum. Glória. † Deferétur. *Iſ.* 18. *Joan.* 8.

HYMNUS

CRUX alma, ſalve, Crux venerábilis,
Torrénte Chriſti sánguinis ébria;
Teſtis dolórum, tu ſupréma
Verba Dei moriéntis audis.

TU celſa ſedes, unde ſuos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphántis, tribúnal
Júdicis, atque litántis ara.

NON rapta cæſis hóſtibus ímpia
Hic arma fulgent; nec dómiti duces
Graves caténis, hìc trahúntur:
Nobílior Crucis eſt triúmphus.

ORBIS redémpti quália pígnora!
Crux tincta Chriſti sánguine adhuc madet;
Speráte, mortáles: ſalútem
Plena necis monuménta præſtant.

CRUX, certa cœli sémita, quæ Patris
Tronum peténti pandis iter Deo;
Nunc álterâ nobis nefas eſt
Ire viâ malè delicátos.

LAUS ſumma Patri, qui creat ómnia;
Natóque, mundum qui réparat Cruce;
Qui cuncta replet, ſumma Sancto
Spirítui: Tribus una ſemper. Amen.

℣. De torrénte in via bibet: ℟. Proptéreà exaltábit caput. *Pſ.* 109.

Ad Magníficat

Ant. 2. Si poſúerit pro peccáto ánimam ſuam, juſtificábit ipſe juſtus multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſ.* 53.

Oratio ut infra ad Laud.

Commemoratio Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

AD MATUTINUM

Invitator. Jesum quem Príncipem & Salvatórem exaltávit Deus, * Veníte, adorémus. *Act.* 5.

Psalm. Venite. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Ab inítio cùm perírent supérbi gigántes, spes orbis terrárum, ad ratem confúgiens, remísit sæculo semen nativitátis. *Sap.* 14.

Ant. 2. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubérnans. *Sap.* 10.

Ant. 3. Benedíctum est lignum, per quod fit justítia. *Sap.* 14.

℣. Deus Rex noster ante sæcula, ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre, * Transeúntes mare hómines exíguo ligno liberáti sunt.

℣. Quia complácuit per Christum reconciliáre ómnia, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. * Transeúntes. *Sap.* 14. *Colos.* 1.

℟. *ij.* Duxit Abraham fílium suum secū, & ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus, ut immoláret eum: * Ligna quoque holocáusti impósuit, & pósuit eum in altáre.

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. * Ligna. *Genes.* 22. *Rom.* 8.

℟. *iij.* De sánguine agni ponent fílii Israël super utrúmque postem & in superliminláribus domórum: * Erit autem sanguis vobis in signum, † Nec erit in vobis plaga dispérdens. ℣. Redémpti estis pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi. * Erit. Glória. † Nec. *Exod.* 12. 1. *Petr.* 1.

IN II. NOCTURNO

Ant. 2. Dóminus osténdit Móysi lignum: quod cùm misísset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. *Exod.* 15.

Ant. 7. Nonne á ligno indulcáta est aqua amára? & dedit homínibus sciéntiam Altíssimus, honorá-

ri in mirabílibus suis? *Eccli.* 38.

Ant. 4. In hoc ostendísti inimícis nostris, quia tu es qui líberas ab omni malo. *Sap.* 16.

℣. In te speravérunt patres nostri, Dómine:

℟. Speravérunt, & liberásti eos. *Psal.* 21.

Ex Theophanis Annal. & Paulo Diac. de Histor. Miscell. & aliis.

Lectio iv.

Chósroës Persárum rex, extrémis Phocæ tempóribus, Ægypto & Africâ occupátis, ac Jerosólymâ captâ, multísque ibi Christianórum míllibus partim cæsis, partim in captivitátem cum Zacharía Patriárcha abdúctis, Crucem étiam Dómini quam Heléna in monte Calváriæ collocárat, in Pérsidem asportávit, anno Dómini sexcentésimo décimo quarto. Heráclius, qui jam ab annis quátuor Phocæ succésserat, étiam per sequéntes annos multis belli incómmodis & calamitátibus afféctus, pacem bis à Chósroa pétiit; sed hanc ille pertináciter utrâque vice denegávit, nisi, Crucifixo abnegáto, sol adoraré tur à Románis. Quam impietátem detestátus Heráclius, imploráto Dei auxílio, bellum quasi sacrum suscépit, militésque ad martyrium hortátus, signa cum hoste cóntulit. Post diutúrnum bellum, anno demum sexcentésimo vigésimo séptimo exeúnte, Persas ingénti prælio superávit.

℟. Pugnávit Jósuë contra Amalec: cùmque leváret Móyses manus, vincébat Israël; Aáron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utráque parte. * Et dixit Dóminus: Delébo memóriam Amalec. ℣. Preces supplicationésque cum lácrymis ófferens Christus, exaudítus est, & factus est obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ. * Et. *Exod.* 17. *Hebr.* 5.

Lectio v.

Victus ígitur Chósroës, in fuga, quâ trajícere Tigrim parábat, Medársen filium, regni sócium desígnat. Quam contuméliam cùm Síroës Chósroæ major natu filius ægrè ferret, patre simul & fratre interémptis, regno Persárum potítus est, pacémque cum Heráclio fe-

cit, quibúſdam accéptis conditiónibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Dómini reſtitúeret. Captívos itaque, imprímis Zacharíam Patriárcham, dimíſit cum ſacris Crucis lignis, quorum thecam argénteam íntegram, illæsáque ſigílla ipſe Patriárcha agnóvit. Igitur Crux ſancta quatuórdecim poſt annos quàm vénerat in Persárum poteſtátem, recépta eſt, & deláta primùm Conſtantinópolim, & anno ſequénti Jerosólymam, ubi in locum príſtinum reſtitúta eſt, poſt peráctas Deo multas de victóriis grátias. Exínde Exaltatiónis ſacræ Crucis feſtívitas, quæ hâc die quotánnis agebátur, celébrior habéri cœpit.

℟. Fugávit Jóſuë Amalec, ædificavítque Móyſes altáre, & vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea, dicens: * Quia manus sólii Dómini erit contra Amalec, à generatióne in generatiónem.

℣. Oſténdit mihi ángelus in médio civitátis lignum vitæ: & omne maledíctum non erit ámpliùs, ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt. * Quia. *Exod.* 17. *Apoc.* 22.

Lectio vj.

HAc eâdem die ſanctus Ludovícus, Francórum rex, anno milléſimo ducentéſimo quadragéſimo primo, partem Domínicæ Crucis, qui in Syria título pígnoris apud Templários mílites remánſerat, à Balduíno Oriéntis Imperatóre, accéptam cum ália non módica portióne, ex qua Imperatóres Eccléſiis & amícis dare conſuéverant, item ália multa Domínicæ paſſiónis inſtruménta, Paríſios, præcedénte Clero, ſolémniter tránſtulit. Tunc Rex piiſſimus magnum exhíbuit Chriſtiánæ pietátis arguméntum, cùm abjéctis véſtibus régiis, & pedes nudátus, in urbem íntulit inſtruméntum, quo mundi prétium perſolútum eſt. Demum conſtrúctâ in régio palátio magnificâ capéllâ, ſacro-ſancta redemptiónis noſtræ insígnia religiósè in ea aſſervári vóluit. In eccléſia Reménſi plures aſſervántur & religiósè colúntur vitális Ligni partículæ, quarum quæ notabílior eſt, in Cruce ex auro lapídibus pretióſis radiánte inclúditur,

térdum in supplica-
ous desértur. Altera
ice argénteâ inclúsa,
bet Fériâ sextâ pópu-
oránda & exosculán-
hibétur à sacerdóte.
& ália insígnis ádmo-
lipsanothéca argén-
Salvatóris passiónem
séntans, ex dono Cá-
Cardinális à Lotha-
, quæ & frustum
ssæ Crucis, & plures
melióris notæ cónti-
líquias. Ejúsdem the-
portiúnculis ditántur
s Diœcésis ecclésiæ,
ríssimum fit quod ha-
anctus Paulínus epís-
d Sevérum: Crux in
ia insensáta vim vi-
enens, ita innúmeris
die hóminum votis
n suum comméndat,
triménta non séntiat
die divíduam suméń-
, & semper totam
ántibus.
Benedíxit rex pópu-
nómine Dómini e-
uum, dixítque: An-
óminum vílior fiam
iàm factus sum, &
imilis in óculis meis,
lorióśior apparébo.
Mihi absit gloriári,
Cruce Dómini nos-
u Christi. * Et glo-
r. Glória. * Et glo-
riósior. 2. *Reg.* 6. *Gal.* 6.

IN III. NOCTURNO

Ant. 4. Mórsibus colubrórum exterminabántur, sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habéntes salútis. *Sap.* 16.

Ant. 5. Qui convérsus est, non per hoc quod vidébat, sanabátur, sed per te ómnium Salvatórem. *Sap.* 16.

Ant. 6. Neque herba malígna sanávit eos, sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia. *Sap.* 16.

℣. Misit Verbum suum, & sanávit eos:

℟. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. *Psalm.* 106.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórum: Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; & ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípsum. Et réliqua.

Homília Sancti Leónis Papæ.

Ser. 57. *c.* 6. *de Pass. Domi.*

EXaltáto, dilectíssimi, per Crucem Christo,

Ex-

non illa tantùm spécies aspéctui mentis occúrrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifíxo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habéntes timórem: non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terrâque radiántem, puro ac líbero corde suscípiat, & interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus, cùm de passiónis suæ loquerétur instántiâ, dixit: Nunc judícium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; & ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad me.

℟. Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; * Et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípsum. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac serpéntem æneum, & pone eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum, vivet. * Et ego. *Joan.* 12. *Num.* 21.

Lectio viij. *Cap.* 7.

O Admirábilis poténtia Crucis! ô ineffábilis glória passiónis! in qua & tribúnal Dómini, & judícium mundi, & potéstas est crucifíxi. Traxísti enim, Dómine, ómnia ad te, & cùm expandísses totâ die manus tuas ad pópulum non credéntem & contradicéntem tibi, confiténdæ majestátis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, cùm in execratiónem Judáici scéleris, unam protulérunt ómnia eleménta senténtiam, cùm obscurátis luminaribus cœli, & convérso in noctem die, terra quoque mótibus quaterétur insólitis, universáque creatúra impiórum úsui se negáret. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, quóniam, scisso templi velo, sancta sanctórum ab indígnis pontifícibus recessérunt, ut figúra in veritátem, prophétia in manifestatiónem, & lex in Evangélium verterétur.

℟. In similitúdinem hóminum factus Christus Je-

ſus, * Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltávit illum. ℣. Dicite in natiónibus quia Dóminus regnávit à ligno. * Humiliávit. *Philip.* 2. *Pſalm.* 95.

Lectio ix.

TRaxíſti, Dómine, ómnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbrátis ſignificatiónibus tegebátur, pleno apertóque ſacraménto, univerſárum ubique natiónum devótio celebráret. Nunc étenim & ordo clárior levitárum, & dígnitas ámplior ſeniórum, & ſacrátior eſt únctio ſacerdótum, quia crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium eſt cauſa gratiárum; per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium ſacrificiórum varietáte ceſſánte, omnes differéntias hoſtiárum una córporis & ſánguinis tui implet oblátio; quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; & ita in te univérſa pérficis myſtéria, ut ſicut unum eſt pro omni víctima ſacrifícium, ita unum de omni gente ſit regnum.

℟. In médio civitátis ſanctæ Jerúſalem lignum vitæ, & fólia ligni ad ſanitátem géntium, * Et † Omne maledíctum non erit ámpliùs. ℣. Laudábunt ligna ſaltus coram Dómino. * Et. Glória. †Omne. *Apoc.* 22. 1. *Par.* 16. Te Deum.

AD LAUDES

Ant. 1. LEvábit Dóminus ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſrael, & diſpérſos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. *Iſ.* 11.

Ant. 4. In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, & erit ſepúlcrum ejus glorióſum. *Iſ.* 11.

Ant. 7. Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, & reſurréxit tértia die ſecúndùm Scriptúras. 1. *Cor.* 15.

Ant. 6. Commméndat caritátem ſuam Deus in nobis; quóniam juſtificáti in ſánguine Chriſti, ſalvi érimus ab ira per ipſum. *Rom.* 5.

Ant. 3. Semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta; secúndò sine peccáto apparébit expectántibus se, in salútem. *Hebr.* 9.

Capitulum 1. Cor. 1.

PRædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem & Dei sapiéntiam.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi:

℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

Ad Benedíctus

Ant. 7. Parébit signum Fílii hóminis in cœlo; & tunc plangent omnes tribus terræ, & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa & majestáte. *Matth.* 24.

Oratio

DEus qui nos hodiérnâ die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnuâ solemnitáte lætíficas, præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur. Per eúmdem.

Commemoratio Nativitatis B. Mariæ V.

AD HORAS.

In fine Hymnorum Doxologia sequens

QUI per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriúsque Spíritus. Amen.

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio ibid.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *br.* Deus rex noster operátus est salútem. All. all. Deus. ℣. In médio terræ. Allel. allel. Deus. Glória. Deus. *Ps.* 73.

℣. Apud Dóminum misericórdia:

℟. Et copiósa apud eum redémprio. *Ps.* 129.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *br.* Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. All. all. Lápidem. ℣. A Dómino factum est istud, & est mirábile in óculis nostris. All. all. Lápidem. Glória. Lápidem. *Psalm.* 117.

℣. Deus noster, Deus salvos faciéndi,

℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

AD NONAM

Capitulum Ephes. 3.

Det vobis Deus, ut possítis comprehéndere quæ sit latitúdo, & longitúdo, & sublímitas, & profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

℟. *br.* Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus. All. all. Magnus.

℣. Et sapiéntiæ ejus non est númerus. Allel. allel. Magnus. Glória. Magnus. *Ps.* 146.

℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuũ. *Ps.* 176.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum, Hymnus & Versus ut in I. Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 1. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. *Apoc.* 5.

Oratio ut supra ad Laud.

Commemoratio Octavæ Nativitatis B. Mariæ V.

DIE XV.

OCTAVA

NATIVITATIS

B. MARIÆ V.

Duplex-minus.

Omnia ut in die exceptis quæ sequuntur.

Pss. de Feria in toto Officio.

¶ *Si occurrat Dominicâ, de Octava fit per anticipationem die Sabbati præcedenti, de Exaltatione verò S. Crucis, Feriâ secundâ sequenti.*

Si occurrat Feriâ IV. Quatuor Temporum, ultima Lectio Evangelium & Homilia Feriæ IV. Commem. ejusdem Feriæ post Laudes & Vesperas, omisso Versiculo.

AD MATUTINUM

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

De Sermóne Sancti Bernárdi Abbátis.

Hom. 2. *super* Missus *n.* 17.

Lectio iv.

MAría aptíssimè síderi comparátur: quia sicut sine sui corruptióne sidus

suum emíttit rádium sic absque sui læsióne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat, cujus splendor & præfúlget in supérnis & ínferos pénetrat terras étiam perlústrans, & calefáciens magis mentes quàm córpora, fovet virtútes, & éxcoquit vítia.

Lectio v.

IPsa, inquam, est præclára & exímia stella super hoc mare magnum & spatiósum necessáriò subleváta, micans méritis, illústrans exémplis. O quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procéllas & tempestátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre, ne avértas óculos à fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam.

Lectio vj.

SI críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, baráthro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abysso; cógita Maríam. In perículis, in angústiis, in rebus dúbiis, Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat à corde; & ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens non dévias ipsam rogans, non despéras ipsam cógitans, non erras; ipsa tenénte, non córruis; ipsâ protegénte, non métuis; ipsâ duce, non fatigáris; ipsâ propítiâ, pérvenis.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

LIber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilia Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 2. in Matth. n. 2.

ADmodùm mirábile est audíre, Deum ineffábilem, inenarrábilem, incomprehensíbilem, Patri coæquálem, per Vírginis ad nos venísse úterum, & ex muliere nasci dignátum esse, avósque habére Dávidem & Abrahámum. Et quid dico Dávidem & Abrahámum? Etiam illas (quod magis stupéndum est) mulíeres, uxórem Uríæ, & Thamar, & Ruth. Hæc áudiens, ánimum érige, & nihil vile suspicéris. Quòd si de tuis dúbitas, ab iis quæ ad ipsum spectant, hæc ut credas, inducáris. Longè enim difficílius est, quantùm ad humánum intelléctum pértinet, Deum hóminem fieri, quàm hóminem Dei Fílium esse. Cùm ígitur audis Fílium Dei fílium esse Dávidis & Abrahæ, dubitáre jam désine, te fílium Adæ, fílium Dei futúrum esse. Neque enim frustra & incássùm seípsum ita humiliásset, nisi nos exaltatúrus esset. Natus est enim secúndùm carnem, ut tu nascerèris secúndùm spíritum: natus est ex muliere, ut tu desineres fílius esse mulíeris.

Lectio viij. N. 3. & 4.

CUr autem non dixit, Fílii Abraham, & pósteà Fílii David? cur commemorávit priórem David? Quia ipse frequéntiùs in ómnium versabátur ore, ob splendóris glóriam, & ob témporis propinquitátem; ac tum demum ad antiquiórem recúrrit paréntem. Hi enim máximè mirábiles erant: hic útpote rex & prophéta: ille ut patriárcha & prophéta. Et unde probátur, ínquies, Christum ex Dávide ortum esse? si enim non ex viro, sed ex mulíere tantùm natus est, Vírginis autem genealógia non téxitur, quómodò sciémus ipsum ex Dávide esse ortum? Quid ergo priùs perquiréndum est? Quómodò ex Dávide Virgo orta fúerit? Quo pacto autem sciémus ex Dávide ortum esse? Audi Deum Gabriéli præcipiéntem ut adíret Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo & família David. Quid clárius póstulas, cùm audis, de domo & família David Vírginem fuísse? Unde

patet Joseph étiam inde ortum fuisse. Lex quippe erat quæ vetáret uxóres dúcere, nisi ex própria tribu. Non modò enim non licébat ex ália tribu uxórem dúcere, sed neque ex ália família, id est, ex ália cognatióne. Itaque si illud (Ex domo & família David) Vírgini aptémus, dictum illud constábit; si Josépho, illud ipsum conséquitur. Si enim ex domo & família David erat Joseph, non aliúnde accépit uxórem, quàm ex cognatióne sua.

Lectio ix. *N.* 4.

VErùm ex génere David Vírginem fuisse ex jam dictis palàm est. Jam verò óperæ prétium fúerit dícere, cur non illíus, sed Joséphi genealógiam Evangelista dúxerit. Qua de causa ígitur? Non erat mos apud Judæos mulíerum genealógias téxere. Ut ígitur secúndùm morem ágeret, nec viderétur illum ab inítio tránsgredi, utque simul nobis Vírginis genus indicáret, ipsíus majóres réticens, Joséphi genealógiam duxit. Si enim id de Vírgine fecísset, novitátis notam non effugísset; si Joséphum tacuísset, Vírginis progenitóres non nosséмus. Ut ítaque discámus quæ esset María, & unde orta, legésque intáctæ manérent, sponsi ejus genealógiam contéxuit, & ex domo David osténdit esse. Hoc enim commonstráto, illud quoque simul osténditur Vírginem étiam inde ortam fuisse.

QUATUOR TEMPORA SEPTEMBRIS.

Celebrantur Fériis IV. VI. & Sabbato post Festum Exaltationis S. Crucis.

DOMINICA

Proxime antecedente Quatuor Tempora Septemb. Lectiones II. Noctur. omittuntur, & earum loco, dicuntur tres sequentes

IN II. NOCTURNO

Sermo Sancti Leónis Papæ.

Serm. 92. de Jejunio septimi Mensis 9. Cap. 1.

Lectio iv.

SCio quidem, dilectíssimi, plúrimos vestrûm ita in iis, quæ ad observántiam Christiánam pértinent, esse devótos, ut nostris cohortatiónibus

non indigeant admonéri. Quod enim dudum & tradítio decrévit, & consuetúdo firmávit, nec erudítio ignórat, nec píetas prætermíttit. Sed quia sacerdotális officii est, erga omnes Ecclésiæ fílios curam habére commúnem, in id quod & rúdibus prosit & doctis, quos simul dilígimus, páriter incitámus, ut jejúnium quod nobis séptimi mensis recúrsus indícit, fide álacri per castigatiónem ánimi & córporis celebrémus.

Lectio v. *Cap.* 3.

His, dilectíssimi, cohortatiónibus, quibus nos ad bona incommutabília & ad gáudia invítat ætérna, plenæ sunt omnes divinárum páginæ litterárum; & hoc nobíscum agit testaménti utriúsque doctrína, ut inhæreámus veris, & contineámus à vanis. Non enim apprehéndi potest quod promíttitur, nisi custodítum fúerit quod jubétur. Quid jústius quàm ut homo, cujus fert imáginem, fáciat voluntátem, & per abstinéntiam cibi, jejúnet à lege peccáti? Ideò enim ipsa continéntiæ observátio quátuor est assignáta tempóribus, ut in idípsum totíus anni redeúnte decúrsu, cognoscerémus nos indesinénter purificatiónibus indígere, sempérque esse niténdum, dum hujus vitæ varietáte jactámur, ut peccátum, quod fragilitáte carnis & cupiditátum pollutióne contráhitur, jejúniis atque eleemósynis deleátur.

Lectio vj. *Cap.* 4.

Esuriámus páululùm, dilectíssimi, & aliquántulùm, quod juvándis possit prodésse paupéribus, nostræ consuetúdini subtrahámus. Diléctio próximi diléctio Dei est, qui plenitúdinem legis & prophetárum in hac géminæ caritátis unitáte constítuit: ut nemo ambígeret Deo se offérre, quod hómini contulísset, dicénte Dómino Salvatóre, cùm de aléndis juvandísque paupéribus loquerétur: (Quod uni eórum fecístis, mihi fecístis.) Quártâ ígitur & sextâ Fériâ jejunémus: Sábbato verò apud beátum Petrum Apóstolum vigílias celebrémus, cujus nos méritis & oratiónibus crédimus adjuvándos, ut mi-

Si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retro secus pedes Dómini stamus, quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat: quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis affectum inclinámur, si Sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam, nostram putámus. Capíllis múlier pedes, quos rigáverat, tersit: capíllis quoque pedes Dómini térgimus, quando Sanctis ejus, quibus ex caritáte compátimur, étiam ex his quæ nobis supérfluunt, miserémur. Quátenùs sic mens per compassiónem dóleat, ut étiam larga manus afféctum dolóris osténdat. Plorat & non tergit, qui verba quidem dolóris tríbuit; sed non ministrándo quæ desunt, vim dolóris mínimè abscíndit.

℟. Convérsus Jesus ad mulíerem, dixit Simóni: * Dico tibi: † Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. ℣. Ego sum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes, & fáciens misericórdiam in míllia his qui díligunt me. * Dico. Glória. † Remittúntur. *Luc.* 7. *Exod.* 20.

Ad Benedictus

Ant. 6. Dixit Jesus ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit; vade in pace. *Luc.* 7.

Oratio

Adésto nobis, quæsumus, omnípotens Deus; & in jejúnio corporáli mentem nostram opéribus tuórum réfice mandatórum. Per,

CANON

Ex Synodo Aquénsi. *Anno 1585. Tit. de his quæ ad Ordinem spectant.*

Hortátur hæc Synodus omnes qui ad Ordines promovéndi sunt ut ántequam accédant, de peccátis ómnibus totíus anteáctæ vitæ confiteántur ac spirituáles áliquas exercitatiónes ab Epíscopo præscribéndas óbeant, adhíbito sibi duce & moderatóre viro religióso, quem Epíscopus præfécerit.



SABBATO
Quatuor Temporum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. *Cap.* 13.

IN illo témpore ; Dicébat Jesus & hanc similitúdinem : Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 31. in Evang. hab. Sabb. IV. Temp. Sept.

TErtiò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit ; quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege, sub grátia, expectándo, admonéndo, visitándo, requisívit. Dixit autem ad cultórem víneæ : Ecce anni tres sunt, ex quo vénio fructum quærens in ficúlnea hac, & non invénio. Venit ante legem, quia per naturálem intelléctum quid unusquísque exémplo suì, quáliter erga próximum ágere debuísset, innótuit. Venit in lege, quia præcipiéndo dócuit. Venit post legem, per grátiam, quia pietátis suæ præséntiam exhibéndo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenísse conquéritur ; quia quorúmdam pravórum mentes, nec inspiráta lex naturális córrigit, nec præcépta erúdiunt, nec incarnatiónis ejus mirácula convértunt. Quid verò per cultórem víneæ, nisi Præpositórum ordo exprímitur, qui, dum præsunt Ecclésiæ, nimírum Domínicæ víneæ curam gerunt ?

℟. Ecce múlier habébat spíritum infirmitátis annis decem & octo : & * Erat inclináta, nec omnínò póterat sursum respícere : quam † Cùm vidéret Jesus, erécta est, & glorificábat Deum.

℣. Anima quæ tristis est super magnitúdine mali, & incédit curva, & infirma, dat tibi glóriam & justítiam, Dómine. * Erat. Glória. † Cùm. *Luc.* 13. *Baruch.* 2.

Ad Benedictus

Ant. 8. Hypócritæ, unusquísque vestrûm Sábbato non solvit bovem suum, & ducit adaquáre ? hanc autem fíliam Abra-

hæ non opórtuit solvi à vínculo isto, die Sábbati? *Luc.* 13.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem, corpóribus medéris, & méntibus: majestátem tuã súpplices exorámus, ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, & præséntia nobis subsídia tríbuas, & futúra. Per.

CANON

Ex statútis Synódicis Eustáchii de Belláio, Parisiénsis Epíscopi.

Synod. Parif. Anno 1557. *Can.* 14.

QUia nonnúlli, indócti omnínò, ac suæ infirmitátis conscii, curant se promovéndos Romæ, aut áliis in locis extra suam Diœcésim, absque ullo título, exámen assuétum reformidántes; aut à nonnúllis qui se dicunt Epíscopos, promovéntur; sicque promóti ad Diœcésim nostram revertúntur: Vólumus hujúsmodi promótos, à sacrórum Ordinum executióne arcéndos esse, donec de dicti Epíscopi potestáte, eórum doctrínâ, vitâ & móribus, ac título, nobis constíterit.

DIE XVII.

In Festo

SANCTI LAMBERTI EPISCOPI & MARTYR.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris. pag. *vij.*

Oratio Omnípotens *p.* xj. *ibidem.*

Ex ejus vita auct. Godesc. Diac. apud Mabill. sæc. 3. *p.* 2 *Lectio iij.*

LAmbértus Trajécto ad Mosam oriúndus, Theodárdo Trajecténsi Epíscopo & mártyri anno Christi sexcentésimo sexagésimo octávo suffectus, justítiæ & libertátis públicæ víndicé se præbuit acérrimũ, eámque ob causam ab Ebroíno, palátii Majóre sub rege Theodórico, episcopátu pulsus est. Cedéndum témpori ratus, in monastérium Stabulénse secéssit, ex quo post septénnium à Pippíno Cároli Martélli patre revocátus, ac sedi suæ restitútus, Toxándriæ íncolis Evangélii lucem íntulit. Cùm autem régiam domum zelo religiónis increpásset, Dodo Pippíni doméſticus, redeúntem è matutínis Láudibus aggréssus est: eúmque in cubículo orántem unus è

Dodónis satellítibus telo confódit, anno Christi septingentésimo octávo. Corpus ejus Trajécti sepúltum, inde Leódium unà cum episcopáli sede translátum fuit.

DIE XVIII.
In Festo

SS. CORNELII PAPÆ, ET CYPRIANI EPISCOPI, MARTYRUM.

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi plurium Martyrum pag. *xiij.* *Oratio* Deus p. xvij. *ibid.*

Ex Epístola S. Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Antoniánum.

Lectio ij. De S. Cornelio.

FActus est Cornélius Epíscopus de Dei & Christi ejus judício, de Clericórum penè ómnium testimónio, de plebis quæ tunc áffuit suffrágio, & de sacerdótum antiquórum & bonórum virórum collégio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiáni locus id est, cùm locus Petri & gradus cáthedræ sacerdotális vacáret: quo occupáto de Dei voluntáte, atque ómnium nostrûm consensióne firmáto, quisquis jam Epíscopus fieri volúerit, foris fiat necésse est, nec hábeat ecclesiásticam ordinatiónem, qui Ecclésiæ non tenet unitátem. Quanta in ipso suscépto Episcopátu suo virtus! quantùm robur ánimi! qualis firmitas fidei! quod nos símplici corde & perspícere pénitùs & laudáre debémus: sedísse intrépidum Romæ in sacerdotáli cáthedra, eo témpore cùm tyránnus inféstus sacerdótibus Dei fanda atque infánda comminarétur; cùm multò patiéntiùs & tolerabíliùs audíret levári advérsùs se æmulum príncipem, quàm constítui Romæ æmulum sacerdótem. Nonne hic summo virtútis & fídei testimónio prædicándus est? Nonne inter gloriósos confessóres & mártyres deputándus, qui tantùm témporis sedit expéctans córporis sui carnífices & tyránni ferociéntis ultóres? (Centumcéllis óbiit anno Christi ducentésimo quinquagésimo secúndo, die décimâ-quartâ Septémbris.)

Ex Epist. Ss. Cypriani, Hier. de script. Eccles. Aug. & Act. ap. Ruinart.

Lectio iij. De S. Cypriano.

CYpriánus Afer, primùm cum laude rhetóricam dócuit: exínde suadénte Presbytero Cæcílio, à quo & cognoméntũ sortítus est, Christiánus factus, omnem substántiã suam paupéribus erogávit, ac post non multùm témporis, eléctus in Presbyterum, étiam Carthaginénsis Epíscopus constitútus est. In persecutióne Décii proscríptus, & divíno mandáto secédere jussus, Ecclésiæ laboránti nec spíritu, nec actu, nec mónitis défuit, & inter lapsórum importúnas petitiónes, & schismáticam Novatiáni severitátem, sic disciplínæ vigórem temperávit, ut ejus judícium vária dehinc Concília secúta sint. Grassánte póstmodùm sub Gallo & Volusiáno princípibus dirâ peste, ómnia pietátis offícia non fidélibus tantùm, sed étiam infidélibus per Christiános exhibéri curávit. Ab ecclésia Romána sub Epíscopis Cornélio & Lúcio sæpè consúltus, de baptísmo hæreticórum cum Stéphano eórum successóre ácriter disputávit; sed, Augustíno teste, vicit pax Christi in córdibus eórum, & jam sub Xysto Stéphani successóre extérnæ quoque concórdiæ reparándæ spes illúxerat, cùm súbitò recrudescénte Valeriáni persecutióne, Xystus cápite damnátus, & Cypriánus jam ante annum Curúbim in exílium missus, à Galério Máximo procónsule Cartháginem, ut audirétur, vocátus est. Cui prodúcto in subúrbio Sexti, & Christiánum se intrépidè profiténti, decrétum ex tabélla recitátum est: Cypriánum gládio animadvérti placet. Cypriánus respóndit: Deo grátias. Et cùm ducerétur, pópulus plangens & éjulans dicébat: Et nos decollémur cum ipso. Prodúctus autem in agrum extra subúrbium, cùm se lacérnâ, byrro, & dalmáticâ expoliásset; stans in línea, spiculatórem expectábat; qui cùm veníssent, jussit suis ut ei vigínti quinque áureos darent. Pósteà verò manu suâ óculos sibi texit, & sic gládio percússus, occúbuit. Corpus ejus ex Africa, témpore Cároli Magni, in Gálliam allátum, Lugdúni primùm,

deinde à Cárolo Calvo-Compéndii, in Sacéllo régii palátii collocátum eſt.

Die xxi.

In Feſto

SANCTI MATTHÆI

Apostoli

et Evangelistæ.

Duplex-majus.

¶ *Si occurrat in Feriis Quatuor Temporum, anticipatur aut transfertur ad diem non impeditam.*

Omnia de Communi Apoſtolorum pag. *iij. exceptis quæ ſequuntur.*

IN I. VESPERIS

Ad Magnificat

Ant. 8. Vidit Jeſus hóminem ſedéntem in telónio, Matthæum nómine, & ait illi: Séquere me. *Matth.* 9.

Oratio ut infrà ad Laud.

IN II. NOCTURNO

Ex Libro S. Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio iv. *Cap.* 3.

Matthæus, qui & Levi, ex Publicáno Apóſtolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumciſióne crediderant, Evangélium Chriſti Hebráïcis litteris verbíſque compóſuit. Quod quis póſteà in Græcum tranſtúlerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebráïcum habétur uſque hódie in Cæſariénſi bibliothéca, quam Pámphilus martyr ſtudioſíſſimè conſécit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Beræa, urbe Syriæ, hoc volúmine utúntur, deſcribéndi facúltas fuit. In quo animadverténdum, quòd ubicúmque Evangeliſta, ſive ex persóna ſua, ſive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ teſtimóniis abútitur, non ſequátur ſeptuaginta tranſlatórum auctoritátem, ſed Hebráïcam, è quibus illa duo ſunt, Ex Ægypto vocávi Filium meum; &, Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ex Libro Sancti Epiphánii Epíſcopi advérsùs hæreſes.

Lectio v. *Hæreſ.* 51.

Matthæus, primus Evangélium ſcríbere aggréſſus eſt, ei quippe inítio prædicándi Evangélii munus eſt commíſſum, idque méritò: oportébat enim ut ille qui ad ſalútem humáni géneris advénerat, quique dixerat:

Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam; ad exémplum eórum qui salvándi erant, ei hómini potíssimùm prædicándæ salútis munus injúngeret, qui à peccátis convérsus & à telónio suscitátus fúerat: ut ab illo, quanta sibi esset advéntu Christi benígnitas colláta, hómines díscerent. Nam post remissiónem peccatórum, lárgitus est étiam ipsi suscitatiónem mortuórum, & mundatiónem lepræ, & virtútes sanatiónum, & fugatiónem dæmonum, ut non solùm verbo persuadéret auditóribus, sed facto étiam Evangélia pérditis homínibus prædicáret, quòd scílicet possent per pœniténtiam recuperári,

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Matth. Homil. 1.

Lectio vj.

In véteri testaménto cùm Móyses ascendísset in montem, descéndit Deus: in novo verò, cùm nostra in cœlum esset eleváta natúra, Spíritus Sanctus descéndit de cœlo. Non descendérunt Apóstoli de monte tábulas lapídeas afferéntes in mánibus, sicut Móyses, sed Sanctum Spíritum mente portántes, & thesáurum quemdam dógmatum donorúmque gestántes. Sic innumerábiles pópulos attraxérunt, Deo per illórum linguam cunctis accedéntibus disserénte; à quo étiam Matthæus replętus Spíritu Evangélium conscrípsit; Matthæus ille publicánus, non enim ab arte sua illum erubúerim nuncupáre, nec non réliquos: hoc est enim quod máximè osténdit Spíritûs Sancti grátiam; eorúmque virtútem. Non abs re verò scriptiónem suam Evangélium vocávit: siquidem pœnárum sublatiónem, véniam peccatórum, sanctificatiónem, justítiam, redemptiónem, adoptiónem filiórum, cœlórum hæreditátem, & cum Dei Fílio fraternitátem ómnibus nuntiávit.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 9.*

In illo témpore; Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine. Et ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

In Matth. Lib. 1.

CÆteri Evangelístæ, propter verecúndiam & honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; sed dixérunt, Levi: dúplici quippe vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus (secúndùm illud quod à Salomóne præcípitur, justus accusátor est sui in princípio sermónis: & in ália loco, Dic tu peccáta tua, ut justificéris) Matthæum se & Publicánum nóminat, ut osténdat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra convérsus sit; cùm ipse de publicáno in Apóstolum sit repéntè mutátus.

Lectio viij.

ARguit in hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augústus vel imperítiam históríci mentiéntis, vel stultítiam eórum qui statim secúti sint Salvatórem, quasi irrationabiliter quémlibet vocántem hóminem sint secúti, cùm tantæ virtútes, tántaque signa præcésserint, quæ Apóstolos ántequam créderent, vidísse non dúbium est. Certè fulgor ipse, & majéstas divinitátis occúltæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se vidéntes tráhere póterat aspéctu. Si enim in magnéte lápide & súccinis hæc esse vis dícitur, ut ánnulos, & stípulas, & festúcas sibi cópulent; quantò magis Dóminus ómnium creaturárum ad se tráhere póterat quos volébat.

Lectio ix.

ET factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni & peccatóres veniéntes discumbébant cum Jesu. Vidébant Publicánum à peccátis ad melióra convérsum, locum invenísse pœniténtiæ: & ob id étiam ipsi non despérant salútem. Neque verò in prístinis vítiis permanéntes véniunt ad Jesum, ut pharisæi & scribæ múrmurant: sed pœniténtiam agéntes, ut sequens Dómini sermo signíficat dicens: Misericórdiam volo, & non sacrifícium, non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Ibat autem Dóminus ad convívia peccatórum, ut occasiónem habéret docén-

di, & spirituáles invitatóribus suis præbéret cibos.

Ad Benedictus

Ant. 3. Relíctis ómnibus, Levi secútus est Jesum; & fecit ei convívium magnum in domo sua. *Luc.* 5.

Oratio

DEus qui ineffábili misericórdiâ, beátum Matthæum ex Publicáno Apóstolum elígere dignátus es, da nobis, ejus exémplo & intercessióne, ut post te, relíctis ómnibus, ambulántes, tibi fírmiter adhærére valeámus: Qui vivis & regnas.

AD II. VESPERAS

Ad Magnificat

Ant. 6. Misericórdiam volo, & non sacrifícium: non enim veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam. *Matth.* 9. *Luc.* 5.

Oratio ut suprà ad Laud.

Die xxii.

In Festo

SS. MAURICII ET SOCIORUM MART.

Semiduplex-minus

Omnia de Communi plurium Martyrum pag. xiij. *exceptis quæ sequuntur.*

Pridiè In Vesperis

Ad Magnificat

Ant. 5. Accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, & in ómnibus perfécti stare. *Ephes.* 6.

Oratio ut infra ad Laudes.

Ex Epist. S. Eucher. Lugd. Episc. *Lectio ij.*

SUb Maximiáno, qui à Diocletiáno collégа ascítus Império, statim in Gállias est proféctus, erat in exércitu légio mílitum, qui Thebæi appellabántur. Hi in auxílium novo Imperatóri ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis strénui, nóbiles virtúte, sed nobilióres fide, Evangélici præcépti étiam sub armis non immémores. Maximiánus sacrificatúrus idólis Octodúrum convenire exércitum jussit, atróci propósitâ jussióne, ut per aras dæmónibus consecrátas jurárent. Soli id Thebæi detrectáre ausi sunt. Eo ítaque cógnito, Maximiánus Agáunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliári inter Alpína juga consséderant, & décimum quemque ex legióne ob

negléčta impéria gládio feríri jubet, cæteros parére mandátis. Ubi ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio passim in castris exóritur, se idolórum profána sacra semper detestatúros; extréma experíri sátius esse, quàm advérsùs christiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, & cæteri nihilóminùs ad ea quæ spréverant compellántur. Percússus est itaque qui décimus sorte obvénerat.

Lectio iij.

FLagrábat in illis martyrii gloriósus ardor, suadénte imprímis sancto Maurício tunc primicério legiónis, qui cum Exsupério campi ductóre & Cándido senatóre mílitũ exhortabátur síngulos, ut pro sacraménto Christi ánimas ultro profúnderent, sequerentúrque contubernáles qui jam in cœlum præcésserant. Itaque hæc Maximiáno mandáta mittunt sicut pia, ita & fórtia: Mílites sumus, Imperátor, tui, sed tamen servi Dei. Tibi milítiam debémus, illi innocéntiam: tenémus ecce arma, & non resístimus. Si quid in nos ultra statúeris, ignes, torménta, ferrum subíre paráti sumus; Christiános nos fatémur. Maximiánus despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, unâ senténtiâ intérfici omnes decrévit, & rem cónfici, circumfúsis agmínibus, jubet. Cædebántur itaque passim gládiis, non reclamántes saltem, aut repugnántes, sed depósitis armis, cervíces persecutóribus vel intéctum corpus offeréntes. Reveláta sunt post annos ferè centum eórum córpora sancto Theodóro Octodurénsi Epíscopo, & hinc delátæ várias in partes eórum Relíquiæ.

Ad Benedictus

Ant. 8. Armávit suos non clypei & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, & exhortatiónibus, quibus constántes efféčti sunt, & pro légibus mori paráti. 2. *Mach.* 15.

Oratio

DEus, pro te certántium fortitúdo, & coróna per te vincéntiũ, da nobis, quæsumus, ut qui

Romæ autem eórum cultum non minùs célebrem fuiſſe teſtátur, non solùm dicáta Deo sub illórum nómine in foro Románo à ſancto Felíce, ſancti Gregórii magni átavo, ecclésia, ſed étiam insértum jam ánteà Cánoni Miſſæ ſanctórum Mártyrum nomen.

DIE XXIX.
In Feſto
SANCTI MICHAELIS
ARCHANGELI
& omnium Sanctorum
ANGELORUM.
Duplex - majus.

IN I. VESPERIS
Antiphonæ de Laudibus.
Capitulum Coloſ. 1.

IN Chriſto cóndita ſunt univérſa in cœlis, & in terra, viſibília, & inviſibília, ſive Throni, ſive Dominatiónes, ſive Principátus, ſive Poteſtátes: ómnia per ipſum, & in ipſo creáta ſunt.

℟. Dómine exercítuum, Deus Iſraël, * Qui ſedes ſuper Chérubim, tu es Deus ſolus ómnium regnórum terræ: † Tu fecíſti cœlum & terram.

℣. Dómine Deus noſter, tu creáſti ómnia; & propter voluntátem tuam erant, & creáta ſunt. *Qui Glória. † Tu. *Iſ.* 37. *Apoc.* 4.

HYMNUS

MIlle, quem ſtipant ſólio ſedéntem
Córporis puræ ſine mole mentes,
Chriſte, quos fuſo tibi conſecráſti
Sánguine, ſerva.

Quas tenent celſas ſuper aſtra ſedes
Spíritus, nobis quoque præparáſti;
Ut viam monſtrent, ſócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei nunquam temeránda jura
Víndicat ſacris metuéndus armis,
Prompta perdéndos Michaël in hoſtes
Arma miníſtret.

Nuntius felix melióris ævi
Fauſta qui mundo, Gábriël, tulíſti,
Creber è cœlo vénias, amíca
Núntia portans.

Corporis morbos, tenebráſque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui ſeni cæco, Raphaël, dedíſti

Cérnere solem.
Gratias Regi súperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant;
Quem fides veri studiósa Trinum
Credit & unum.
Amen.

℣. Facis Angelos tuos spíritus, Dómine,

℟. Et minístros tuos ignem uréntem. *Ps.* 103.

Ad Magnificat

Ant. 8. Vidi in médio troni Agnum stantem, tanquam occísum, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu troni. *Apoc.* 5.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM

Invitatorium Dóminum quem adórant omnes Angeli, * Veníte, adorémus. *Ps.* 96.

Psalm. Veníte. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Ecce Míchaël unus de princípibus primis venit in adjutórium meũ. *Dan.* 10.

Ant. 8. Missus est Angelus Gábriël à Deo ad Vírginem; & nomen Vírginis, María. *Luc.* 1.

Ant. 3. Exaudítæ sunt preces Tobíæ & Saræ; & missus est Angelus Dómini sanctus Ráphaël, ut curáret eos. *Tob.* 3.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum;

℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33.

Lectiones de Script. occur.

℟. j. Consúrget Míchaël princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui; & in témpore illo * Salvábitur omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro. ℣. Vidi Angelum fortem, descendéntem de cœlo: & jurávit per Vivéntem in sæcula sæculórum, quia tempus non erit ámpliùs.* Salvábitur. *Dan.* 12. *Apoc.* 10.

℟. ij. Angelus dixit Zacharíæ: Ego sum Gábriël, qui asto ante Deum; * Et missus sum hæc tibi evangelizáre, quæ implebúntur in témpore suo.

℣. Gábriël venit, & ait ad me: Intéllige, ego osténdam tibi quæ futúra sunt. * Et. *Luc.* 1. *Dan.* 8.

℟. iij. Dixit Ráphaël ad Tobíam: * Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, † Ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. ℣. Oratiónes tuæ,

& eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. * Quando. Glória. † Ego. *Tob.* 12. *Act.* 10.

IN II. NOCTURNO

Ant. 8. Nemo est adjútor meus, nisi Míchaël princeps vester. *Dan.* 10.

Ant. 3. Ecce Gábriël locútus est mihi: Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt, ut impleátur vísio, & ungátur Sanctus sanctórum. *Dan.* 9.

Ant. 1. Dixit Tobíæ Ráphaël Angelus: Ego sanum ducam, sanum tibi redúcam filium tuum. *Tob.* 5.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 60.

Sermo Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 34. *in Evang.* *n.* 7.

Lectio iv.

NOvem Angelórum órdines esse, testánte sacro elóquio, scimus; Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim & Séraphim. Esse namque Angelos & Archángelos penè omnes sacri elóquii páginæ testántur. Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, & Potestátem & Virtútem, & Dominatiónem. Qui rursus ad Colossénses scribens, ait: Sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes. Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines: quibus dum Angeli & Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjúncta sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Cùm Míchaël Archángelus cum diábolo dísputans altercarétur de Móysi córpore, non est ausus judícium inférre blasphémiæ; sed dixit: * Imperet tibi Dóminus.

℣. Coram Angelo Dómini, satan stabat ut adversarétur ei, & dixit Dóminus ad satan: Increpet in te, satan, qui elégit Jerúsalem. * Imperet. *Judæ.* 9. *Zach.* 3.

Lectio v. *n. 8. & 9.*

SCiéndum quoque, quòd Angelórum vocábulum nomen est officii, non natúræ. Nam sancti illi cœléstis pátriæ Spíritus, semper quidem sunt Spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquàm possunt; quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiántur; unde & per Psalmístam dícitur: Qui facit Angelos suos, spíritus. Ac si paténter dicat: Qui eos quos semper habet spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli: qui verò summa annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quòd ad Maríam Vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriël Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summùm ómnium nuntiábat. Qui idcírcò étiam privátis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula étiam in operatióne quid váleant. Míchaël namque, Quis ut Deus? Gábriël autem, Fortitúdo Dei: Ráphaël verò dícitur Medicína Dei.

℟. Dócuit me, dixítque Gábriel: Intéllige visiónem: post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus: & * Non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est: civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro. ℣. Dictum est ab Angelo, quóniam átrium templi datum est géntibus, & civitátem calcábunt, ubi & Dóminus crucifixus est. * Non. *Dan. 9. Apoc. 11.*

Lectio vj. *n. 9.*

ET quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibétur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conscéndam, super astra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo: dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício periméndus, cum Michaéle Archángelo præliatúrus esse perhibétur; sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaéle Archángelo. Ad

Mariam quoque Gábriël committitur qui Dei fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aëreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphaël quoque interpretátur, ut díximus, medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per officium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. Misit me Dóminus ut curárem te, & Saram à dæmónio liberárem; ego enim sum Ráphaël Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum: * Pax vobis, nolíte timére. ℣. Grátia vobis, & pax ab eo qui est, & à septem Spíritibus qui in conspéctu troni ejus sunt. * Pax. Glória. * Pax. *Tob.* 12. *Apoc* 1.

IN III. NOCTURNO

Ant. 7. Vidit Jósue virum, evaginátum tenéntem gládium, & ait: noster es, an adversariórum? Qui respóndit: Sum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. *Josue.* 5.

Ant. 5. Dixit Gábriël, Vir desideriórum, pax tibi: confortáre, & esto robústus. Et dixi: Lóquere, Dómine mi, quia confortásti me. *Dan.* 10.

Ant, 4. Dixit Angelus Ráphael: Benedícite Deû cœli, & coram ómnibus viventibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. *Tob.* 12.

℣. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer: ℟. Qui facis Angelos tuos, spíritus. *Ps.* 103.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 18.

IN illo témpore; Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homilia Sancti Augustini Epíscopi.

De Civ. L. 11. *C.* 32. & 33.

ANgelos sanctos in sublímibus cœli sédibus, non quidem Deo coætérnos, sed tamen de sua sempitérna & vera felicitáte secúros & certos esse, nemo ámbigat. Ad quorum societátem pertinére párvulos suos Dóminus docens, non solùm illud ait: Erunt æquáles Angelis Dei; verùm ipsi quoque Angeli quâ contemplatióne fruántur, osténdit, ubi ait: Vidéte, ne contemná-

tis unum ex pusíllis istis; dico enim vobis quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. Peccásse autem quosdam Angelos, & in hujus mundi ima detrúsos, qui eis velut carcer est, usque ad futúram in die judícii últimam damnatiónem, Apóstolus Petrus apertíssimè osténdit, dicens: quòd Deus Angelis peccántibus non pepérperit, sed carcéribus calíginis ínferi retrúdens tradíderit in judício puniéndos reservári.

℞. Factum est prælium magnum in cœlo: Míchaël & Angeli ejus præliabántur cum dracóne: & *Projéctus est draco ille magnus qui sedúcit univérsum orbem. ℣. Quómodò cecidísti de cœlo, Lúcifer? qui dicébas: Super astra Dei exaltábo sólium meũ: ad inférnum detrahéris in profúndum laci. * Projéctus. *Apoc.* 12. *Is.* 14.

Lectio viij.

Inter hos ergo & illos, Deum vel præsciéntiâ, vel ópere divisísse quis dúbitet? Has duas angélicas societátes, unam fruéntem Deo, álteram tuméntem typho: unam cui dícitur: Adoráte eum, omnes Angeli ejus; áliam cujus princeps dicit: Hæc ómnia tibi dabo, si prostrátus adoráveris me: unam Dei sancto amóre flagrántem; álteram próspriæ celsitúdinis immúndo amóre fumántem: & quóniam sicut scriptum est, Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam: illam in cœlis cœlórum habitántem; istam inde ejéctam in hoc ínfimo aério cœlo tumultuántem: illam luminósâ pietáte tranquíllam; istam tenebrósis cupiditátibus turbuléntam: illam Dei nutu cleménter subveniéntem, justè ulciscéntem; istam suo fastu subdéndi & nocéndi libídine exæstuántem, illam ut, quantùm vult, cónsulat, Dei bonitátis minístram; istam, ne quantùm vult nóceat, Dei potestáte frænátam: illam huic illudéntem, ut nolens prosit persecutiónibus suis: hanc illi invidéntem cùm peregrínos cólligit suos. Nos ergo has duas societátes angélicas, unam & natúrâ bonam, & voluntáte rectam; áliam verò natúrâ bonam, sed voluntáte pervérsam, in libro,

cui nomen est Génesis, lucis tenebrarúmque vocábulis significátas existimávimus.

℟. Ait Gábriël ad me: Noli metúere, ego veni propter sermónes tuos: princeps autem regni Persárum réstitit mihi: & * Ecce veni ut docérem te quæ ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis.

℣. Dóminus Deus spirítuum Prophetárum misit Angelum suum, osténdere servis suis quæ opórtet fieri. * Ecce veni. *Dan.* 10. *Apoc.* 22.

Lectio ix. Lib. 10. *C.*7.

MEritò illi in cœléstibus sédibus constitúti, immortáles & beáti, qui creatóris sui participatióne congáudent, cujus æternitáte firmi, cujus veritáte certi, cujus múnere sancti sunt; quóniam nos mortáles & míseros, ut immortáles beatíque simus, misericórditer díligunt, nolunt nos sibi sacrificáre, sed ei cujus & ipsi nobíscum sacrificium se esse novérunt. Cùm ipsis enim sumus una cívitas Dei, cui dícitur in psalmo, Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei; cujus pars in nobis peregrinátur, pars in illis opitulátur. De illa quippe supérna civitáte ubi Dei volúntas intelligíbilis, atque incommutábilis lex est, de illa supérna quodámmodò cúria (géritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministráta per Angelos sancta Scriptúra descéndit.

℟. Dixit Angelus Ráphaël: Cùm essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: tempus est ut revértar ad eum qui me misit; vos autem, * Benedícite Deum, & † Narráte ómnia mirabília ejus.

℣. Timéte Dóminum, & date illi honórem, & adoráte eum. * Benedícite. Glória. † Narráte. *Tob.* 12. *Apoc.* 14.

AD LAUDES

Ant. 1. VIdi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. *Is.* 6.

Ant. 2. Séraphim stabant super illud: & clamábant alter ad álterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus exercítuum. *Is.* 6.

Ant. 3. Eleváta est glória Dómini désuper Ché-

rub : & sónitus alárum Chérubim audiebátur quasi vox Dei omnipoténtis loquéntis. *Ezech.* 10.

Ant. 6. Thronus ejus.

Canticum *Dan.* 3.

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, * & laudábilis & gloriósus & superexaltátus in sæcula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum; * & laudábile, & superexaltátum in ómnibus sæculis.

Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ : * & superlaudábilis, & supergloriósus in sæcula.

Benedíctus es in trono regni tui ; * & superlaudábilis, & superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim: * & laudábilis & superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es in firmaménto cœli,* & laudábilis & gloriósus in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini, Dómino ; * laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Ant. Thronus ejus flammæ ignis ; míllia míllium ministrábant ei, & décies míllies centéna míllia assistébant ei. *Dan.* 7.

Ant. 4. Omnes audivi, dicéntes : Sedénti in trono, & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potéstas in sæcula sæculórum. *Apoc.* 5.

Capitulum Apoc. 4.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem & virtútem : quia tu creásti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt.

℣. Adoráte Dóminum, omnes Angeli ejus.

℟. Audivit, & lætáta est Sion. *Ps.* 96.

Ad Benedíctus.

Ant. 1. Poténtiam virtútis operátus est Deus in Christo, illum constítuens ad déxteram suam, supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. *Ephes.* 1.

Oratio

Deus qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas : concéde propítius, ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum nostrum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio Ibid.

CANON

Ex Sancto Euchério Lugdunénsi Epíscopo.

De Quæst. vet. Testament. in Isaïam.

Quòd Séraphim alis suis fáciem operíre indicántur, hoc idcírcò quia neque hóminum quisquam, neque ulla creatúra divínæ majestátis lumen contemplári, ut est, potest. Alæ quoque Séraphim índicant divíni ministérii velocitátem. Quod verò alter ad álterum clamant & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus exercítuum, unam osténdunt divinitátem in mystério Trinitátis.

AD TERTIAM

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev* Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus. Allelúia, allelúia. Benedícite. ℣. Minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus. Allelúia, allelúia. Benedícite. Glória. Benedícite.

℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus,

℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Ps.* 102.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* In conspéctu Angelórum psallam tibi, Dómine. Allelúia, allel. In conspéctu.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum. Allelúia, allelúia. In conspéctu. Glória. In conspéctu. *Ps.* 137.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore,

℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

AD NONAM

Capitulum Hebr. 1.

Cum intródúcit Primogénitum in orbem terræ dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spíritus, & minístros suos flammam ignis.

℟. *brev.* Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus. *Allelúia, allel. Laudáte. ℣. Laudáte eum, omnes virtútes ejus. *All. allel. Laudáte. Glória. Laudáte. *Ps.* 148.

℣. Laudáte Dóminum in firmaménto virtútis ejus. ℟. Omnis spíritus laudet Dóminum. *Psalm.* 150.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum, Hymnus & Versus de I. Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 1. Qui digni habebúntur sæculo illo, & resurrectióne ex mórtuis, æquáles Angelis sunt, & filii sunt Dei; cùm sint filii resurrectiónis. *Luc.* 20.

Oratio ut supra ad Laud.

Commem. S. Hieronymi Doctor. per Ant. Beátus *pag.* xxvj. *de Comm. Ss. Doctorum.*

Oratio ut infra.

D I E X X X.

In Festo

S. HIERONYMI

PRESBYTERI

& Ecclesiæ Doctoris.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Doctorum pag. *xxv.*

Oratio.

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Doctórem máximum providére dignátus es, præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul & ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

IN II. NOCTURNO

Ex operibus S. Hieron.

Lectio iv.

HIerónymus, Eusébii filius, Stridóne in fínibus Dalmátiæ & Pannóniæ natus, puer à Donáto liberálibus disciplínis Romæ est institútus, ubi diébus Domínicis sepúlcra Apostolórum & Mártyrum circuíre, crebróque cryptas íngredi cum æquálibus consuéverat. Suscépto ibi in adolescéntia baptísmo, ad sacras lítteras ánimum adjíciens, Gállias studiórum causâ peragrávit, Trevirísque librum sancti Hilárii de Synodis suâ manu descrípsit. Perlustrátis deínde Thráciâ, Ponto, Bithyniâ, Galátiâ, Cappadóciâ & Cilíciâ, in Chálcidis Syriæ solitúdinem se recépit, instrúctus bibliothécâ, quam Romæ sibi magno stúdio conféceral. Ibi, ut importúnas cogitatiónes, quas jejúniis non víceral, studiórum assiduitáte abígeret, Judæo ad Christum convérso se in disciplínā dedit, ut linguam hebráïcam addísceret. Aliquándo interrogátus, unam an tres confiterétur hypóstases, incér-

tus étiam ad quam se partem adjúngeret, exórto Antiochíæ inter Paulínum Vitálem & Melétium dissídio, Dámasum Pontíficem Románum consúluit, an tres hypóstases dícere, & cui ex tribus Epíscopis communicáre debéret.

Lectio v.

Exácto in eo secéssu quadriénnio, vexátus ab ínvidis, & hæréseos postulátus, ex erémo discédens, Antiochíam venit; ubi à Paulíno cui adhæserat, eâ conditióne ordinári se presbyterum passus est, ut quam ampléxus fúerat mónachi vitam, non deséreret. Cùm deínde Jerosólymis & Bethleem aliquándiu mansísset, Constantinópolim se cóntulit; ibíque Gregórium Nazianzénum, sacras lítteras explanántem, fréquens audívit. Romam deínde, ob Antiochíæ aliarúmque ecclesiárum dissensiónes, cum Paulíno & Epiphánio proféctum Dámasus retínuit, ut eo uterétur in conscribéndis epístolis ac reddéndis ad synódicas Oriéntis & Occidéntis consultatiónes respónsis. Romæ per triénnium commorátus, post óbitum Dámasi Béthleem ad incunábula Redemptóris in extrúcto à Paula monastério majórem vitæ partem exégit.

Lectio vj.

Sacros códices commentáriis illustrávit; & quò cértiùs genuínum illórum sensum assequerétur, síngula Palestínæ loca sédulo invísit, adhíbitis Judæórum eruditíssimis. Alexandríam ætáte jam provéctus pétiit, de difficilióribus Scriptúræ locis Dydimum consultúrus. Novum testaméntũ Græcæ fidei réddidit; vetus juxta Hebráïcam tránstulit; Psaltérium quo deínceps Ecclésia Latína usa est, secúndùm Septuagínta editiónem corréxit. Multa doctórum virórum scripta latínè réddidit. Luciferiános, Helvídium, Vigilántium, Joviniánum, & Pelágium scriptis ácriter insectátus est. Hujus senténtiam sanctus Augustínus, & álii passim, de difficilióribus quæstiónibus rogábant. Captâ eversâque à Gothis Româ, nóbiles Romános, qui ad summam inópiam redácti fúerant, in monastério Bethleemitáno benignè

excépit. In extréma senectúte febre corréptus, migrávit ad Dóminũ, Theodósio junióre & Honório imperántibus, anno Christi quadringentésimo vigésimo. Ejus corpus apud Béthleem sepúltum, pósteà Romam translátum, in basílica sanctæ Maríæ Majóris ad Præsépe cónditum est.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 5.*

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis; Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Cap. 2. Agg.

COnsídera sacerdótum esse offícii, de lege interrogánti respondére. Si sacérdos est, sciat legem Dómini; si ignórat legem, ipse se árguit non esse sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, & ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut sícubi in úrbibus Israël quæstio fúerit exórta inter sánguinem & sánguinem, inter judícium & judíciũ, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad sacerdótes atque levítas, & ad Pontíficem qui in diébus illis fúerit constitútus, & quærant ab eo Legem Dómini: quibus respondéntibus; fáciant quod jubéntur. Quòd si non fécerint, exterminéntur de pópulo suo.

Lectio viij.

ET ne forsítan in véteri solùm instruménto hæc præcépta videántur, lóquitur & Apóstolus ad Timótheum, Epíscopum non solùm irreprehensíbilem esse debére, & uníus uxóris virum, & sapiéntem, & pudícum, & ornátum, & hospitálem, sed etiam doctórem. Hæc pósui, ut tam ex véteri quàm ex novo testaménto, sacerdótum esse officium novérimus, scire legem Dei, & respondére ad quæ fúerint interrogáti: nec simplicitátem, & cibórum continéntiam in magístro sufficere, nisi quod ipse facit, possit & álios erudíre.

Lectio ix.

CErtè quia responsúros puto, hoc eórum esse

qui se ab adolescéntia præparant ad docéndum; frequénter autem judício Dómini, & populórum suffrágio in sacerdótium símplices éligi: saltem illud hábeant, ut postquàm sacerdótes fúerint ordináti, discant legem Dei, ut possint docére quod didícerint, & áugeant sciéntiam magis quàm opes, & non erubéscant à láïcis díscere, qui nóverint ea quæ ad officium pértinent sacerdótum; magísque noctes & dies in Scripturárum tractátu, quàm in ratiocíniis & supputatióne consúmant.

VESPERÆ de sequenti.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.
In Festo

TRANSLATIONIS S. REMIGII

ARCHIEPISC. REMENSIS, Francorum Apostoli.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Job. 42.

HÆc dicit Dóminus: Ite ad servum meum, & offérte holocáustum pro vobis: servus meus orábit pro vobis: fáciem ejus suscípiam.

℞. Germinábit sicut lílium, & * Erit quasi olíva glória ejus & odor ejus ut líbani; † Converténtur sedéntes in umbra ejus: vivent, & germinábunt quasi vínea. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * Erit. Glória. † Converténtur. *Os.* 14. 2. *Cor.* 9.

HYMNUS

QUæ dies tanto celebráta cultu?
Cívitas omnis volat ad sepúlcrum
Præsulis: cujus pretiósa marmor
Membra recóndit.

HUJUS ad sacrum túmulum supérbi
Sponte depónunt sua sceptra Reges:
Turba languéntum ré-

perit petítam
Ægra salútem.
Rédditur cæco sua lux, & auris
Rédditur surdo, sua lingua muto,
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.
Quæ fuit vivo tibi cura, Præsul,
Hanc licet vectus super astra servas:
Et tuam, gentis bone tutor, usque
Réspicis urbem.
Hæc Deo cives posuêre templa,
Quæ tuum dicent sine fine nomen;
Jure te civem vocat & patrónum
Civis & hospes.
Nostra te summum célebrent Paréntem
Ora, te summo génitum Parénte;
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Scriptus es in judíciis témporum,

℟. Lenire iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48.

Ad Magníficat

Ant. 5. Oriétur in ténebris lux tua; & réquiem tibi dabit Dóminus semper, & implébit splendóribus ánimam tuam, & ossa tua liberábit. *Is.* 58.

Oratio ut infra ad Laud.

Commem. S. Hieronymi per Ant. Qui docti *pag.* xxx *de Comm. Doctorum.*

Oratio ut supra.

AD MATUTINUM

Invitatorium Dóminum qui mirificávit sanctum suum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 4.

Psalm. Veníte *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 4. Justum árbitror quándiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne. 2. *Petr.* 1.

Ant. 5. Velox est deposítio tabernáculi mei, secúndùm quod & Dóminus noster significávit mihi. 2. *Petr.* 1.

Ant. 3. Dabo óperam & frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis: non enim doctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Jesu Christi virtútem. 2. *Petr.* 1.

℣. Effúndo in conspéctu Dómini oratiónem meam. ℟. In deficiéndo ex me spíritum meum. *Psalm.* 141.

℟. *j.* Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo * Repósita est mihi coróna justitiæ, quam reddet mihi Dóminus.

℣. Sperat justus in morte sua. * Repósita. 2. *Tim.* 4. *Prov.* 14.

℟. *ij.* Secúndùm expectatiónem & spem meam, in nullo confúndar. Magnificábitur Christus in córpore meo per mortem. * Mihi vívere Christus est, & mori lucrum.

℣. Concáluit cor meum intra me: & nunc quæ est expectátio mea? Nonne Dóminus? * Mihi. *Philip.* 2. *Ps.* 38.

℟. *iij.* Nunc, Dómine, secúndùm voluntátem tuā fac mecum, & * Præcipe in pace récipi spíritum meum. ℣. Ego enim jam delibor, & tempus resolutiónis meæ instat. * Præcipe. Glória. * Præcipe. *Tob.* 3. 2. *Tim.* 4.

IN II. NOCTURNO

Ant. 4. Dedit Dóminus ipsi fortitúdinem, & usque in senectútem permánsit illi virtus, ut vidérent omnes, quia bonum est óbsequi sancto Deo. *Eccli.* 46.

Ant. 5. Consúmptus ætáte mórtuus est plenus diérum: & sepeliérunt eum filii sui. *Gen.* 35.

Ant. 6. Flevérunt eum, & dixérunt: cécidit potens qui salvum faciébat pópulum Israël. 1. *Mach.* 9.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini

℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Ex variis Eccles. Remensis monumentis.

Lectio iv.

Sanctus Remígius Francórum Apóstolus, dum Reménsem régeret ecclésiam, miráculis clarus, & in tota Ecclésia notíssimus, patrocínium pópuli sui, & eórum qui ad ejus preces confúgiunt, apud Deum suscípere váriis etiámnùm éditis signis manifestáre non cessat. Apostólicæ non solum vitæ suis relíquit exémplum, sed sacrum usque ad hanc diem córporis pignus íntegrum & incólume divíno múnere servátum est: quo véluti monitóre, ac voce potentíssimâ ad virtútis ampléxum fidéles moveántur, & in gravióribus perículis præsens

ns ac tutissimum pro-
uxilium. In ecclésia
Christóphori prími-
nditum, cùm innú-
fulgéret miráculis,
lem ecclésia ad ho-
iórem locum transla-
st: qui quidem transl-
is dies públicis di-
poténtiæ signis adeò
ris evásit, ut in sín-
ecclésiis, Episcopó-
mandáto, ac Chris-
simórum Regum cu-
pietáte multis abhinc
is solémnis fúerit.

Poténtiâ nemo vicit
: & mórtuum pro-
ivit corpus ejus: * In
ua fecit monstra, &
orte mirabília operá-
t. ℣. Testimónium
cútus est esse justus,
iónium perhibénte
, & defúnctus adhuc
tur. * In vita. *Eccli.*
Heb. 11.

Lectio v.

Incmarus Reménsis
Archiepíscopus me-
æ sancti Remígii co-
e addictíssimus, sa-
ejus Relíquias calén-
Octóbris anni octin-
ésimi quinquagésimi
idi, è túmulo, ubi per
ot sæcula cum multa
ióne consérvátæ fúe-
rant, ampliátâ ipsíus ec-
clésiâ, cryptáque majóri
& insignióri præparátâ,
præséntibus ac anniténti-
bus provínciæ Reménsis
Epíscopis tránstulit, inte-
grúmque sacrum illud cor-
pus cum brándeo, quo
priùs repértum fúerat in-
volútum, in argénteo lo-
céllo collocávit, comitán-
tibus ac sequéntibus sa-
cram illam translatiónem
innúmeris miráculis, quæ
fecérunt fidem in cœlis
cum Christo gloriósè vi-
vere sanctum Remígium,
qui tot óperum signis ubi
corpus exánime servátur,
in terris vívere compro-
bátur. Sæviénte dein in
Gallis Normanórum gen-
te, Spárnacum sancti Re-
mígii Relíquias secum tu-
lit Híncmarus, quarum
patrocínio, munitióne hó-
minum destitútus locus,
barbarórum furórem incó-
lumis evásit. Post Hínc-
mari óbitum sacer ille the-
sáurus ad Orbacénse mo-
nastérium delátus est, ubi
étiam miráculis incláruit,
& ab illo monastério à
Fulcóne Reménsi Archi-
epíscopo cum Epíscopis
provínciæ, & innúmera
Clericórum ac populó-
rum multitúdine ad Ur-

bem relátus est, & in ecclésia Reménsi collocátus, cujus virtúte quamplúrimi sanitátem consecúti sunt.

℟. Multi eórum qui habébant spíritus immúndos clamántes voce magnâ, exíbant. * Paralytici & claudi curáti sunt: Factum est ergo gáudium magnum in civitáte.

℣. Adoravérunt & benedixérunt in cœlum, eum qui prosperávit eis. * Paralytici. *Act.* 7. 1. *Marc.* 4.

Lectio vj.

GAlliis à Barbarórum incúrsibus liberátis, Herivæus Reménsis Archiepíscopus, anno nongentésimo primo, ad ecclésiam sancti Remígii sacras rétulit Relíquias, præséntibus plúrimis Epíscopis ac Rege Cárolo, & Richárdo Burgúndiæ duce, aliísque regni procéribus. Quam translatiónem illústrem fecit claudi cujúsdam qui repens humi, ob nervórum ariditátem & póplitum contractiónem, transeúnte sacro córpore, incólumis & eréctus incéssit, divínitùs facta sanátio. In hujus rei monuméntum eréćta est Crux, quæ stat adhuc, quamvis non in eódem loco, in quo primùm pósita fúerat. Ab Abbáte Herimánno basílica sancti Remígii rursus ædificáta, à Leóne nono dedicátur, & numeróso Concílio in illo tempore hábito, sacrum sancti Remígii corpus à summo Pontífice íterum transfértur, & festívitas ejus Galliárum pópulis licet caríssima, regúmque capituláribus sancíta, Apostólico étiam decréto commendátur; quod & pósteà præstitit Clerus Gallicánus anno millésimo sexcentésimo quinquagésimo séptimo, datis ad univérsos Epíscopos lítteris. Eminentióri tandem sepúlcro cóndito, ex antiquióri capsa in áliam longè præstantiórem, flagitántibus Religiósis, tanti depósiti custódibus, sacræ Relíquiæ à Leonório Archiepíscopo translátæ sunt anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, & in eódem pénitùs statu cum ipsis velamínibus, quibus ab Hincmaro involútæ describúntur, post octingéntos annos cum incredíbili ómnium admiratióne & lætítia invéntæ fuérunt. Ad illud commúne Francórum patrocínium

unt fidéles, sæ-
pestis contágio,
gruénte, äëris tem-
arùm faustâ; & in
is demùm periculis
m sanctum Remí-
ivocant, fidei suæ
reportántes.
Concurrébat mul-
vicinárum civitá-
fferéntes ægros &
s à spiritibus im-
qui * Curabántur
℣. Misericórdia
Dómine, advéniens
illos. * Curabán-
lória. * Curabán-
tt. 5. *Sap.* 16.

I. NOCTURNO

7. Quis est ille tí-
Sepúlcrum est hó-
Dei: intácta mansé-
sa illíus. 4. *Reg.* 23.
8. Erunt Relíquiæ
in médio populó-
uasi ros à Dómino,
si stillæ super her-
Mich. 5.
Eo in loco est ve-
i quædam virtus;
pse qui habet in
habitatiónem, visi-
& adjútor est loci
Mach. 3.
Custódit Dóminus
ossa (justórum.)
Unum ex his non
étur. *Psal.* 33.

Léctio sancti Evangélii
secúndùm Joánnem.
Lectio vij. *Cap.* 14.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis, Amen, amen dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majóra horum fáciet. Et réliqua.

Homília Sancti Joánnis
Chrysóstomi.
In S. Ignat. M. n. 5.

SAnctórum non modò córpora, sed & ipsi lóculi & monuménta spiritáli grátiâ conférta sunt; nam si in Elisæo id contigit, ut defúnctus sepúlcrum ejus attíngens, mortis víncula dissólverit, & ad vitam rursum redierit; multò magis id fiet hoc témpore, quo grátia fluit ubérior, quo spiritûs major est vis, ut si cum fide áliquis arcam attíngat, magnam inde virtútem háuriat; & eam ob causam Relíquias Sanctórum nobis concéssit Deus, ut nos ad se eórum imitatióne perdúcat: & sunt nobis velut portus quidam & idóneum solátium eórum malórum quæ nos assíduè afflígunt. Quamóbrem vos omnes cohórtor, fratres, si quis vestrûm ægritúdine

ánimi, vel córporis morbo, vel quâvis áliâ calamitáte, aut peccatórum mole prémitur, ut cum fide huc accédat; & ab áliis ómnibus liberátus, magna cum lætítia revertétur, & aspéctu solo consciéntiam tranquilliórem reportábit.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum (ejus;) * Ita ut super lánguidos deferréntur à córpore ejus sudária & semicínctia, & recedébant ab eis languóres.

℣. Amplificátus est in mirabílibus suis. * Ita ut. *Act.* 19. *Eccli.* 48.

Lectio viij.

Expedit, ut non solùm ii, qui ærúmnis affécti sunt, huc sese cónferant, sed illi étiam, qui & ánimi quiéte, & glóriâ, & poténtiâ, & magnâ apud Deum fidúciâ perfruúntur, hanc utilitátem non négligant. Qui enim huc accédit, & sanctum videt, bona hæc effíciet stabilióra, & memóriâ rectè factórum ejus, ánimum suum reddet moderatiórem, nec consciéntiam suam bonis opéribus efférri atque intuméscere patiétur... Utilis ígitur cunctis hic thesáurus est, & refúgium opportúnum, tam iis qui lapsi sunt, ut à tentatiónibus liberéntur, quàm iis qui prósperè ac felíciter degunt, ut diu fruántur bonis: illis qui morbis labórant, ut bonam valetúdinem consequántur: illis qui cómmodâ gaudent valetúdine, ne in morbum áliquem incúrrant.

℟. Accessérunt omnes à parvo usque ad magnum, dixerúntque: Cadat orátio nostra in conspéctu tuo, & * Ora pro nobis ad Dóminum. ℣. Multùm valet deprecátio justi assídua. * Ora. *Jerem* 42. *Jac.* 5.

In Ss. Martyr. Ægyptios.
Lectio ix. §. 1.

Sanctórũ córpora quovis adamantíno & inexpugnábili muro tútiùs nobis urbem múniunt, & tanquam excélsi quidam scópuli úndique prominéntes; non horum, qui sub sensus cadunt, & óculis cernúntur, hóstium ímpetus propúlsant tantùm, sed étiam invisibílium dæmonum insídias, omnésque diáboli fraudes subvértunt ac díssipant..... neque verò tantùm adversùs hóminum insi-

dias, aut advérsùs fallácias dæmonum útilis nobis est hæc posséssio: sed etsi nobis commúnis Dóminus ob peccatórum multitúdinem irascátur, his objéctis corpóribus, contínuò potérimus eum propítium réddere civitáti.

℟. Natus est firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli: * Ossa ipsíus visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt.

℣. Sepúlcrum ejus est apud nos usque in hodiérnum diem. * Ossa. Glória. * Ossa. *Eccli.* 49. *Act.* 2.

AD LAUDES

Ant. 1. Cum te consúmptum putáveris, oriéris ut lúcifer, & deprecabúntur fáciem tuam plúrimi. *Job.* 11.

Ant. 2. Vir amátor civitátis & benè áudiens, pro afféctu pater appellabátur. 2. *Mach.* 14.

Ant. 3. Deprecátio illíus usque ad nubes propinquábit & non discédet, donec Altíssimus aspíciat. *Eccli.* 35.

Ant. 4. Consolábitur nos ab opéribus & labóribus mánuum nostrárum in terra. *Gen.* 5.

Ant. 5. Quæsívit bona genti suæ; & nominátum est nomen glóriæ ejus usque ad extrémum terræ. 1. *Mach.* 14.

Capitulum 1. Paral. 17.

Domine, propter fámulum tuum, nota esse voluísti univérsa magnália, & tu, Dómine, factus es Deus ejus.

℣. Dabis eum, Dómine, in benedictiónem,

℟. In sæculum sæculi. *Psalm.* 20.

Ad Benedíctus

Ant. 7. Statuísti, Dómine, ut transferréntur ossa (ejus) & posuísti templum, in quo invocátum est nomen tuum in ipso. *Bar.* 2.

Oratio

Deus qui nos beáti Remígii Pontíficis nostri præsidio circúmdas & prótegis, translatiónem córporis ejus celebrántes exáudi, ut assíduis tanti Patróni suffrágiis, tuam semper misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Per Dóminum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ.

Oratio ibidem.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* Magna est glória ejus in Salutári tuo Dómine. Allel. all. Magna.

℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. Allelúia, allelúia. Magna. Glória. Magna. *Psalm.* 20.

℣. Mirificávit Dóminus sanctum suum,

℟. Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum. *Psalm.* 4.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Justus ut palma florébit. All.all.Justus.

℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. Allelúia, allel. Justus. Glória. Justus. *Ps.* 81.

℣. Date glóriam Deo,

℟. Mirábilis Deus in sanctis suis. *Ps.* 67.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 44.

SUnt quorum non est memória: periérunt quasi non fúerint; sed córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem.

℟. Custódi innocéntiam, (Dómine) & vide æquitátem. All. all. Custódi. ℣. Quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico. Allelúia, allelúia. Custódi. Glória. Custódi. *Ps.* 36.

℣. Omnia ossa mea dicent:

℟. Dómine, quis símilis tibi? *Ps.* 34.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus. Capitulum, Hymnus & Versus ut in I. Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 1. Hic est fratrum amátor & pópuli: hic est qui multùm orat pro pópulo & univérsa civitáte. 2. *Mach.* 15.

Oratio ut supra ad Laud.

Commem. S. Leodegarii Episcopi & Martyris per Ant. Nemo patiátur *pag.* viij. *de Comm. unius Mart.*

Oratio ut infra.

DIE II.

In Festo

S. LEODEGARII MARTYRIS ATQUE PONTIFICIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij.*

Oratio

DEus, qui beátum Leodegárium Mártyrem tuum atque Pontíficem in

agóne probásti, & probátum in dolóre sustentásti, præsta fámulis tuis, ut qui glóriam non meremur, indulgéntiam ipso interveniénte, adipísci mereámur. Per Dóminũ.

Ex Anonymo & Ursino apud Duchesne, & Mabill. sæc. 2. Bened.

Lectio iij.

LEodegárius, primùm Pictaviénsis Archidiáconus, ac deínde Monastérii sancti Maxéntii Abbas, postrémò Augustodunénsium Epíscopus creátus est, cui ecclésiæ decem annis præfuit. Cùm autem Childéricum secúndum, qui in regni administratióne illíus óperâ utebátur, argúeret quod antíquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi duxísset uxórem, in Luxoviénse monastérium, quò relegátus ántea fúerat Ebróïnus Major palátii, amandátus est. Utérque rege mórtuo, in prístinum gradum est restitútus. Sed Ebróïnus se in monastérium, Leodegário auctóre, detrúsum fuisse ratus, Didónem quondam Cabilonénsium Epíscopum, & Bolbónem è Valentína sede ejéctum, ac Vaïmérum ducem Campániæ cum exércitu Augustodúnum misit, qui eum comprehénderent. Re cógnitâ, sanctus Antístes, erogátis in páuperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, & factis circùm urbis mænia cum cruce & Relíquiis Sanctórum, supplicatiónibus, Christi córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas sui causâ paterétur, sponte se trádidit inimícis; qui illum statim, óculis evúlsis, in monastérium conjecérunt. Inde váriis cruciátum torméntis, præcísis ipsi lábiis & linguâ, in cænóbium Fiscannénse, cui Hildomárca Abbatíssa sanctíssimè præerat, sub custódia asservándum detrusérunt. Ibi per biénnium demorátus, quotídie sacra faciébat. Dénique in palátium ductus, quò nonnúlli Epíscopi convénerant, cùm linguæ offício nihilò séciùs uterétur, discíssâ túnicâ, Episcopáli dignitáte spoliátus, conjéctus est in cárcerem: ex quo in sylvam territórii Atrebaténsis, ejus pósteà nómine insignítam, à quá-

tuor sicáriis abdúctus, cápite truncátus est, anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Corpus ejus ibi apud Sarcíngum sepúltum, inde post biénnium ad Pictónes, váriis in itínere patrátis miráculis, delátum est, & in basílica sancti Maxéntii honorificè cónditum.

Die III.

In Festo

SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ Episcopi & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij*.

Oratio.

ILlúmina, quæsumus, Dómine, méntis nostræ ténebras, qui ad beáti Pauli Apóstoli prædicatiónem Dionysium Areopagítam in admirábile lumen Evangélii transtulísti. Per.

Ex Act. Apost. & variis monument. Lectio iij.

DIonysius, civis Atheniénsis, cùm in médio Areópagi, ubi sedébat judex, Paulum concionántem audivísset, ei statim adhærens, Christi fidem ampléxus est. Eum Atheniénsis ecclésiæ primum fuisse Epíscopum refert sanctus Dionysius Corinthiórum Epíscopus, in ea quam scripsit ad Atheniénses Epístola. Tandem verò post claríssimam confessiónem fidei, & gravíssima tormentórum génera glorióso martyrio coronátus est. Extat hujus matyrii ad tértium Octóbris diem Athénis memória; cùm in martyrológio quod Románus Póntifex olim Aquiléïam transmísit, ac póstmodùm sanctus Ado Viennénsis, circà médium noni sæculi, apud Ravénnam, própriâ manu exscrípsit; tum in réliquis martyrológiis ferè ómnibus latinórum. Caput beáti Mártyris in Constantinopolitánæ urbis capélla imperiáli repósitum, sub inítium sæculi décimi tértii, Nivelóni Suessionénsi Epíscopo à Balduíno, primo è latínis imperatóre donátum est, & in Longipontánum Ordinis Cisterciénsis monastérium in Diœcési Suessionénsi deportátum. Aliæ verò Areopagítæ Relíquiæ ab Innocéntio Papa tértio ad monastérium sancti Dionysii in Fráncia trans-

missæ sunt, ubi religiósè colúntur.

Die iv.

In Festo

SANCTI FRANCISCI ASSISINATIS.

Simplex.

Omnia de Communi Justorum pag. *xlj.* *Oratio*

DEus, qui te párvulis & humilibus reveláre non dedignáris, tribue nobis, quæsumus, imitatióne beáti Francísci & stultam hujus mundi despícere sapiéntiam, & solum edíscere Jesum Christum crucifixum, qui tecū.

Lectio iij.

FRancíscus, Assísii in Umbria natus, à prima ætáte mercatúram fecit. Cùm páuperem eleemósynam flagitántem præter morem repulísset, ádeò commótus est, ut Deo promíserit se némini poscénti eleemósynam unquam negatúrum. Post gravem morbum ex quo convaluit, cœpit cólere ardéntiùs offícia caritátis; ita ut quidquid habéret, paupéribus largirétur. Cùm illud ex Evangélio audísset: Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, sibi eam régulam servándam propósuit. Ad quem cùm duódecim sócii, quos Minóres appellári vóluit, se adjunxíssent, Romam se recépit ad Innocéntium tértium, qui ipsíus vitæ institútum probávit. Romá revérsus, cum sóciis in tugúrio juxta Assísium habitávit, ubi in labóre multo magnáque inópia victitábant. Tunc dócuit eos Francíscus Dóminum laudáre in ómnibus & ex ómnibus creatúris, honoráre præcipuâ reveréntiâ sacerdótes, fidei quoque veritátem quam Romána tenet ecclésia firmiter crédere & simplíciter confitéri. Vix sustentándæ natúræ necessária sumébat, cibariáque aut cíneris aut aquæ admixtióne ut plúrimùm reddébat insípida. Egrédiens tamen extériùs, propter verbum Evangélii conformábat se suscipiéntibus ipsum in qualitáte cibórum. Nuda humus frequéntiùs lectus erat lassáto córpori, & sæpiùs sedens, ligno, vel lápide ad caput pósito dormiébat. Unicâ

páupere conténtus túnicâ, in nuditáte Deo serviébat & frígore. Franciscus autem martyrii cúpidus in Syriam trajécit, ubi à Meledíno Babylónis Ægypti Soldáno liberáliter excéptus, cùm nihil proficeret, rédiit in Itáliam. Gráviter ægrótans deférri voluit in ecclésiam sanctæ Maríæ Angelórum, ut ubi grátiæ Spíritum accéperat, ibi spíritum vitæ rédderet. Obiit anno Christi millésimo ducentésimo vigésimo sexto. Hunc miráculis ante & post mortem clarum, paulò post Gregórius nonus in sanctórum númerum adscrípsit.

DIE VI.

In Festo

SANCTI BRUNONIS

ANACHORETÆ.

In Metropol. & Collegiatis

Duplex-majus.

Extra

Semiduplex - minus.

Omnia de Communi Anachoretarum pag. *xxxv.*

Oratio

SAncti Brunónis, quæsumus, Dómine, intercessiónibus adjuvémur; ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis & précibus nostrórum delictórum véniam consequámur. Per.

AD MATUTINUM.

¶ *Extrà Metropol. fit Officium eo modo.*

Prima Lectio, Scriptura occurrens, è tribus fit una; secunda Lectio, prima II. Nocturni; tertia Lectio, secunda & tertia ejusd. Noct. è duab. fit una.

IN II. NOCTURNO

Ex Petro Cluniac. Guiberto, & ex S. Brunonis vita à variis auctor. scripta.

Lectio iv.

BRuno, Colóniæ Agrippínæ natus, post eménsa Parísiis, grammáticæ, philosóphiæ, & theológiæ stúdia, ecclésiæ sancti Cunibérti Coloniénsis primùm, deinde Reménsis ecclésiæ canónicus, ibidémque magnórum studiórum Rector eléctus est; in qua dignitáte, velut lampas ardens & lucens, divínæ sciéntiæ & pietátis lumen effúdit: & quasi colúmna, pro ejúsdem ecclésiæ felicióri statu

promovéndo, plures labóres fórtiter sustínuit. Solitúdinis amóre flagrans, cum sex áliis familiáribus mundo valedícens, sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit: qui causâ eórum advéntûs cógnitâ, eósque esse intélligens, quos eâdem nocte velut septem stellas ad suos pedes corruéntes in somnis víderat, perhumániter & benignè suscépit; atque voto summópere commendáto, inter montes suæ Diœcéseos, qui Carthusiáni dicebántur, desiderátam eis concéssit solitúdinem. Ibi ædificáto Oratório ac céllulis separátim extrúctis, bini in síngulis habitántes, siléntio, oratióni, lectióni júgiter inténti, cibo pasti parcíssimo, ad nudum cilício indúti sub veste angústa & hirsúta, in asperióri disciplína, cœléstis vitæ sancta quædam prælibábant ótia; statis tamen horis óperi mánuum, præsértim conscribéndis libris incumbéntes; tum ut suæ inópiæ consúlerent, tum ut mánibus saltem, quod ore non possent, verbum Dei prædicárent. *Lectio v.*

Hugónem Epíscopum, intérdum nímio solitúdinis amóre diútiùs apud eos commorántem, Bruno subinde his verbis admonébat: Redi ad oves tibi commíssas, eísque quod debes fidéliter exsólve. Eúmdem étiam, cùm paupertátis & humilitátis stúdio incénsus, equos suos véndere, & divíso paupéribus prétio, Diœcésim suam pédibus obíre veheménter optáret, à propósito dimóvit; véritus scílicet, ne ille, aut de tanta virtúte sibi blándiens, ipsâ humilitáte superbíret, aut de singularitáte à cæteris carperétur Epíscopis, aut propter itínerum asperitátem officio suo minor fíeret. Post sex ferè annos in secéssu exáctos, Brunónem Romam accívit Urbánus secúndus, summus & pius Póntifex, ex illústri família Castilliónæórum ad Matrónam, in província Reménsi, ortus; quique Reménsis ecclésiæ canónicus & Brunónis discípulus fúerat. Quem Bruno, postquam in Synodis celebrándis, gerendísque árduis Eccle-

siæ negótiis consílio suo per triénnium adjuvísset, ab eódem facultátem obtínuit erémi repeténdi; recusáto fórtiter non minùs quàm humíliter Archiepiscopátu Rhegiénsis ecclésiæ, quæ prima est tótius Calábriæ Metrópolis. Etenim altióra spirans & sperans vir Dei, rursum contémptis mundi honóribus, tanto solitúdinis amóre tenebátur, tantis divinárum contemplatiónum delíciis fruebátur in secéssu, ut de eárum suavitáte elegántem scrípserit Epístolam ad Rodúlphum, cognoménto Víridem, Reménsis ecclésiæ Præpósitum, quem amóre singulári semper prosecútus fúerat, & qui pósteà ob præcláram meritórum glóriam, ad sedem Archiepiscopálem Remórum eréctus fuit.

Lectio vj.

Cum autem Urbánus, post celebrátum Placéntiæ Concílium, in Gálliam profectúrus esset, métuens Bruno, ne si ad optátam Carthúsiam reverterétur, aut Románam cúriam effúgere non posset, aut eam sequi viderétur, secéssit in erémum prope Scyláceum in Calábria; ubi Monastérium ædificávit, liberalitáte usus Rogérii Calábriæ Cómitis; cui post annum Cápuam obsidénti per visum nocte appáruit, eúmque ab insídiis Sérgii Ducis Græcórum in ipsíus exércitu militántium liberávit. Quamóbrem ut vir divínus, per illíus desérti vastitátem devotiónis & caritátis ardóres ferventiùs fovére posset, Rogérius suis impénsis plures constrúxit ecclésias, præsértim sanctæ Maríæ, & sancti Stéphani de Erémo, quas multis & magníficis donáriis adornávit; ubi Bruno noctes atque dies siléntio, jejúniis, oratióni, sacris Libris perlegéndis, atque piè, doctè & elegánter elucidándis incúmbens, sanctam vitam perégit, & peráctam sanctióris mortis felicitáte cumulávit. Morti próximus, fídei suæ professiónem coram frátribus édidit, eámque contra errórem Berengárii conclúsit his verbis: Credo étiam sacraménta quæ sancta credit & venerátur Ecclésia; & nominátim panem & vinum quæ consecrántur in

altári, post consecratiónem verum corpus esse Dómini nostri Jesu Christi, veram carnem, & verum sánguinem, quæ & nos accípimus in remissiónem peccatórum nostrórum, & in spe salútis ætérnæ. Quiévit in Dómino anno millésimo centésimo primo, prídie Nonas Octóbris.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore, Dixit Jesus Discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília Sancti Brunónis Confessóris.

Ex Serm. 5. de Confess.

NOn possunt álii esse lucérnæ ardéntes, nisi illi, qui lumbos præcínctos habent. Lucérnæ quidem esse possunt; ardéntes esse non possunt. Nisi enim ignis inférior extinguátur, supérior lucére non potest. Inférior ignis, luxúria est: supérior verò quis álius, nisi grátia Spíritus Sancti; lucérnæ autem ipsi sunt, qui nisi continéntiam, & castitátem habúerint, non lumen, & claritátem, sed ténebras ministrant, & cæcitátem. Cæcus enim si cæcum dúxerit, ambo in fóveam cadunt: Dómini senténtia est. Qui autem lucérna ardens esse vult, lumbos præcíngat, continéntiam & castitátem custódiat.

Lectio viij.

SIc enim præcínctos esse opórtet, qui Salomónis custódiunt lectum. Lectus Salomónis est Ecclésia, illíus vidélicet Salomónis qui ait: Ecce plusquàm Sálomon hic. Undè illi benè præcíncti sunt, qui super femur suum suum gládium habent: illum vidélicet gládium, quo castíssima Judith Holoférnem interfécit. Apóstolus enim non solùm Epíscopos & Sacerdótes, verùm etiam omnes Christiános, sanctos, & continéntes esse jubet, cùm dicit: Qui habent uxóres, tanquam non habéntes sint, & qui solútus ab uxóre, non ducat uxórem.

Lectio. ix. *Serm.* 7.

SEquitur, Beáti servi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit

est in eis quod Dóminus subsequénter adjúnxit: Et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui perdíderit, inquit, propter me. Tota causa ibi est. Qui perdíderit, non quomodocúmque, non quâlibet causâ, sed propter me. Illi enim in prophetía jam dixérunt Mártyres: propter te mortificámur totâ die. Proptéreà Mártyrem non facit pœna, sed causa.

Die XII.

In Festo

S. DONATIANI

ARCHIEPISC. REMENS.

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix*.

Oratio

AUres pietátis tuæ, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína, & beáti Donatiáni Pastóris nostri auxílium humíliter implorántes, ejus ætérnæ beatitúdini consócia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ex Flodoard. hist. Rem. & Marl. Lib. 1. Bolland. Tom. 5. Maii & aliis.

Lectio ij.

DOnatiánus in órdine Reménsium Archiepíscopórum octávus, Romà oriúndus, patre scílicet Cornélio viro Patrício, & Liciniâ ejus uxóre procreátus; ortu autem Gallus, útpote qui in Gálliis concéptus & in lucem éditus fuit, succéssit sancto Materniáno. Ad Pontificátûs honórem evéctus, illórum qui ejúsmodi officio Pontificáli præcésserant, dignum se præbuit successórem; atque commísso sibi gregi, doctrínâ Christiánâ, & vitæ sanctitátis exémplo præfuit. Spectátam illíus virtútem fácilè índicat gloriósus & éminens Confessóris títulus, quo in dypticis ecclesiásticis insignítur. Quippe ex eórum número erat Episcopórum, qui invincíbili strenuitáte, & nervósâ eloquéntiâ Gállias tunc témporis tantóperè illustrábant: de quibus sanctus Hierónymus scribens contra Vigilántium, dicit: flectebátur leni jugo Christi ferócitas Gallórum, curvabátur império fídei cervicósitas Germanórum,

& Gallicánus cothúrnus, qui monſtra non hábuit, viris fórtibus & eloquéntibus ſemper abundávit.

Lectio iij.

Vitâ functus Donatiánus, extra urbem cum prædeceſſóribus ſuis Archiepíſcopis in cœmetério ſanctorum Vitális & Agrícolæ, nunc basílicæ divo Nicáſio ſacræ, ſepúltus eſt, ubi fertur váriis claruíſſe miráculis. Inde levátum illíus corpus, témpore Híncmari qui Ebóni in ſede Reménſi ſuccéſſerat, Brugas in Flándria tranſlátum eſt, & à Balduíno Cómite depóſitum in æde beátæ Vírginis Maríæ, quæ nunc eſt ſancti Donatiáni, & in Cathedrálem erecta eſt anno milléſimo quingentéſimo quinquagéſimo nono. Hanc váriis illuſtrátam miráculis, ſancti Donatiáni méritis & interceſſióne tradunt illíus provínciæ ſcriptóres, à cujus íncolis ut totíus Flándriæ marítimæ patrónus religioſíſſimè cólitur.

✠

Die xiv.

In Feſto

SANCTI CALIXTI PAPÆ ET MARTYRIS.

In Eccleſia Metropolitana Duplex-minus.

Extrà Semiduplex-minus.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij*.

Oratio

Deus, qui nos cónſpicis, ex noſtra infirmitáte defícere: ad amórem tuum nos misericórditer per beáti Calíxti Mártyris tui atque Pontíficis exémpla reſtáura. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

¶ *Extrà Metropol. fit Officium eo modo Prima Lectio, Scriptura occurrens, è tribus fit unâ; ſecunda Lectio, ea quæ eſt de S. Calixto; tertia Lectio, Sermo S. Cypriani è duabus fit una.*

IN II. NOCTURNO

Apud Surium Tom. 5. & Mombrit. Tom. 2.

Lectio iv.

Caliſtus, qui & Calíxtus poſt óbitum Zephiríni Románæ præfuit eccléſiæ.

sub inítium anni ducentésimi décimi noni, imperánte Heliogabáldo, cui, ante mortem Calíxti, succéssit in império Alexánder. Eo témpore Ecclésia Christi summâ pace fruebátur. Is tamen cùm exegísset in Pontificátu annos quinque, martyrio coronátus est. Extat Romæ, in via Appia vetus cœmetérium ejus nómine nuncupátum, in quo plúrimi Mártyres sepúlti sunt. Hoc cœmetérium ipse vel erexit vel ampliávit favénte Christiánis Alexándro imperatóre, cujus mater Mamæa, teste Lamprídio, Christi fidem profitebátur. Sancti Calíxti Relíquias religiósè assérvat & colit ecclésia Metropolitána.

Ex Epist. S. Cypriani 56. de Exhort. Martyrii ad Thibaritanos.

Lectio v.

AD agónem sæculárem exercéntur hómines & parántur; & magnam computant glóriam honóris sui, si illis spectánte pópulo & imperatóre præsénte contígerit coronári. Ecce Agon sublímis & magnus, & corónæ cœléstis præmio gloriósus, ut spectet nos certántes Deus: & super eos quos fílios fácere dignátus est, óculos suos pandens, certáminis nostri spectáculo perfrúitur. Præliántes nos & fidei congressióne pugnántes spectat Deus, spectant ángeli ejus; spectat & Christus. Quanta est glóriæ dígnitas! quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, & Christo júdice, coronári! Armémur víribus totis, & parémur ad agónem mente incorrúptâ, fide íntegrâ, virtúte devótâ. . . . . . Armat nos & præparat Apóstolus dicens: indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus & tutum. Calceáti sint Evangélico magistério & armáti pedes; ut cùm serpens calcári à nobis cœperit, mordére & supplantáre non possit.

Lectio vj.

POrtémus fórtiter scutum fidei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimícus, possit extíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleam

salutárem, ut muniántur aures, ne áudiant edícta ferália: muniántur óculi, ne videant deteſtánda ſimulácra: muniátur frons, ut ſignum Dei incólume ſervétur: muniátur os, ut Dóminum ſuum Chriſtum victrix lingua fateátur. Armémus & déxteram gládio ſpirituáli, ut ſacrifícia funéſta fórtiter réſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipſum compleĉtátur, póſteà à Dómino ſumptúra præmium cæléſtium coronárum. O dies ille qualis & quantus advéniet, fratres dilectíſſimi, cùm cœperit Dóminus pópulum ſuum recenſére & divínæ cognitiónis exámine ſingulórum mérita recognóſcere, míttere in gehénnam nocéntes, & perſecutóres noſtros flammæ pœnális perpétuo ardóre damnáre, nobis verò mercédem fídei & devotiónis exſólvere! Quæ erit glória & quanta lætítia admítti, ut Deum vídeas; honorári, ut cum Chriſto Dómino Deo tuo ſalútis ac lucis ætérnæ gáudium cápias!

IN III. NOCTURNO

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore, dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nihil opértum, quod non revelétur: neque occúltum, quod non ſciátur. Et réliqua.

Homília Sancti Hilárii Epíſcopi.

Comment. in Matth. C. 20.

DOminus diem judícii oſténdit, quæ abſtrúſam voluntátis noſtræ conſciéntiam prodet: & ea quæ nunc occúlta exiſtimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non poteſtátes inſectántium monet eſſe metuéndas: quia dies judícii, nulla hæc fuíſſe atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: & quod in aure audítis, prædicáte ſuper tecta. Non légimus Dóminum ſólitum fuíſſe nóctibus ſermocinári, & doctrínam in ténebris tradidíſſe: ſed quia omnis ſermo ejus, carnálibus ténebræ ſunt, & verbum ejus infidélibus nox eſt.

Lectio viij.

ITaque id quod à se dictum est, cum libertáte fidei & confessiónis vult esse loquéndum: idcircò quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine: ut quæ secrétò áurium commissa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constántes enim Dei ingerénda cognítio est, & profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum lúmine prædicatiónis Apostólicæ revelándum: non timéntes eos, quibus cùm sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: Sed timéntes pótiùs Deum, cui perdéndæ, in gehénna & ánimæ & córporis sit potéstas.

Lectio ix.

NOlite timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor: quando pro naturæ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, quâ tenerémur adjécit: negatúrum se eum Patri in cælis qui se homínibus in terra negásset: eum porro qui conféssus coram homínibus se fuísset, à se in cælis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Post II. VESPERAS *commemor. S. Theresiæ per Ant.* Córpora *pag.* xlvij. *de Comm. Ss. Virginum.*

Oratio ut infra.

DIE XV.

In Festo

SANCTÆ THERESIÆ VIRGINIS.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Virginum pag. *xlvj.*

Oratio

DEus, qui beátæ Vírginis Theréstiæ mónitis & exémplo servos tibi & ancillas suscitásti, in quos de spíritu tuo effúnderes: da nobis, ejus imitatióne ac précibus, & cæléstis doctrínæ pábulo nutríri, & veræ perfectiónis desidério accéndi. Per Dóminum; ..... in unitáte ejúsdem.

Ex S. Theres. vita & oper.

Lectio iij.

Therésia Abulæ in Hispánia nata, ex perléctis in ténera ætáte mártyrum actis, magnum hausit pietátis sensum; qui pósteà tum equéstrium fabellárum lectióne, tum affinium consuetúdine imminútus est; sed moniálium, quarum disciplínæ commíssa fúerat, institutióne, & Epistolárum beáti Hierónymi lectióne sic revíxit, ut vigésimo secúndo ætátis anno, in Abulénsi Carmelitárum Cænóbio, vitæ religiósæ votum emíserit. Ibi humilitátis ac charitátis opéribus, assíduo præsértim erga infirmas soróres ministério, patientiâque singulári in váriis tentatiónibus, gravibúsque morbis per annos ferè vigínti perferéndis excélluit. Cùm tamen aliquándiù, sæculárium familiaritáte, oratiónis intermissióne, & confessariórum imperítiâ, áliquid de fervóre pietátis remisísset; tandem ex lectióne confessiónum sancti Augustíni, ad Deum pénitùs revérsa ingéntes in virtúte *progréssus fecit.* Multis exínde illustratiónibus à Deo donáta est, quas tamen superiórum arbítrio subjiciébat, dicere sólita se in revelatiónibus décipi posse, in obediéntia néutiquam. Tanto patiéndi æstuábat desidério, ut eos à quibus lædebátur, máximè dilígeret, ac sæpè exclamáret: Dómine, aut pati, aut mori. Ordinis Carmelitárum reformatiónem aggréssa, multa virórum ac mulíerum Monastéria instítuit, plúrimas ob id contumélias, ipsum étiam cárcerem passa. Insígnē in Ordine cooperatórem nacta est Joánnem, de Cruce dictum, admirándæ sanctitátis & patiéntiæ virum, qui tamen ejus exémplo, plúrimùm se profecísse in spiritális propósiti perfectióne sæpiùs testátus est. Cujus perfectiónis consílium Therésia tam altè ánimo infíxit, ut votum emíserit efficiéndi semper quidquid perféctius intellígeret. Soróribus suis oratiónem advérsùs grassántes hæreses, labórem mánuum & paupertátis stúdium præcípuè commendávit. Nihílque cárius hábuit, quàm ut Vírgines sine dote ad-

mitteret. Libros scripsit cœléstem pietátem spirántes. Albæ ad Tormim decúmbens, Ecclésiæ Sacraméntis muníta, ánimam Deo réddidit anno salútis millésimo quingentésimo octogésimo secúndo, ætatis sexagésimo octávo. Quam ante & post óbitum miráculis claram Gregórius décimus quintus sanctis adscrípsit.

Die xvi.

In Festo

SANCTI BALDERICI COENOBITÆ.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Anachoretarum p. *xxxv.*

Oratio Quæréntium *p.* xl. *ibidem.*

Ex Flodoardo & aliis.

Lectio iij.

BAldéricus Présbyter, sanctæ Bovæ frater, illústri génere ortus, Regis Sigibérti, ut quidam exístimant, filius, Remis puellárum Monastérium, quod Supérius à loci situ nuncupátur, in honórem sanctæ Maríæ & sancti Petri constrúxit, cujus póstmodùm Bova elécta est Abbatíssa. Constrúcto monastério, Baldéricus secéssit in locum quemdam, quem montem Falcónis dicunt, densis opértum & hórridum sylvis; quas ipse succídens, próprio sibi labóre in illo cóndidit habitáculum. Ubi diu Deo devótè & quiétè servívit; & nonnúllis piis ac Deum timéntibus, eídem Baldérico facultátes suas conferéntibus, cœnóbium sub honóre sancti Germáni ædificávit. Quibus perábtis, tandem Remos ad sorórem suam Bovam revérsus, íbidem últimum sui cursûs diem clausit, & sepúltus non módico témpore requiévit. Corpus ejus tandem ad dictum sancti Germáni cœnóbium translátum est, quod in ecclésiam Collegiálem, ante témpora Cároli Calvi convérsum esse téstátur Flodoárdus.

Die xvii.

In Festo

SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Ephes. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios ve-

rò Evangelístas, álios autem Pastóres, & Doctóres ad consummatiónem sanctórũ in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

℟. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei: * Pœnitémini, & † Crédite Evangélio. ℣. Ecce super montes pedes evangelizántis & annuntiántis pacem. * Pœnitémini. Glória. † Crédite. *Marc.* 1. *Nahum.* 1.

HYMNUS

CHRISTI perénnes núntii,
Retécta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis:

OLIM sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidístis hæc pleno die.

HUMANA quæ tulit Deus,
Divina quæ gessit homo,
Seris legénda pósteris,
Dictánte scripsístis Deo.

LOCO remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus,
℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magnificat

Ant. 5. Exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: exálta, noli timére: Ecce bráchium Dómini dominábitur. *Is.* 40.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM

Invitat. Deum qui vocávit nos in fide veritátis per Evangélium, * Venite, adorémus. 2. *Thes.* 2.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Ecce sedes pósita erat in cœlo, & in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante & retro. *Apoc.* 4.

Ant. 8. Aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, & quasi aspéctus lampadárum. *Ezec.* 1.

Ant. 7. Ubi erat im-

petus Spíritûs, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. *Ezech.* 1.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur; ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

℟. *j.* Quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas, & in circúitu, & intus plena sunt óculis, & réquiem non habébant, die ac nocte, dicéntia * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens.

℣. Audívi vocem commotiónis magnæ: benedícta glória Dómini de loco suo. * Sanctus. *Apoc.* 4. *Ezech.* 3.

℟. *ij.* Vidi, & ecce nubes magna, & ignis invólvens; & de médio ejus quasi spécies eléctri, & in médio ejus similitúdo quátuor animálium. * Audiébam sonum alárum, quasi sonum sublímis Dei, cùm ambulárent. ℣. Animal primum símile leóni; & secúndum ánimal símile vítulo; & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis; & quartum ánimal símile áquilæ volánti. * Audiébam *Ezech.* 1. *Apoc.* 4.

℟. *iij.* Quanta audívimus, & cognóvimus ea; & * Patres nostri narravérunt nobis, narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus & mirabília ejus quæ fecit. ℣. Evangelizavérunt nobis, Spíritu Sancto misso de cœlo, quæ in Christo sunt, passiónes & postériores glórias. * Patres. Glória. * Patres. *Ps.* 77. 1. *Petr.* 1.

IN II. NOCTURNO

Ant. 4. Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Scribe ómnia verba, quæ locútus sum ad te, in libro. *Jerem.* 30.

Ant. 5. Scriptus est liber monuménti coram Dómino timéntibus Dóminum & cogitántibus nomen ejus. *Malach.* 3.

Ant. 6. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in ætérnum. *Baruc.* 4.

℣. Scribántur hæc in generatióne áltera: ℟. Et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum. *Ps.* 101.

Ex Libro S. Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv. *Cap.* 7.

LUcas, médicus Antiochénsis, ut ejus scripta índicant, Græci

Græci sermónis non ignárus, fuit sectátor Apóstoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et ad Colosséns es: Salútat vos Lucas médicus caríssimus. Et ad Timótheum, Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título Acta Apostolórum prænotátur; cujus históriа usque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus in eádem urbe librum esse compósitum.

℟. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & * Conscrípsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. ℣. Ut cognóscas eórum verbórum, de quibus eruditus es, veritátem, * Conscrípsit. *Eccle.* 12. *Luc.* 1.

Lectio v.

IGitur peregrinatiónes Pauli & Theclæ, & totã baptizáti Leónis fábulam inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut individuus comes Apóstoli, inter cæteras ejus res, hoc solùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus vicínus illórum témporum, refert Presbyterum quemdam in Asia amatórem Apóstoli Pauli, convíctum à Joánne quòd auctor esset libri, & conféssum se hoc Pauli amóre fecisse, ob id loco excidisse.

℟. Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit in códice; renovávit sapiéntiam de corde suo. * Beátus qui in istis versátur bonis; qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper. ℣. Discípulus qui testimónium pérhibet de his, scripsit hæc; & scimus quia verum est testimónium ejus. * Beátus. *Eccli.* 50. *Joan.* 21.

Lectio vj.

QUidam suspicántur, quotiescúmque in Epístolis suis Paulus dicit, Juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine; & Lucam non solùm ab Apóstolo Paulo didicisse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed & à cæteris

Apóstolis. Quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis qui à princípio ipsi vidérunt, & minístri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit; Acta verò Apostolórum, sicut víderat, compósuit. Vixit octogínta & quátuor annos, uxórem non habens. Sepúltus est Constantinópoli; ad quam urbem, vigésimo Constántii anno, ossa ejus cum Relíquiis Andréæ Apóstoli transláta sunt de Achaïa.

℟. Omnis Prophetía Scriptúræ própriâ interpretatióne non fit: * Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquándo Prophetía: sed †Spíritu Sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines. ℣. Spíritus est in homínibus, & inspirátio Omnipoténtis dat intelligéntiam. * Non enim. Glória. † Spíritu Sancto. 2. *Pet.* 1. *Job.* 32.

IN III. NOCTURNO

Ant. 4. Spíritus Dómini locútus est per me, & sermo ejus per linguam meam. 2. *Reg.* 23.

Ant. 2. Vox mea ad Fílios hóminum: Accípite disciplínam meam; doctrínam magis quàm aurum elígite. *Prov.* 8.

Ant. 1. Suscípite insitum verbum quod potest salváre ánimas vestras. *Jacobi.* 1.

℣. Atténdite, pópule meus, legem meam:

℟. Inclináte aurem vestram in verba oris mei. *Psal.* 77.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1.

QUóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem, quæ in nobis complétæ sunt, rerum. Et réliqua.

Homília Sancti Ambrósii Epíscopi.

Exposit. Evang. secundùm Luc. Lib. 1.

ECclésia, cùm quátuor Evangélii libros hábeat, per univérsum mundum Evangelistis redúndat: hæreses cùm multa hábeant, unum non habent. Multi enim conáti, sed Dei grátiâ destitúti sunt... Conáti útique illi sunt, qui implére nequivérunt. Ergo multos cœpisse, nec implevísse étiam sanctus Lucas testimónio locupletióre testátur, di-

cens plúrimos esse conátos. Qui enim conátus est ordináre, suo labóre conátus est, nec implévit. Sine conátu sunt enim donatiónes & grátia Dei, quæ ubi se infúderit, rigáre consuévit, ut non égeat, sed redúndet scriptóris ingénium. Non conátus est Matthæus, non conátus est Marcus, non conátus est Joánnes, non conátus est Lucas: sed divíno Spíritu ubertátem dictórum rerúmque ómnium ministránte, sine ullo molímine cœpta complevérunt.

℟. Super montem excélsum ascénde, tu qui evangelízas Sion: * Dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester. ℣. Séquere me, vade, & annúntia regnum Dei. * Dic. *Is.* 40. *Luc* 9.

Lectio viij.

VIsum est, inquit, & mihi. Potest étiam non soli visum esse, quod visum sibi esse declárat. Non enim voluntáte tantùm humánâ visum est; sed sicut plácuit ei qui in me, inquit, lóquitur Christus; qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum vidéri possit, operátur; quem étiam miserátur & vocat. Et ídeò qui Christum séquitur, potest interrogátus cur esse volúerit Christiánus, respondére: Visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum; à Deo enim præparátur volúntas hóminum. Ut enim Deus honorificétur à sancto, Dei grátia est. Dénique plúrimi voluérunt scríbere Evangélium: sed quátuor tantúmmodò, qui divínam meruérunt grátiam, sunt recépti.

℟. Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. * Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? ℣. Ubi litterátus, ubi legis verba pónderans, ubi doctor parvulórum? * Nonne stultam. 1. *Cor.* 1. *Is.* 33.

Lectio ix.

PRolixiórem hunc Evangélii librum quàm cæteros esse nemo dubitáverit. Et ídeò non ea, quæ falsa sunt, sed quæ vera, sibi víndicat. Dénique étiam à sancto Paulo Apóstolo testimónium méruit diligéntiæ. Sic enim

laudat Lucam: Cujus laus, inquit, est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et verè laudábilis est, qui méruit à tanto Géntium doctóre laudári. Scriptum est autem Evangélium ad Theóphilum, hoc est, ad eum quem Deus díligit. Si Deum díligis, ad te scriptum est: si ad te scriptum est, súscipe munus Evangelístæ, pignus amíci in penetrálibus ánimi diligénter assérva. Bonum depósitum custódi per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

℟. Manifestáta est nunc grátia Dei per illuminatiónem salvatóris nostri Jesu Christi, * Qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem † Per Evangélium in quo pósitus sum ego prædicátor. ℣. Ascéndit super cœlum cœli, ecce dabit voci suæ vocem virtútis. * Qui. Glória Patri. † Per. 2. *Tim.* 1. *Ps.* 67.

AD LAUDES

Ant. 1. QUàm speciósi pedes Evangelizántium pacem, Evangelizántium bona. *Rom.* 10.

Ant. 4. Pervénimus ad vos in Evangélio Christi; spem habéntes crescéntis fídei vestræ, in vobis magnificári. 2. *Cor.* 2.

Ant. 1. Spem quæ repósita est vobis in cœlis, audístis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos. *Coloss.* 1.

Ant. 2. Dignè Evangélio conversámini, in uno Spíritu unánimes, collaborántes fídei Evangélio: quia vobis donátum est ut in Christum credátis. *Phil.* 1.

Ant. 3. Glória, honor & pax omni operánti bonum, in die cùm judicábit Deus occúlta hóminum secúndùm Evangélium meum. *Rom.* 2.

Capitulum Josuë. 1.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges viam tuam, & intélliges eam.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intelléctum dat párvulis. *Ps.* 118.

Ad Benedictus

Ant. 6. Mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábi-

les divitias Christi, & illumináre omnes. *Ephes.* 3.

Oratio

DEus, qui beáto Lucæ córporum médico, Evangélium Fílii tui nobis tradéndum credens, eum étiam effecísti médicum animárum, fac nos salúbri verbo tuo semper inténtos, quæ noxia esse demónstrat, fúgere; & quæ utília salúti, fidéliter apprehéndere. Per Dóminum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio ibid.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* Quanta audívimus & cognóvimus. Allel. all. Quanta. ℣. Et patres nostri narravérunt nobis! Allel. all. Quanta. Glória. Quanta. *Ps.* 77.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis. ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Ecce lábia mea non prohibébo. Allelúia, allelúia. Ecce. ℣. Dómine tu scisti. Allelúia, allelúia. Ecce. Glória. Ecce.

℣. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo. ℟. Veritátem tuam & Salutáre tuum dixi. *Psalm.* 39.

AD NONAM


Capitulum 1. Thes. 2.

SIcut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra.

℟. *brev.* Elóquia Dómini, elóquia casta. Allelúia, all. Elóquia. ℣. Argéntum igne examinátum. Allelúia, allelúia. Elóquia. Glória. Elóquia. *Ps.* 11.

℣. Ignítum elóquium tuum veheménter. ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.





DIE XVIII.

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ REMENSIS.

In Metropolitana Annuale-minus.
Extrà Solemne-minus.



IN I. VESPERIS

Ant. 1. CErnitis quòd Dñus Deus vester vobíscum sit: præbéte ígitur corda vestra, ut quærátis Dóminum; & consúrgite, & ædificáte sanctuárium Dómino. 1. *Paral.* 22.

Psalmus 99. Jubiláte Deo omnis terra...... servíte *pag.* 17.

Ant. 7. Domus quam ædificári volo Dómino, talis esse debet, ut in cunctis regiónibus nominétur: præparábo ergo ei necessária. 1. *Paral.* 22.

Psalmus 95. Cantáte Dómino cánticum novum .... cantáte *pag.* 58.

Ant. 5. Magnus est Deus noster super omnes deos: quis ergo póterit prævalére, ut ædíficet dignam Deo domum? 2. *Paral.* 2.

Psalmus 98. Dóminus regnávit irascántur *p.* 61.

Ant. 6. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueunt, quantus ego sum, ut possim ædificáre ei domum. 2. *Paral.* 2.

Psalmus 112. Laudáte púeri Dóminum *pag.* 37.

Ant. 3. Dóminus Deus cœli ipse præcépit mihi

ut ædificárem ei domum. 1. *Esdr.* 1.

Psalmus 136. Super flúmina Babylónis *pag. 66.*

Capitulum Agg. 1.

HÆc dicit Dóminus exercítuum : Pónite corda vestra super vias vestras : ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus.

℟. Cuncta, Dómine, quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt; & quæ de manu tua accépimus, dédimus tibi : * Dómine Deus noster, † Omnis hæc cópia quam parávimus, ut ædificarétur domus nómini sancto tuo, de manu tua est. ℣. Quis prior Dómino dedit, & retribuétur ei? Ex ipso sunt ómnia : ipsi glória in sæcula. * Dómine. Glória. † Omnis. 1. *Paral.* 29. *Rom.* 11.

HYMNUS

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovántûm coronáta
Angelórum ágmine.

Nova véniens è cœlo,
Nuptiáli thálamo
Præparáta, ut sponsáta
Copulétur Dómino :
Pláteæ & muri ejus,
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus :
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomen,
Hîc in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides,
Suis coaptántur locis
Per manus artíficis,
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Angularis fundaméntum
Lapis Christus missus est,
Qui compáge paríetum,
In utróque néctitur,
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

Omnis illa Deo sacra
Et dilécta cívitas,
Plena módulis, in laude,
Et canóre júbilo,
Trinum Deum unicúmque
Cum fervóre prædicat.

Hoc in Templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,
Et cleménti bonitáte
Precum vota súscipe :

Largam benedictiónem
Hic infúnde júgiter.
Hic promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta possidére,
Cum sanctis perénniter
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.
Sit perénnis laus Paténti,
Sit perénnis Fílio:
Laus tibi qui nectis ambos
Sit perénnis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inúngens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

℣. Díligit Dóminus portas Sion, ℟. Super ómnia tabernácula Jacob. Allelúia, allelúia, allel. *Ps.* 86.

Ad Magnificat

Ant. 7. Obtulit Sálomon sacrifícium dedicatiónis & consummatiónis Templi, & octo diébus celebrávit dedicatiónem. Allelúia. 2. *Mach.* 2.

Oratio

Dona, Dómine, virtútem pópulo tuo, & éffice nos Templum Spíritûs Sancti, ut tibi de corde puro holocáustum acceptábile præparémus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Nulla fit commemoratio.

Completorium ut in Dominica.

AD MATUTINUM

Invitator. Dóminum, qui elégit & sanctificávit locum istum, * Veníte, adorémus. 2. *Paral.* 7.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Dómine Deus Israël, si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt, quanto magis domus ista? 2. *Paral.* 6.

Psalmus 5. Verba mea áuribus *pag.* 98.

Ant. 2. Tu Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluísti Templum habitatiónis tuæ fieri in nobis. 2. *Mach.* 14.

Psalmus 23. Dómini est terra & plenitúdo ejus *pag.* 74.

Ant. 7. Exáudias, Dómine, deprecatiónem pópuli tui, quodcúmque oráverint in loco isto. 3. *Reg.* 8.

Psalmus 25. Júdica me, Dómine, quóniam *p.* 80.

℣. Transíbo in locum tabernáculi admirábilis, ℟. Usque ad domum Dei. All. all. all. *Ps.* 41.

De Libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. *Cap. 7.*

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocáuſta & víctimas: & majéſtas Dómini implévit domum; nec póterant ſacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes fílii Iſraël vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: & corruéntes proni in terram ſuper paviméntum ſtratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérſus pópulus.

℟. Réſpice Sion civitátem, ſolemnitátis noſtræ; Jerúſalem, tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia * Solúmmodò ibi magníficus eſt Dóminus noſter. ℣. Vidi ſanctam civitátem, Jerúſalem novam, deſcendéntem de cœlo à Deo, parátam ſicut ſponſam ornátam viro ſuo. * Solúmmodò. Glória. * Solúmmodò. *Iſ.* 33. *Apoc.* 21.

Lectio ij.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum: Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus; hymnos David canéntes per manus ſuas. Porrò ſacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque Iſraël ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini: obtúlerat enim ibi holocáuſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quòd féceerat, non póterat ſuſtinére holocáuſta & ſacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus; & omnis Iſraël cum eo, ecclésia magna valde, ab introítu Emath uſque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctam, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem

diébus, & solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Audívi vocem magnam dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & * Habitábit cum eis, † Et ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. ℣. Ergóne credíbile est ut hábitet Deus cum homínibus super terram? * Habitábit. Glória. † Et ipsi. *Apoc.* 21. 2. *Paral.* 6.

Lectio iij.

Complevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, & in domo sua; & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit; & mandávero & præcépero locústæ ut dévoret terram; & mísero pestiléntiam in pópulum meum; convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Verè Dóminus est in loco isto: * Quam terríbilis est locus iste! † Non est hic áliud nisi domus Dei & porta cœli. ℣. Implétum est templum à majestáte Dei, & de virtúte ejus. * Quam terríbilis. Glória † Non. *Genes.* 28. *Apoc.* 15.

IN II. NOCTURNO

Ant. 3 Qui adhærent Dómino, ut colant eum, lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Is.* 56.

Psalmus 28. Afférte Dómino, filii Dei *p.* 173.

Ant. 2. Holocáusta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is.* 56.

Psalmus 45. Deus noster refúgium & virtus *p.* 176.

Ant. 4. Sanctificávi domum hanc, ut pónerem nomen meum ibi cunctis diébus. 3. *Reg.* 9.

Psalmus 47. Magnus Dóminus *pag.* 176.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus. Allelúia, allelúia, allel. *Ps.* 45.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

In Dedicat. Serm. 1. *Sess.* 1.

Lectio iv.

FEstívitas hodiérna, fratres, tantò nobis debet esse devótior, quantò familiárior est. Nam cæteras quidem sanctórum solemnitátes cum Ecclésiis áliis habémus commúnes: hæc verò sic nobis est própria, ut necésse sit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Nostra est, quia de Ecclésia nostra: magis autem nostra, quia de nobis ipsis... Mirámini fórsitan, & erubéscitis celebrári festa de vobis. Sed quid lápides isti potuérunt sanctitátis habére, ut eórum solémnia celebrémus? Habent útique sanctitátem, sed propter córpora vestra. An verò córpora vestra sancta esse quis dúbitet, quæ templum Sancti Spiritûs sunt; ut sciat unusquísque vas suum possidére in sanctificatióne? Itaque sanctæ sunt ánimæ propter inhabitántem Spíritum Dei in vobis: sancta sunt córpora propter ánimas: sancta est étiam propter córpora domus.

℟. Elégi locum istum mihi in domum sacrificii: * Oculi mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. ℣. Domus mea, domus oratiónis vocábitur. * Oculi. Glória. * Oculi. 2. *Paral.* 7. *Marc.* 11.

Lectio v. *Sess.* 3. & 4.

QUando domus ista per manus Pontíficum dedicáta est Dómino, propter nos sine dúbio factum est. In nobis proínde spirituáliter impléri necésse est quæ in parietíbus visibíliter præcessérunt. Et si vultis scíre, hæc útique sunt, aspérsio, inscríptio, inúnctio, illuminátio, benedíctio: hæc quidem in hac visíbili domo fecêre Pontífices; hæc Christus assístens Póntifex futurórum bonórum invisibíliter quotídie operátur in no-

bis. Aspérgit nos hyssópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur: lavat nos in confessióne; lavat nos lacrymárum imbre; lavat sudóre pœniténtiæ; magis autem lavat nos aquâ illâ pretiósâ quæ de fonte pietátis, id est, ab ejus látere, emanávit. Non solùm autem, sed inscríbit dígito Dei in quo ejiciébat dæmónia, haud dúbium quin in Spíritu Sancto. Inscríbit, inquam, legem suam, non in lápide, sed in tábulis cordis carnálibus, prophéticam implens promissiónem, quâ se pollícitus est ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor esse datúrum, id est, non durum, non obstinátum, non Judáïcum; sed pium, sed mansuétum, sed tractábile, sed devótum. Beátus quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum.

℟. Audíte qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum: * Bonas fácite vias vestras. ℣. Nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. * Bonas. Glória. * Bonas. *Jerem.* 7. *Joan.* 2.

Lectio vj. *Sess.* 6.

Beáti, inquam, qui docti & mémores sunt mandatórum ejus; sed ad faciéndum ea: alióquin sciénti bonum & non faciénti, peccátum est illi: & servus sciens voluntátem dómini sui & non fáciens, plagis vapulábit multis. Unde necésse est ut únctio spirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem nostram, observantiárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis suæ grátiâ léniens; quia nec sine cruce, sequi Christum, nec sine unctióne crucis asperitátem ferre quis posset. Hinc est quod multi abominántur & fúgiunt pœniténtiam; crucem quidem vidéntes, sed non unctiónem. Vos qui expérti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inúncta est, & per grátiam Spíritûs adjuvántis, suávis & delectábilis est pœniténtia nostra, &, ut ita dicam, amaritúdo nostra dulcíssima. At postquam únctio grátiæ hujus præcésserit, jam lucérnam suam Christus non ponit sub módio, sed super candelábrum; quia tempus est ut lúceat lux nostra coram homini-

bus. Jam verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum suam & implébit omne ánimal benedictióne: nam in quátuor præmissis mérita constant, in benedictióne sunt præmia; in benedictióne tota complébitur grátia sanctificatiónis, quando jam in domum transíbimus non manufáctam, ætérnam in cœlis. Ipsa est quæ constrúitur vivis ex lapídibus, ángelis scílicet & homínibus. Simul enim ædificátio & dedicátio ipsa complébitur.

℟. Nolíte confídere in verbis mendácii dicéntes: templum Dómini est: * Quóniam: † Si bene direxéritis vias vestras, & stúdia vestra, habitábo vobíscum in loco isto. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus peccatóres, & purificáte corda. * Quóniam. Glória. † Si bene. *Jerem.* 7. *Jac.* 4.

IN III. NOCTURNO

Ant. 7. Nescítis quia templum Dei estis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? 1. *Cor.* 3.

Psalmus 64. Te decet hymnus, Deus, *pag.* 99.

Ant 6. In Christo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei, in Spíritu. *Eph.* 2.

Psalmus 83. Quàm diléeta tabernácula *p.* 127.

Ant. 8. Domus Christi sumus nos, si fidúciam & glóriam spei, usque ad finem, firmam retineámus. *Heb.* 3.

Psalmus 86. Fundaménta ejus *pag.* 177.

℣. Dómum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. Allelúia, allelúia, allelúia. *Ps.* 92.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore; Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus; & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives: & quærébat vidére Jesum, quis esset. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Ser. 174. *Edit. Bened.* §. 5. *al. S.* 8. *de verb. Apost.*

DOminus, qui Zachæum in corde suf-

céperat, in domum ejus dignatus est súscipi; & dixit: Zachæe, festínans descénde: quóniam in domo tua opórtet me manére. Magnum benefícium ille arbitrabátur, Christum vidére. Qui magnum & ineffabile benefícium putábat transeúntem vidére, súbitò méruit in domo habére: infúnditur grátia, operátur fides per dilectiónem: suscípitur Christus in domum. qui jam habitabat in corde. Dicit Christo Zachæus: Dómine, dimídium rerum meárum do paupéribus, & si quid áliquem fraudávi, quádruplum reddo; quasi díceret: ideò mihi dimídium téneo non quod hábeam, sed undè reddam. Verè ecce quod est suscípere Jesum, in cor suscípere. Ibi enim erat Christus: in Zachæo erat, & de illo sibi dicébat, quod ex ore ejus audiébat. Sic enim Apóstolus dicit: (habitáre Christum per fidem in córdibus vestris).

℞. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: * Quóniam inhabitábo in illis, & in ambulábo inter eos, & † Ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. ℣. Hæc dicit Dóminus Deus: scient gentes, quia ego sanctificátor Israël, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum. * Quóniam. Glória. † Ero. 2. *Cor.* 6. *Ezech.* 37.

Lectio viij. §. 6.

JAm ergo quia Zachæus erat, quia erat princeps publicanórum, quia valdè peccátor erat, quasi sana illa turba, quæ impediébat vidére Jesum, admiráta est, & reprehéndit quòd in domum peccatóris intrásset Jesus; hoc erat reprehéndere, quòd in domum ægróti intrávit médicus. Quia ergo velut peccátor Zachæus irrísus est, irrísus est autem ab insánis sanátus, Dóminus respóndit irridéntibus: hódie salus huic dómui facta est. Ecce quare intrávi: salus hódiè facta est. Utique si Salvátor non intrásset, salus in illa domo facta non esset.

℞. Membra vestra templum sunt Spíritûs Sancti, qui in vobis est, & non estis vestri; empti enim estis prétio magno: * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℣. Nolite contamináre ánimas vestras; sancti estóte, quia ego sanctus sum. *Glorificáte. Glória. *Glorificáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 11.

Lectio ix.

Quid ergo miráris, ægróte? Voca & tu Jesum, noli tibi sanus vidéri. Cùm spe ægrótat qui médicum súscipit; desperátè ægrótat, qui per insániam médicum cædit. Qualis ergo ejus insánia, qui médicum occídit? quanta verò bónitas & poténtia médici, qui de sánguine suo, insáno interfectóri suo medicaméntum fecit? Neque enim ille qui vénerat quærere & salváre quod perierat, pendens, sine causa dicébat: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Insáni sunt, médicus sum: sæviant, patiénter fero. Cùm occíderint, tunc sanábo. Simus ergo inter illos quos sanat. Humánus sermo & omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere: Magnos, pusillos, peccatóres salvos fácere venit Fílius hóminis quærere & salváre quod perierat.

℟. Ad Dóminum accedéntes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum; * Et ipsi † Tanquam lápides vivi super ædificámini, domus spirituális. ℣. Veníte ad sanctuárium Dómini quod sanctificávit in ætérnum. * Et ipsi. Glória. † Tanquam. 1. *Petr.* 2. 2. *Paralip.* 30.

Te Deum.

AD LAUDES

Psalmi de Dominica; & sic ad Horas parvas.

Ant. 1. Tu, Dómine, elegisti domum istam, ut esset domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7.

Ant. 7. Stábimus coram domo hac in conspéctu tuo, & clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris; & exáudies, salvósque fácies. 2. *Paral.* 20.

Ant. 2. Dimíttas pópulo tuo quamvis peccatóri, & aures tuæ inténtæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. 2. *Paral.* 6.

Ant. 5. Tu exáudies.

Canticum *Tob.* 13.

Jerúsalem cívitas Dei, luce spléndidâ fulgébis:* & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient, & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum; * & terram tuam in sanctificatiónem habébunt:

Nomen enim magnum* invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpserint te; & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in filiis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent super pace tua.

Anima mea, bénedic Dóminum; * quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noster.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei, * ad vidéndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sapphíro & smarágdo ædificabúntur; * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes pláteæ ejus sternéntur: * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam; * & sit regnum ejus in sæcula sæculórum super eam.

Ant. Tu exáudies de cœlo, ut sciant omnes pópuli nomen tuum, & cognóscant quia nomen tuū invocátum est super domum hanc. 2. *Paral.* 6.

Ant. 3. Sancte sanctórum ómnium Dómine, consérva in ætérnum impollútam domum istam. 2. *Mach.* 14.

Capitulum Hebr. 12.

ACcessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem: ítaque regnum immóbile suscipiéntes, serviámus placéntes Deo cum metu & reveréntia.

℣. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. All. all. all. *Ps.* 36.

Ad Benedíctus

Ant. 6. Domus tua, Dómine, in sanctificatióne permáneat; & omnes gentes agnóscant, quia tu es Deus & non est álius præter te. Allelúia. *Judith.* 9.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui; & præsta ut quisquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio ibid.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. Part. 9. Cap. 13.

SIgnat templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Ecclésiæ cum Christo desponsatiónem. Quamóbrem, nisi ómnia quæ in hujuscémodi consecratióne extériùs agúntur, in nobis spirituáliter impleántur, parùm hinc fructûs nobis accésserit.

AD TERTIAM

Capitulum Deut. 12.

AD locum quem elégerit Dóminus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & hábitet in eo, veniétis; & offerétis in loco illo holocáusta & víctimas vestras.

℟. *brev.* In multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam. * Allel. all. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo. * All. Glória. In. *Ps.* 5.

℣. Introíbo in domum tuam in holocáustis;

℟. Reddam tibi vota mea. All. all. all. *Ps.* 65.

AD SEXTAM

Capitulum 3. Reg. 8.

SI quis cognóverit plagam cordis sui, & expánderit manus suas in domo hac, tu exáudies in cœlo, in loco habitatiónis tuæ, & repropitiáberis & fácies ut des unicuíque secúndùm omnes vias suas, sicut víderis cor ejus.

℟. *brev.* Replébimur in bonis domûs tuæ. * All. all.

℣. Sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte. * All. Glória. Replébimur. *Ps.* 64.

℣. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula.

℟. Prótegar in velaménto alárum tuárum. All. all. all. *Ps.* 60.

AD NONAM

Capitulum Soph. 1.

VIsitábo super omnem qui arrogánter ingréditur super limen in die illa: qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte & dolo.

℟. *brev.* Quis ascéndet in montem Dómini? All. all. ℣. Aut quis stábit in loco sancto ejus? Allel. Glória. Quis *Psalm.* 23.

℣. Innocens mánibus & mundo corde,

℟. Hic accípiet benedictiónem à Dómino. All. all. all. *Ps.* 23.

AD II. VESPERAS

Ant. 1. UNus de septem Angelis sústulit me in spíritu, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cœlo à Deo. *Apoc.* 21.

Psalmus 121. Lætátus sum in his *pag.* 87,

Ant. 2. Erat structúra muri ejus ex lápide jáspide, ipsa verò Cívitas aurum mundum, símile vitro mundo. *Apoc* 21.

Psalmus 126. Nisi Dóminus *pag.* 110.

Ant. 3. Templum non vidi in ea, Dóminus enim Deus omnipotens templum illíus est, & Agnus. *Apoc.* 21.

Psalmus 131. Meménto, Dómine, David *cum sua divisione* pag. 180.

Ant. 5. Cívitas non eget sole neque lunâ, ut lúceant in ea, nam cláritas Dei illumináviт eam, & lucérna ejus est Agnus. *Apoc.* 21

Psalmus 137. Confitébor tibi, ... quóniam *pag.* 132.

Ant. 8. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21.

Psalmus 147. Lauda, Jerúsalem *pag.* 124.

Capitulum 2. Petr. 3.

NOvos cœlos & novam terram secúndum promíssa Dómini expectámus, in quibus justítia hábitat.

HYMNUS

ECce sedes hic Tonántis,
Ecce cœli jánua:
Hîc sacérdos, ara, templum,
Hîc Deus fit hóstia:
Incruéntâ morte jugis
Hîc amor litat Deum.

QUALIS ara, quanta sedes

Ipsíus capax Dei!
Quem nec univérsa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo se coárctans
Hîc latére sústinet.
Quam libénter hîc pudícis
Inserit se córdibus!
Hîc amántis tota Christi
Exerit se cáritas:
Hîc Pater caros sedére
Gestit inter filios.
Hinc facésse quem profána
Pólluit contágio;
Neu sacrum transíre limen
Inquinátus áudeas:
Ultor astat cum flagéllis
Púniens sontes Deus.
Sit perénnis laus Paréntí,
Sit perénnis Fílio:
Laus tibi qui nectis ambos
Sit perénnis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inúngens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

℣. Quàm diléćta tabernácula tua, Dómine, virtútum?

℟. Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. Allel. allel. all. *Ps.* 83.

Ad Magnificat

Ant. 8. Qui vícerit fáciam illum colúmnam in templo Dei mei; & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem, & nomen meum novum. All. *Apoc.* 3.

Oratio ut supra ad Laud.

Ad Completorium *omnia ut in Dominica.*

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
DEDICATIONIS.
Semiduplex-majus.

Omnia ut in die exceptis quæ sequuntur. Psalmi de Feria occurrente in toto Officio per totam Octavam.

Ad Matutinum in Noct. novem Psalmi sub sola prima Ant. è I. Noct. Festi. ℣. *&* ℟℟℟. *ex Nocturno secundum Feriam.* Glória *post iij.* ℟. *tantùm. Prima Lectio, Scriptura occurrens ex qua fit una. II. verò & III. ut infra de die intra Octav. occurr.*

Ad Laudes Psalmi de Feria cum Cantico de Festo sub sola I. Ant. Festi.

Ad Horas ℟℟℟. *br. de secundo modo: Orat. de Laud. Canon de Fer. occurr.*

Ad Vesperas Psalmi sub sola prima Antiphona è II. Vesperis Festi. Capit. Hymn. ℣. *& Ant. ad* Magnificat *ibidem.*

Oratio de Laudibus.

AD COMPLETORIUM omnia ut in Feriis.

DOMINICA INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

¶ *Hâc die Dominicâ celebratur Dedicatio omnium Ecclesiarum Urbis & Diœcesis Remensis, & fit Officium ritu Annualis-minoris, ut supra.*

Nulla fit commemoratio.

In Metropolitana Duplex-majus.

IN VESPERIS SABBATI Psalmi de Sabbato sub sola prima Ant. è primis Vesperis Festi. Reliqua ibidem, omisso Responsorio. Commemoratio Dominicæ occurrentis in utrisque Vesperis & post Laud.

COMPLETOR. ut in Psalterio.

Die Dominicâ omnia ut in Festo exceptis quæ sequuntur. Psalmi de Dominica in toto Officio.

AD MATUTINUM

IN I. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è I. Nocturno Festi.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Nocturnis Glória *post tertium* ℟. *tantùm.*

IN II. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è II. Nocturno Festi.

Sermo S. Basilii Epíscopi. *In Ps. 28. Edit Bened. 1721. num. 3.*

Lectio iv.

NEcessária est adorátio, non ea quæ fit extra Ecclésiam, sed quæ in ipsa Dei aula perficitur. Ne mihi privátas aulas aut Ecclésias excogitétis. Una est aula sancta Dei. Synagóga Judæórum priùs aula erat: sed post admíssum in Christum peccátum, facta est habitátio eórum desérta. Quaprópter & Dóminus: Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex géntibus ad salútem præordináti sunt, aulam própriam præter Judæórum aulam osténdit. Non ígitur extra hanc aulam adoráre opórtet, sed intra ipsam; ne quis extra ipsam constitútus, aut ab iis qui extra illam sunt, attráctus, in aula Dómini esse désinat. Intérsunt enim multi in hábitu quidem precatiónis, nec sunt tamen in aula ob mentis eva-

gatiónem, & ánimi eórum aberratiónem, ex vanis & inutílibus curis nascéntem. Qui ventrem, aut glóriam, aut argéntum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus pluris æstimat, deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula sancta est, etiámsi videátur esse dignus, qui ad sensíbiles convéntus admittátur.

Lectio v. *num.* 7.

IN templo adstant sancti ángeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujúsque manifésta Deo sunt, quis ex afféctu, quis scitè exquírat cœléstia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúntiet, cor verò ipsius procul à Deo sit. Quòd si orat, carnis sanitátem, opésque terréstres, & humánã glóriam únicè efflágitat. Horũ auté nihil sic peténdũ est, ut Scriptúra docet: sed in templo ejus unusquísque dicit glóriam. Creatúra omnis tum silens, tum loquens, tum cœléstis, tum terréna dat glóriam Conditóri: miserábiles verò hómines, postquàm, ædibus suis relíctis, ad templum concurrérunt, quasi quídpiam consecutúri emoluménti, tamen Dei verbis aures non præbent, suam ipsórum natúram non séntiunt: præoccupáti peccáto non affligúntur: non mœrent dum reminiscúntur peccatórum: non timent judícium; sed arridéntes, & inter se jungéntes déxteras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

Lectio vj.

CAve nequándo ábeas unà cum iis qui ímpia & contumeliósa verba in Dei nomen évomunt, condemnátus, cùm debuísses mercédem pro rerum divinárum celebratióne recípere. Habes Psalmum, habes Prophetíam, præcépta evangélica, Apostolórum prædicatiónes. Lingua psallat: mens eórum quæ dicta sunt, scrutétur intelligéntiam: ut psallas spíritu, psallas item & mente. Deus enim minimè índiget glóriâ, sed te vult esse dignum, qui glóriam consequáre. Quaprópter quod séminat homo, hoc & metet. Sémina glorificatiónem, ut coronas, honorésque & laudes in regno cœlórum metas. Hæc à nobis ideò

dicta sunt, quòd sunt qui loquéndi finem in Dei templo nunquam fáciant, ac inutíliter ingrediántur. Utinam inutíliter, non cum detriménto!

IN III. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è III. Nocturno Festi.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore; Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho: & ecce vir nómine Zachæus, & hic princeps erat publicanórum, & ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Lib. 27. Moral. Cap 27.

EVangélicæ Históriæ verba testántur, quia Zachæus, cum vidére præ turba nihil posset, sycómori árborem ascéndit, ut transeúntem Dóminum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dicitur: pusíllus ítaque Zachæus Sycómorum súbiit, & Dóminum vidit: quia qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba præpedit: quia infirmitátem humánæ mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum sæculárium tumúltus premit.

Lectio viij.

SEd prudénter sycómorum ascéndimus, si próvidè eam quæ divínitùs præcípitur, stultítiam mente tenémus. Quid enim in hoc mundo stúltius, quàm amíssa non quærere, posséssa rapiéntibus relaxáre, nullā pro accéptis injúriis injúriam réddere, imò adjúnctis áliis patiéntiam præbére? Quasi enim sycómorum nos ascéndere Dóminus præcipit, cùm dicit: Qui aufert quæ tua sunt, ne répetas. Et rursùm, si quis te percússerit in déxteram maxíllam, præbe illi & álteram.

Lectio ix. Evangelium Dominicæ occurrentis cum prima ejus Homiliæ parte.

Ad Laudes Psalmi sub sola prima Antiphona. Canticum de Festo.

CANON

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. Lib. 2. Cap. 21.

† QUia Pontífices Basílicas Deo dédicant, ut omnes qui illuc

deprecatúri vénerint, de quacúmque tribulatióne ad eum clamáverint, consolatiónis ejus beneficia consequántur; opórtet ut remóto negligéntiæ torpóre, hujúsmodi loca ad Deum exorándum, sibíque propítium faciéndum frequénter ac devótè ádeant (Christiáni); dignósque se aspéctibus angelórum, quorum convéntus mínimè ibi adésse dubitántur, exhíbeant.

Ad Horas ℟ ℟ ℟. *brevia de secundo modo.*

Ad II. Vesperas Psalmi sub sola prima Ant. de II. Vesp. Festi. Cætera ibidem. Oratio de Laud.

Completorium ut in Psalterio.

Die xix.

DE OCTAVA *Dedicationis.*

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

336. in Dedicat. Eccles. Cap. 1. al. de Temp. 256.

Lectio ij.

Celébritas hujus congregatiónis, dedicátio est domûs orátiónis. Domus ergo nostrárum orationum ista est; domus Dei, *nos ipsi.* Si domus Dei, nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædificium, imò ædificátio habet labórem, dedicátio exultatiónem. Quod hîc fiébat, quando ista surgébant: hoc fit modo, cùm congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de sylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur tanquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginántur.

Lectio iij. *Cap. 6.*

Dum novam constructiónem sanctæ hujus Ecclésiæ libénter atténdimus, quàm divíno nómini dedicámus; invénimus à nobis debéri, & Deo nostro máximam laudem, & sanctitáti vestræ cóngruũ de divínæ domûs ædificatióne sermónem. Tunc autẽ sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intériùs ædificánte, profíciat. Quod hîc

factum corporáliter vidémus in pariétibus, spirítáliter fiat in méntibus; & quod hîc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte grátiâ Dei, perficiátur in corpóribus vestris. Principáliter ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, à quo est omne datum óptimum, & omne donum perféctum; quóniam ad construéndam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit afféctum, surrogávit auxílium. . . . Adhuc ámpliùs agéndæ sunt grátiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum mártyrum Relíquiis ámpliùs honorári.

Post VESPERAS *commemoratio S. Sindulphi Presbyteri per Ant.* De Sacerdótibus *p.* xxxj. *Oratio* Dómine Deus omnípotens *pag.* xxxiv. *de Communi Ss. Presbyterorum.*

DIE XX.

DE OCTAVA
Dedicationis.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

Ser. 337. al. de Temp. 256.

Lectio ij. *Cap. 2.*

SIcut hoc ædifícium visíbile factum est nobis corporáliter congregándis, ita illud ædifícium quod nos ipsi sumus, Deo spirítáliter habitatúro constrúitur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apóstolus, quod estis vos. Sicut hoc terrénis mólibus constrúimus, sic illud bene compósitis móribus erigámus. Hoc enim nunc visitántibus nobis, illud in fine sæculi, Dómino veniénte, dedicábitur, quando corruptíbile hoc nostrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc nostrum índuet immortalitátem: quia corpus humilitátis nostræ conformábit córpori glóriæ suæ. Cùm enim ædificámus, gemit ei humílitas nostra, cùm autem dedicábimur, cantábit ei glória nostra: quia in ædificatióne labor est, in dedicatióne lætítia. Dum cædúntur de móntibus lápides, & ligna de sylvis; dum formántur, dolántur, coaptántur, labor & cura est: cùm autem perfécti ædificii dedicátio celebrátur, gáudium & secúritas

labóribus curísque succédunt. Sic étiam ædificátio spiritális, cujus habitátor Deus, non ad tempus, sed in ætérnum erit. Dum ex infidéli vita hómines segregántur ad fidem; dum quidquid in eis non bonum atque pervérsum est, amputátur & cæditur, dum fiunt aptæ, pacíficæ, piæque junctúræ: quantæ tétatiónes timéntur, quantæ tribulatiónes sustinéntur? Cùm verò advénerit dies dedicatiónis domûs ætérnæ, cùm dicétur nobis: Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab inítio mundi: quæ illa exultátio, quæ secúritas erit? Cantábit cláritas, nec compungétur infírmitas.

Ex Flodoard. Lib. 2. Cap. 9. Mabill. sæc. 1. & sæc. 4. & Adriano Baillet in vitis Sanctorum.

De S. Syndulpho Presb.
Lectio iij.

Sindúlphus in Aquitánia natus, stúdio perfectiónis Evangélicæ accénsus, relíctis pátriâ, paréntibus, facultátibus & amícis, Remos venit, & in pago qui Alsóntia dícitur, fixit pedem. Ibi constrúctâ sibi céllulâ, homínibus ignótus, soli Deo notus, oratióni, jejúniis, continuísque virtútum & pœniténtiæ exercítiis totum se dedit, módico pane & aquâ tantùm ad vésperam vesci sólitus, austéram Anachoretárum vitam ducens. Váriè à dæmone tentátus, divíno suffúltus auxílio, quod humíliter implorábat, humáni géneris & boni cujúslibet hostis calcávit insídias. Virtútum omne genus ádeò excóluit æquábili diligéntiâ, ut in qua potíssimùm excélleret, non ita fácilè fúerit judicáre. Cùm novos in síngulis de die in diem fáceret progréssus, latére diu non pótuit tanta viri sánctitas. Ad eum fluxit vicinórum multitúdo quibus dabat mónita salútis, plùs eos ad pietátē accéndens exémplo, quàm verbo. In intelligéndis Scriptúris dono singulári prǽditus, eas tum ad suárum actiónum normam, tum ad aliórum instructiónem miríficè coaptábat. Sacerdótii honóre insignítus, ita apud Alsóntiæ íncolas se gessit, fovéndo ínopes, consolándo míseros, ægrótos

ſublevándo, ut illíus loci Paſtórem fuiſſe tráditum ſit à plúribus, quòd ſi non título, ópere ſaltem ac mérito. Tandem poſt innúmeros labóres, creſcénte ſemper pietátis ardóre, nec ætátis detriménta ſentiénte, tolerátos, migrávit ad Dóminum, & in eccléſia Alsóntiæ tumulátus eſt. Cùm miráculis inclaréſceret ejus ſánctitas, hunc è túmulo poſt duo ſæcula extráxit Híncmarus, & ſacris ejus pignóribus Altivillarénſe dotávit monaſtérium, cujus loci Parochiális Eccléſia, Deo ſub ſancti Sindúlphi invocatióne conſecráta eſt.

Poſt LAUDES *commem. S. Sindulphi per Antiph.* Ubi ſum *pag.* xxxiv. *de Communi Ss. Presbyterorum. Oratio* Dómine, Deus omnípotens *ibidem.*

Poſt VESPER. *commem. Ss. Urſulæ & Sociarum Virginum & Martyrum per Ant.* Córpora *pag.* xlvij. *de Communi Ss. Virginum.*

Oratio

DEus qui ſingulári providéntiâ, beátam Urſulam & sócias ejus ad virginitátis & martyrii palmam provexíſti, da nobis eárum interceſſióne, ita várìos ſæcúli æſtus pertransíre, ut ad ætérnæ ſalútis portum felíciter perveníre mereámur. Per.

DIE XXI.

DE OCTAVA *Dedicationis.*

Sermo Sancti Auguſtíni Epíſcopi.

Ser. 337. de Dedicat. Eccl. Lectio. ij.

BOna ópera fidélium de ſua temporáli terrenáque ſubſtántia, cùm in theſáuris cœléſtibus recondúntur, fides hoc videt, quæ pietátis óculum habet in corde. Unde & iſta ædifícia quæ congregándis religióſis cœtibus extruúntur, cùm óculo carnis inſpéxerit, laudat intériùs quod cernit extériùs, & visíbili áccipit lúmine ad quod gáudeat invisíbili veritáte. Neque enim occupáta eſt fides inſpícere quàm pulcra ſint membra hujus habitatiónis, ſed de quanta interióris hóminis pulcritúdine procédant hæc ópera dilectiónis. Retríbuet ergo Dóminus fidélibus ſuis tam piè, tam hilári-

ter, tam devótè ista operántibus, ut eos quoque ipsos in suæ fábricæ constructióne compónat, quo currunt lápides vivi, fide formáti, spe solidáti, caritáte compácti: ubi sápiens ille architéctus Apóstolus fundaméntum pósuit Christum Jesum, summum ipsum lápidem anguiárem; sicut & Petrus de prophética Scriptúra commémorat, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum & honorificátum. Huic adhæréndo pacámur; huic incumbéndo, firmámur.

Ex Gild. Sap. Wandulb. Ex vita S. Cuniberti & S. Annonis & aliis.

De S. Ursula & Sociis Virgin. & Martyribus.

Lectio iij.

URsula, quæ & Saula, Martha, virginésque áliæ plures, in exeídio Británniæ, de quo Gildas sápiens scripsit, cùm plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in advérsum Germániæ littus delátæ sunt, & à bárbaris, qui regiónem tunc vastábant, hostíliter abdúctæ, prope Colóniam Agrippínam ad ripam Rheni, *pro Christi nó*mine occísæ sunt. Eárum córpora sepúlta sunt Colóniæ, ubi plúrimis nobilitáta miráculis, magnâ fidélium veneratióne multis abhinc sæculis colúntur. Auxit & celebritátem loci sanctus Anno, ejúsdem ecclésiæ Epíscopus, qui singulári erga beátas mártyres pietáte afféctus, ad sacros illárum cíneres sæpiùs pernoctábat. Sed & è sacris hujus basílicæ túmulis plúrimæ Relíquiæ in várias Gálliæ partes allátæ, plúrimas regni ecclésias ditavérunt. Inter quas Parísiis éminet basílica Collégii Sorbónici, quæ Ursulæ patrocínio jamprídem consecráta, duo sanctárum mártyrum cápita in sacrário suo consérvat.

Post Laudes *commem. Ss. Ursulæ & Sociarum per Ant.* Exultábit ánima *pag.* l. *de Communi Ss. Virginum.*

Oratio ut supra.



DIE XXII.

DE OCTAVA Dedicationis.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 33. in Matth. C. 2.

Lectio ij.

Commúnis ómnium domus est Ecclésia, in quam vobis priùs ingréssis, nos intrámus, discipulórum formam retinéntes: ideóque commúniter ómnibus, statim atque ingréssi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdiâ tórpeat, nemo sæculáribus rebus suspénsum ánimum hábeat, cùm jam ad prædicándum sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem míllies pótiùs malim in domum alicújus vestrûm ingréssus destítui, quàm hîc prædicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quàm illud: quandóquidem hæc magis própriè domus nostra est, quàm illa.

Lectio iij.

Hic magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, hîc spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est & admirándum? Nam hæc mensa longè pretiósior est atque jucúndior: & lucérna hæc quàm illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, à morbis liberáti sunt. Arca étiam hæc multò mélior, magísque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet, quamvis pauci sint qui eam possídeant. Hîc & léctulus est valde illo præstántior: divinárum enim scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

DIE XXIII.

DE OCTAVA Dedicationis.

Sermo Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 1. in Vidi Dominum Edit. Bened. Sess. 1.

Lectio ij.

Cum ánimi divítias consídero in vobis augéscere, gáudeo semper, ut qui non frustrà seméntem fécerim, ut qui non incássùm labóres pertúlerim. Unde ígitur hoc lucrum conjício, unde perspício sermónes ad opus profícere? Nimirùm ex hoc

concúrſu; ex eo quod Ecclésiam ómnium matrem ſtudiósè ampleſtímini; ex hac pernóĉte perpetuáque ſtatióne; ex eo quod angelicórum órdinum ſtatiónem imitántes, ſine ceſſatióne laudes & hymnos offértis Conditóri. O mira Chriſti dona! In ſupernis exércitus angelórum canunt glóriam: in terris, hómines in ecclésiis choros agéntes, ad illórum exémplum eámdem canunt glóriam. In ſupérnis Séraphim ter ſanctum illum hymnum réſonant: in terris, eúmdem hóminum promit multitúdo; communitérque, tum cœléſtium, tum terréſtrium plaudit celébritas.

Lectio iij.

NUlla res tantùm affert gáudii vitæ noſtræ, quantùm hoc, quòd ex ánimo gaudétis in Ecclésia congregári. In Ecclésia, gaudéntium conſervátur gáudium. In Ecclésia ánimo dejectórum eſt recreátio. In Ecclésia, doléntium eſt volúptas. In Ecclésia, defatigatórum eſt reſpirátio. In Ecclésia, laborántium eſt réquies. Veníte enim, inquit, poſt me, qui laborátis & oneráti eſtis, & ego reficiam vos. Quid hâc voce poteſt eſſe deſiderabílius? Quid hâc invitatióne jucúndius? Ad épulum te vocat, qui in Ecclésiam te vocat: ad réquiem pro labóribus adhortátur, ad relaxatiónem à moléſtiis transfert; pondus peccatórum állevans, delíciis ánimi moléſtiam, gáudio mœrórem ſanat. O ineffábilem ejus curam! O vocatiónem cœléſtem!

DIE XXIV.

DE OCTAVA *Dedicationis.*

Sermo Sancti Auguſtíni Epíſcopi.

Enarr. in Pſal. 121. Seſſ. 4.

Lectio ij.

JErúſalem, quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat iſta David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néſcio quam ergo civitátem dicit, quæ modò ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi, de quibus dicit Petrus: Et vos tanquam lápides vivi, coædificámini in domum ſpirituálem, id eſt,

templũ Dei sanctũ. Quid est, lápides vivi coædificámini? Vivis, si credis: si autem credis, efficiéris templum Dei, quia dicit Apóstolus Paulus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Ipsa ergo modò cívitas ædificátur: præcidúntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem: conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt: non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coædificári in structúram templi.

Lectio iij.

EST ergo ista Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas: fundaméntum ipsíus, Christus est. Dicit Apóstolus Paulus: Fundaméntum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Fundaméntum quando pónitur in terra, désuper ædificántur paríetes & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum: Si autem fundaméntum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt istam structúram, quam vidétis amplam surrexísse hujus basílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt: quia verò spirituáliter ædificámur, fundaméntum nostrũ in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi ædificémur: quia de ipsa Jerúsalem dictum est, Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

DIE XXV.

OCTAVA

DEDICATIONIS.

Si Dominica occurrat, de Dominica occurr. commemor. in utrisque Vesperis & Laudibus. ix. Lectio Evangelium Dominicæ occurrentis cum prima ejus Homiliæ parte. Omittitur Lectio ultima de die Octav.

Duplex - majus.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de Feria, Oratio de Laud. Festi in toto Offic.

IN I. VESPERIS

Psalmi sub sola prima Ant. Cérnitis *& reliqua è I. Vesperis Festi, omisso ℟.*

Commemor. S. Celsini Presbyteri per Ant. De

Sacerdótibus *pag.* xxxj. *Oratio* Dómine, Deus omnípotens *pag.* xxxiv. *de Communi Ss. Presbyterorum.*

AD MATUTINUM

IN I. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è I. Nocturno Festi.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Nocturnis Glória *post tertium* ℟. *tantùm.*

IN II. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è II. Nocturno Festi.

Sermo Sancti Cæsárii Epíscopi.

Serm. 229. in append. S. August. ***Lectio iv.***

QUotiescúmque, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus, & sanctè ac justè vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spiritáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et íterum: Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritûs Sancti, qui in vobis est? & ideò, fratres caríssimi, quia nullis præcedéntibus méritis, per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantùm póssumus, cum ipsíus adjutório laborémus: ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis invéniat quod óculos suæ Majestátis offéndat.

Lectio v.

SEd habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur: claudátur diábolo, & aperiátur Christo: & ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni cœléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac vectíbus, vitæ nobis jánua cláuditur, ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ídeò, fratres caríssimi, unusquísque consíderet consciéntiam suam, & quando se áliquo crímine vulnerátum esse cognóverit, priùs, oratiónibus, jejúniis & eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, & sic Eucharístiam præsúmat accípere.

Lectio vj.

QUia, fratres, habitáre desíderat in nobis Deus, cum ipsíus adjutório ita cor nostrum studeámus bonis semper cogitatiónibus occupáre, & córpora nostra ab omni sorde luxúriæ munda custodíre ut Deum in nobis deléctet habitáre. In templo enim à Salomóne ædificáto légimus duo altária fuísse constitúta, unum foris, áliud intùs: in illo quod foris erat, animálium celebrabátur sacrifícium; in illo verò quod intùs erat, thymiámatis offerebátur incénsum. Videámus ergo ne fortè in nobis duo sint altária constitúta; córporis scílicet, & cordis nostri. Dénique duplex à nobis sacrifícium quærit Deus; unum, ut simus casto córpore; áliud, ut mundo corde esse debeámus. In illo altári, quod à Salomóne légitur ædificátum, quotidiánus ignis ardébat: quod útinam & in nobis piétas divína perficiat! Unde non solùm oratiónibus, sed étiam bonis opéribus placándus est Deus, ut in altári cordis nostri ignem suum semper accéndat, illum de quo ipse dixit: Ignem veni míttere in terram, & quid volo nisi ut accendátur?

IN III. NOCTURNO

Sola prima Antiphona è III. Nocturno Festi.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Facta sunt Encænia in Jerosólymis; & hyems erat: & ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília S. Thomæ à Villa nova Epíscopi.

Concicne de Eccles. Templi Dedicatione.

MIrábitur fortè quíspiam, quòd istis pariétibus, & lapídibus sancta mater Ecclésia festum fáciat. Nam festa ad honórem Dei & Sanctórum sunt instítúta. Sed si hìc diligéntiùs consideráre volúerit, repériet hunc ritum antiquíssimum esse, & à Dómino obtinuísse autoritátem: ipse enim cum áliis hoc festum celebrávit. Sic Evangelísta Joánnes, Facta sunt Encænia Jerosólymis, & hyems erat: & ambulábat Jesus in pórticu Salomónis: Ea-

cænia enim festum dedicatiónis templi erat, & Salómon magnífico illo templo constrúcto, cùm ipsum Dómino dedicáre vóluit, congregáto omni pópulo, præcláram egit festivitátem, quatuórdecim diébus: & deinde per síngulos annos hujus dedicatiónis anniversária festívitas agebátur: antíquior ítaque est ritus solemnitátis templórum, quã Sanctórum. Nam in toto illo synagógæ témpore nullíus Sanctórum festum légimus celebrátum: neque Móysi, neque David, neque Samuélis, neque Abrahæ, neque altérius cujúspiam Prophetárum & Patriarchárum: cùm tamen per síngulos annos, à témpore Salomónis, hujúsmodi templi dedicátio colerétur.

Lectio viij.

QUid ergo mirum, si nos impendámus veritáti, quod illi figúræ tribuébant? Quantò sanctióra sunt nostra templa, quàm illud magníficum Salomónis? In illo arca lígnea, in hoc Dei majéstas résidet: in illo animália comburúntur, in hoc corpus Christi immaculátum & pretiósus sanguis offértur: in illo púeri circumcísi, ut filii Abraham præsentántur, in isto infántes baptizáti, filii Dei constituúntur: in illo frugum primítiæ dedicántur; in hoc primítiæ spíritûs, id est, vítuli labiórum & laudes devotíssimè cum gratiárum actiónibus indesinénter Dómino offerúntur. Vide nunc templum templo quid intersit, festívitas festivitáti quid præstat? Heu! pudet illórum témporum recordári, quóties illórum veneratiónem & cultum, & nostram irreveréntiam, & tepiditatem intúeor. Quid putas fecísset David, quid Elías, quid Sámuël, Isaías, Dániel, & cæteri Sanctórum, si Dei majestátem in suis delúbris, præséntem sicut nos habuíssent; quo honóre, quo timóre, quâ devotióne, quâ reveréntiâ coluíssent? qui sic venerabántur umbram, quómodò ipsam coluíssent veritátem? In Móysi tabernáculo soli sacerdótes, & véstibus sacerdotálibus indúti, & nudi pédibus & ablútis, cum summo siléntio & observántia intrá-

bant, & hebdómadâ quâ intratúri erant, & vinum, & síceram non bibébant.

Lectio ix.

TAceo interim templórum immundítiam, altárium sordes, sacrórum corporálium & ornamentórum negléctum. Quid putas, qualis est fides, qualis devótio sacerdótis, qui corpus Christi de Vírgine natum, in virgíneo sepúlcro recónditum, in síndone munda involútum, puríssimum & sacratíssimum, hujúsmodi línteis corporálibus impónit? Est-ne iste christiánus? Credit-ne iste quod offert? si credit, quómodò audet? Quómodò négligit? Sed ad propósitum redeámus. Nostra est hæc solémnitas, nobis ágitur hæc festívitas. Cùm dedicáret Salómon templũ illud magnum, cœli altitúdine & magnitúdine consideratâ, vilis visa est ei omnis illa artíficum structúra, unde ait: Cœli cœlórum non te cápiunt; quantò magis domus hæc quam ædificávi. At ánima sancta dígnior, illústrior, capácior est cœlo. Neque enim eam replére súfficit totus mundus ad imáginem Dei facta est; & ideò in illa Dóminus requiéscit. Grandis ánimæ capácitas, in qua non solùm inhabitándi, sed inambulándi locus est. Quid namque sunt ánimæ justæ nisi amplíssima Dei deambulatória? Quotiescúmque ergo bonórum desideriórum & affectiónum motus, contritiónis stímulos, devotiónis ardóres in teípso persénseris, gressus Dei & vestígia spíritûs sancti in templo suo deambulántis agnósce. *Hódie recólitur memória sancti Celsíni presbyteri, sanctæ Balsámiæ filii, & sancti Remígii discípuli. Ejus Relíquiæ asservántur in ecclésia Collegiáta sanctæ Balsámiæ seu Nutrícis, quæ olim propter prædíctas sancti Celsíni Relíquias, ecclésia sancti Celsíni dicebátur.

Te Deum.

AD LAUDES

Psalmi sub sola prima Antiphona de die Festi.

Ad Benedictus

Ant. 8. Státuit univérsa Ecclésia Israël, ut agátur dies dedicatiónis in tempóribus suis, ab anno in annum, per dies octo,

cum lætitia & gáudio. All. 1. *Mach.* 4.

Post Laudes *commem. S. Celsini per Antiph.* Ubi sum *pag.* xxxiv. *de Comm. Ss. Presbyterorum. Oratio* Domine, Deus *ibidem.*

CANON.

Ex Synodo Wigorniénsi.

An. 1240. Ex Constit. Waltei. Cap. 1. & 2.

Ut ostendámus nos diligere decórem domûs Dómini cum ipso Salvatóre nostro, qui vendéntes & eméntes ejécit de templo, præcípimus ut ecclésiæ materiáles ab ómnibus spurcítiis emundátæ, decéntibus fúlgeant ornaméntis. . . . . Annus autem & dedicatiónis dies ecclesiárum quæ consecrátæ fúerint, & altárium, & à quo consecrátæ fúerint, superscribántur altáribus evidénter.

AD II. VESPERAS

Psalmi sub sola prima Antiphona de II. Vesperis Festi.

Ad Magnificat

Ant. 2. O Israël! Quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessiónis ejus: magnus est & non habet finem: excélsus & imménsus. *Baruch.* 3.

Post Vesperas *commemoratio Ss. Crispini & Crispiniani Martyrum per Ant.* Cum vos óderint *pag.* xiv. *de Communi plur. Martyr. Oratio ut infra.*

Die xxvi.

In Festo

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM.

Semiduplex - minus.

Omnia de Communi plurium Martyrum pag. *xiij.*

Oratio

Domine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam, & sanctórum Crispíni & Crispiniáni quorum celebrámus gloriósa certámina, tribue súbsequi in sancta professióne victóriam. Per Dóminum.

Ex Greg. Turon. & aliis auctoribus.

Lectio ij.

Crispínus & Crispiniánus fratres, propagándæ fídei stúdio unà cum beáto Quintíno & sóciis à Románo Pontífice in Gállias missi Suessiónem venérunt, salutémque à Christo homi-

nibus allátam illic prædicavérunt. Urbem ingréssi, ne cuíquam forent óneri, labóre mánuum victum sibi paráre constituérunt. Itaque sutóriam artem, quam, utpote húmilem & quiétam, suo aptiórem esse ministério putábant, statim didicêre; ac cùm in ea cæteris antecelluíssent artificibus, levíque mercéde conténti essent, frequéntem ad se pópulum paulàtim allexêre, veniéntique pro occasióne verbum Dei annuntiábant. Erat ergo eórum domus non modò officína labóris, sed & schola doctrínæ & salútis. Deo dante voci eórum virtútem & benedictiónem, plúrimis persuasêre, ut relícto idolórum cultu, Deo vero servírent. Itaque augebatur in dies credéntium numerus; & dum pax & tranquíllitas à princípibus erat, in fide neóphyti confirmabántur. Sed diutúrnam pacem turbávit Maximiáni Hérculis advéntus Suessiónem. Is jubet more suo diligénter conquiri Christiános: ad eum deferúntur Crispínus & Crispiniánus, quos statim comprehénsos jussit ad se addúci. Ubi ad tribúnal perdúcti sunt, eos ille tam promíssis, quàm minis & pænárum metu ab eórum propósito deterrére tentávit. Sed cùm sancti fratres Christum intrépidè confiteréntur, & profána sacrifícia constánter respúerent, eos efficatióri ratióne ággredi ac superáre constítuit.

Lectio iij.

Aderat Rictióvarus, Christiáno sánguine quem in Gálliis passim effúderat, adhuc cruentátus: Huic Crispínus & Crispiniánus tradi jubéntur, sævíssimis quibúsque supplíciis excruciándi. Ille ingénium longo jam usu ad inhumanitátem exercitátum in omnes versávit partes, ut in Crispínum & Crispiniánum nova torménta inveníret. Eos tróchleis exténdi, ac fústibus cædi, súbulas étiam inter carnem & ungues intromítti, pellémque è dorso détrahi jubet. Quamvis autem mártyrum córpora jam non essent nisi vulnus, nihil tamen de sua in confiténdo Christo libertáte remittébant. Ad álios ígitur cruciátus confúgit devícta Præsidis rábies; sed

ab ipsis cruciátibus novos ánimos novásque vires ducébant, qui torquebántur; ádeò ut eórum cédere patiéntiæ coácta fúerit omnis júdicis tortorúmque immánitas. Quaprópter cum ii omne suppliciórum genus frustra consumpsíssent, tandem fortíssimi Christi pugílibus caput amputárunt. Horum mártyrum córpora Suessióne sepúlta sunt, & sub eórum invocatióne extrúcta est in ea urbe basílica in qua Clodobértus Chilpérici regis fílius sepúltus est. Sanctórũ córpora è crypta edúxit sanctus Elígius Noviorénsis Epíscopus.

Die xxviii.

In Festo

SS. SIMONIS ET JUDÆ

APOSTOLORUM.

Duplex-május.

Omnia de Communi Apostolorum pag. *iij.*

Oratio

DEus, qui nos per beatos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis sanctórum tuórum Simónis & Judæ précibus, ut quod fides cognóscit, spes desíderet & cáritas apprehéndat. Per Dóminum.

IN II. NOCTURNO

Ex Commentário Sancti Hierónymi Presbyteri in Matthæum.

Lectio iv. Lib. 1. C. 10.

SImon Cananæus ipse est qui in álio Evangelista scribitur Zelótes; Cana quippe Zelus interpretátur. Thadæum Apóstolum ecclesiástica tradit história missum Edéssam ad Abgarũ regem Chosidénæ: qui ab Evangélista Luca Judas Jacóbi dícitur, & álibi appellátur Lebæus quod interpretátur Córculus. Credendúmque est eũ fuísse triónymum: sicut Simon, Petrus; & Fílii Zebedæi, Boanérges, ex firmitáte & magnitúdine fídei nomináti sunt.

Ex Libro ejúsdem de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio v. Cap. 4.

JUdas frater Jacóbi parvam quidem quæ de septem Cathólicis est, Epístolam relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus est, in ea assúmit testimónium, à plerísque rejícitur; tamen auctoritátem vetustáte jam & usu

méruit, & inter sanctas Scriptúras computátur.

Ex Libéllo Sancti Adónis Epíscopi de festivitátibus Apostolórum.

Lectio vj. *Cap. 1.*

THadæus apud Mesopotámiam, Simon verò apud Ægyptum tráditur prædicásse. Inde simul Pérsidem ingréssi, cùm fidei Christi innúmeram gentis ipsíus multitúdinem subdidíssent, & Ecclésiam Dómini latè jam fundátam vidérent, martyrium ibi, cursum témporis expléntes, beáto certámine consummavérunt; honorificè sepúlti à pópulis christiánis, quos Dómino ipsi genúerant. Quòd quidam putant Simónem Apóstolum unum de duódecim, ipsum esse qui sub Trajáno crucem passus sit, omnínò falsum est. Nam & Beda sanctus préslbyter, qui hoc super Acta Apostolórum sentit, Isidórum secútus, in libro Retractatiónum se hoc non bene sensisse repreheńdit. Sed & históría ecclesiástica, non de Apóstolo, sed de álio Simóne gesta narrat.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 14.*

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Adhuc módicum & mundus me jam non videt; vos autem vidétis me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 76. num. 1.

QUia díxerat Dóminus: Adhuc módicum, & mundus me jam non videt; vos autem vidébitis me: interrogávit eum de hoc ipso Judas, non ille tráditor ejus qui Iscaríotes cognominátus est, sed cujus Epístola inter Scriptúras canónicas légitur: Dómine, quid factum est quia nobis manifestatúrus es teipsum, & non mundo? Simus cum ipsis tanquam interrogántes discípuli; communémque magístrum audiámus & nos.

Lectio viij.

JUdas enim sanctus, non immúndus, nec insectátor Dómini, sed sectator, causam quæsívit quare se non mundo, sed suis manifestatúrus esset Jesus:

quare adhuc módicum, & mundus non vidéret eum, ipsi autem vidérent eum? Respóndit Jesus, & dixit ei: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus.

Lectio ix.

QUi non díligit me, sermónes meos non servat. Ecce expósita est causa quare se suis manifestatúrus est, non aliénis quos mundi nómine appéllat; & ipsa est causa quòd hi díligant, illi non díligant. Ipsa causa est de qua sacer ínsonat Psalmus: Júdica me, Deus, & discérne causam meam de gente non sancta. Qui enim díligunt, quia díligunt, eligúntur: qui verò non díligunt, si linguis hóminum loquántur & angelórum, fiunt æraméntum sonans, & cymbalum tínniens.

Post Vesperas *commemoratio Sanctæ Ciliniæ Viduæ per Ant.* Domus *pag.* lij. *de Communi Sanctarum Mulierum.*

Oratio ut infra.



Die xxix.

In Festo

SANCTÆ CILINIÆ VIDUÆ,

Matris Sancti Remigii.

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Mulierum pag. *lj.*

Oratio

SAnctæ Ciliniæ, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos fovéri, ut cujus venerábilem festivitátem devóto celebrámus obséquio, ejus intercessiónibus commendémur & méritis. Per Dóminum.

Ex Flodoard. & Hincmaro in vita S. Remigii.

CIlínia illústri génere orta, Æmílio viro dignitáte Cómitis insígni in matrimónium trádita est. Cum eo vixit, ut Deo simul & viro religióne & prudéntiâ complacéret. Statim à primis nuptiárum annis, gémino partu édidit; áltero quidem, Princípium, qui pósteà Suessionénsi ecclésiæ summa cum laude præfuit; áltero autem fratrem ejus qui pater fuit beáti Lupi, ejúsdē posteà Princípii in Suessionénsi Episcopátu succesſóris. Jamprídem

párere desíerat Cilínia, ipsíque novæ prolis suscipiéndæ spem provéctior ætas adémerat, cùm Montánus quidam eremíta sanctíssimus, tértium ex ea filium nascitúrum prædíxit, qui Remédii vel Remígii nómine appellátus, Dei miníster ad multórum salútem foret, desiderátum Gallicánæ Ecclésiæ barbarórum incursiónibus desolátæ solátium afférret, regésque & pópulos in Christi cultu éditos, pietátis perpétuo fœdere consecráret. Vaticínio áddidit, nato púero, se lacte puérperæ óculos quorum usu dudum orbátus erat, recuperatúrum. *Lectio iij.*

PRomissiónis à sancto viro factæ veritátem probávit evéntus. Cilínia quippe intra decem menses fílium péperit, cui juxta divínum oráculũ, Remígii nomen datum est. Montánus verò matris lacte óculis perúnctis visum recépit. Infántem suum Deo óbtulit pia mater, in eóque christiánè instituéndo nihil omísit, ut vocatióni *divínæ* aliquándo respondéret. Sic Cilínia è virtúte in virtútem profécit, ac sanctitáte in dies illústrior, demum méritis plena, migrávit ad Dóminum. Ejus Relíquiæ asservántur religiósè in ecclésia sancti Remígii.

Post VESPERAS *commemoratio S. Quintini Martyris per Ant.* Nemo patiátur *pag.* viij. *de Comm. unius Martyris.*

Oratio ut infra.

DIE XXX.

In Festo

SANCTI QUINTINI MARTYRIS.

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij.*

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, fortitúdo certántium, & mártyrum palma, solemnitátem hodiérnæ diéi propítius intuére, & Ecclésiam tuam ánnuâ fac celebritáte lætári, ut quod méritis non præsúmit, intercessióne beáti Quintíni mártyris tui ássequi mereátur. Per.

Ex ejus Act. ap. Sur. Greg. Tur. & S. Audoëno, in vita S. Eligii. *Lectio ij.*

QUintínus Románus Zenónis Senatóris fílius, adoratóres verò Deo con-

ciliándi stúdio incénsus, Maximiáno & Diocletiáno imperatóribus, cum sóciis áliquot in Gállias venit, fidem Christi prædicatúrus. Quod cùm magnâ constántiâ Ambiánis perficeret, à Rictióvaro exquísitis torméntis cruciátur; deínde apud Augústum Viromanduórum jussu Præsidis ductus, post innúmera supplícia constánter toleráta, duábus súdibus férreis à cervíce usque ad crura transfixus, demum cápite truncátus est. Corpus ejus in Summam projéctum, Eusébia pia múlier, post annos quinquaginta quinque, reveláante ángelo, invénit; statímque oculórum usum quo dudum fúerat orbáta, recuperávit. Illud in monte sepelívit propè urbem; sacellúmque túmulo superstrúxit.

Lectio iij.

IGnorántibus pósteris quo in ecclésiæ loco jacéret, sancto Elígio Deus patefécit, qui de terra sublátum corpus piè osculátus, dentes è maxílla in languéntium medélam ábstulit; tumque ex dentis radíce sánguinis gutta stillávit. Clavos étiam prægrándes córporis ejus quondam à tortóribus infixos, è cérebro cæterísque ártubus avúlsos, & capíllos ejúsdem velut sacras Relíquias sibi servávit. Deínde pállio holosérico obvolútum corpus, ponè altáre cóndidit, tumulúmque miro ópere désuper fabricávit, ex auro argénto & gemmis, auctâ étiam basílicâ in qua signa & virtútes operátus est Dóminus.

Die xxxi.

IN VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

¶ *Si occurrat Dominica, ultima Lectio erit de Vigil. Post* LAUDES *commem. Vigil. per Ant.* Sérvient *ut infra.*

Simplex.

Officium de Feria occurrente, exceptis quæ seq.

Duo prima ℟℟. *de Feria occurrente.*

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. *Cap. 6.*

IN illo témpore; Elevátis Jesus óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Et réliqua.

Homília Sancti Bernárdi Abbátis.

SAnctórum festa præcípua Patrum sanxit auctóritas votívis præveniénda jejúniis: utíliter planè: & non ad insipiéntiam nobis, si fúerit qui advértat. Multa síquidem peccáta quotídie contráhimus, & in multis offéndimus omnes: nec tutum omnínò est celebrándas suscípere festivitátes sacras maximèque eas quæ máximæ sunt, nisi priùs abstinéntiæ purificatióne præmíssâ, quo & digniores & capacióres inveniámur spirituálium gaudiórum. . . . . Nec modò tamen præparátio est ad próximam celebritátem obsservâtio præmíssa jejúnii; est & admonítio quædã eruditióque non parva. Díscimus ex hoc ipso quænam vera sit via festivitátis ætérnæ: Quid est enim quòd jejúniis solémnia prævénimus, nisi quòd per multas tribulatiónes opórtet nos introíre in regnum Dei? Indígnus quippe solémni lætítiâ est, qui statútam vigíliæ abstinéntiam non obsérvat. Planè inquam, si rénuis afflígere ánimam tuam in vigília, indígnus jure censéris réquie & exultatióne festívâ. Est autem univérsum præséntis pœniténtiæ tempus vigília quædam solemnitátis magni & ætérni sabbatísmi quem præstolámur: Nec causáberis vigíliam longiórem, si æternitátem festivitátis attendas.

℟. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: Beáti pacífici, quóniam Fílii Dei vocabúntur: * Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

℣. Multæ tribulatiónes justórum, & de ómnibus his liberábit eos Dóminus. * Beáti. Glória. * Beáti. *Matth.* 5. *Psalm.* 33.

Ad Benedíctus

Ant. 3. Sérvient Deo servi ejus, & vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 12.

Oratio

DOmine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam; & quorum prævénimus gloriósa solémnia, tribue súbsequi in sancta professióne lætítiâ. Per Dóminum.

Preces flexis genibus.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE I.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Solemne-majus.

IN I. VESPERIS

Ant. 1. JUsti in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum. *Sap.* 5.

Psalmus 47. Magnus Dóminus, & laudábilis nimis *pag.* 176.

Ant. 2. Cogitátio illórum apud Altíssimum: ídeò accípient regnum decóris, & diadéma spéciéi de manu Dómini. *Sap.* 5.

Psalmus 110. Confitébor tibi, Dómine, ... in concílio *pag.* 36.

Ant. 3. Addúcet illos Deus cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ, cum misericórdia. *Baruc.* 5.

Psalmus 115. Crédidi propter *pag.* 131.

Ant. 4. Habitábunt in Jerúsalem, & anathéma non erit ámplius; sed sedébit Jerúsalem secúra. *Zach.* 14.

Psalmus 125. In converténdo, Dóminus *p.* 65.

Ant. 5. Lætabúntur, sicut qui lætántur in messe, sicut exúltant victóres captâ prædâ. *Is.* 9.

Psalmus 150. Laudáte Dóminum in Sanctis ejus. *pag.* 77.

Capitulum Is. 51.

AUdíte me, qui sequímini quod justum est, & quæritis Dóminum: Gáudium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio, & vox laudis. Salus autem mea in sempitérnum erit.

℟. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine, * Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. † Quóniam apud te est fons vitæ. ℣. Agnus qui in médio troni est, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes. * Et torrénte. Glória. † Quóniam. *Ps.* 35. *Apoc.* 7.

HYMNUS

Vos sancti Próceres, vos Súperûm chori,
Cœli quotquot habet régia príncipes,
Nostros nunc date vestris
Cantus júngere cántibus.

Primis ante álios, glória cœlitûm,
Christi Virgo parens fulget honóribus;
Divinóque sevérum
Flectit pígnore júdicem.

Astant Spirítuum mille ácies trono;
Regi sancta ferunt vota cliéntium:
Hîc Baptísta profúndo
Lucis flúmine mérgitur.

Quorum núntia vox, orbis ad últimas,
Christum vox résonans, intónuit plagas,
Præcónes duodéni
Sacris Vátibus assídent.

Fuso purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum rosis.

Qui pavêre suos Præpósiti greges;
Pascúntur súpero Númine pléniùs:
Qui flevêre, serénus
Abstérgit lácrymas Pater.

A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

℣. Dómine, in justítia tua exaltabúntur:
℟. Quóniam glória virtútis eórum tu es. Allelúia, all. all. *Ps.* 88.

Ad Magnificat

Ant. 7. Redémpti à Dómino vénient in Sion cum laude & lætítia sempitérna super caput eórum: gáudium & lætítiam obtinébunt. Allel. *Is.* 35.

Oratio ut infrà ad Laud.

Ad Completorium *omnia de Dominica.*

AD MATUTINUM

Invitatorium. Deum qui glorificátur in concílio Sanctórum, *Veníte, adorémus. *Ps.* 88.

Psalm. Venite. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Grátia Dei & misericórdia est in Sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. *Sap.* 4.

Psalmus 1. Beátus vir qui non ábiit *pag.* 7.

Ant. 1. In manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis : spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

Psalmus 8. Dómine, Dóminus noster *pag.* 56.

Ant. 8. Fulgébunt sicut sol in regno patris eórum. *Matth.* 13.

Psalmus 14. Dómine, quis habitábit *pag.* 69.

℣. Novit Dóminus dies immaculatórum,

℟. Et hæréditas eórum in ætérnum erit. Allelúia, allelúia, allelúia. *Ps.* 36.

Ex Libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. *Cap.* 4.

Ecce sedes pósita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lápidis jáspidis & sárdinis : & iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smaragdínæ ; & in circúitu sedis sedília vigínti quátuor, & super tronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, & in capítibus eórum corónæ aureæ. Et de trono procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua, & septem lámpades ardéntes ante tronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis, tanquam mare vitreum símile crystállo ; & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis ante & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & secúndùm ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas : & in circúitu, & intùs plena sunt óculis ; & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat & qui est, & qui ventúrus est.

℟. Qui confidunt in

Dómino, intélligent veritátem: & * Fidéles in dilectióne acquiéscent illi; † Quóniam donum & pax est eléctis ejus.

℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. * Fidéles. Glória. † Quóniam. *Sap.* 3. *Rom.* 8.

Lectio ij. *Cap.* 5.

ET vidi in déxtera sedéntis super tronum, librum scriptum intùs & foris, signátum sigíllis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis est dignus aperíre librum, & sólvere signácula ejus? Et nemo póterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multùm: quóniam nemo dignus invéntus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvére septem signácula ejus. Et vidi: & ecce in médio troni & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tanquam occísum; habéntem córnua septem & óculos septem, qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedéntis in trono librum. Et cùm aperuísset librum, quátuor animália, & vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℟. Dóminus Deus servos suos vocábit nómine álio: & * Non erunt in memória prióra, & non ascéndent super cor; † Et non audiétur ultra vox fletûs, & vox clamóris.

℣. Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. * Non erunt. Glória. † Et. *Is.* 65. *Apoc.* 21.

Lectio iij.

ET cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne: & fecísti nos Deo nostrum regnum & sacer-

dótes? & regnábimus super terram. Et vidi, & audívi vocem angelórum multórum in circúitu troni, & animálium, & seniórum, & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus est Agnus qui occísus est accipere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audívi dicéntes: Sedénti in trono, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potéstas in sæcula sæculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et vigínti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas, & adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum.

℟. Laudáte, cœli, Jubiláte montes, laudem: * Dóminus páuperum suórum miserébitur; non esúrient neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol, † Quia miserátor eórum reget eos: & ad fontes aquárum potábit eos.

℣. *Laudem dícite Deo* nostro, omnes servi ejus, & qui timétis Deum pusílli & magni, quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. * Dóminus. Glória. † Quia. *Is.* 49. *Apoc.* 19.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

Psalmus. 23. Dómini est terra *pag.* 74.

Ant. 3. Veníte benedícti patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi. *Mat.* 25.

Psalmus. 32. Exultáte justi, in Dómino *p.* 115. *usque ad divisionem.*

Ant. 1. Gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. *Matth.* 5.

Divisio Psal. 32. Beáta gens *pag.* 115.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei,

℟. Et delecténtur in lætítia. All. all. all. *Ps.* 67.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Ser. 5. *in Fest. omnium Ss. n.* 1. *&* 2. *Lectio iv.*

Festíva nobis est dies, & inter præcípuas so-

lemnitátes hodiérna solémnitas numerátur. Nóvimus festivitátem ómnium Sanctórum dici, & esse, quam hódie celebrámus, ómnium, inquam, sive cœléstium sive terréstrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & sunt Sancti de terra, itémque eórum qui de terra sunt: quidam adhuc in terra, áliqui jam in cœlo. Est-ne adhuc Sanctórum áliquod tértium genus? Est, sed occúltum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant, adhuc pugnant: currunt adhuc, necdum comprehendérunt. Hæc nimírum divérsitas appellatiónis in nómine sanctitátis, ut álii quidem jam secúndùm consummatiónem Sancti vocéntur, álii juxta solam adhuc prædestinatiónem.

℟. Hic patiéntia Sanctórum est, qui custódiunt mandáta Dei & fidem Jesu: beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. * Amodò jam dicit Spíritus, ut requiéscant à labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos. ℣. Réddidit Deus justis mercédem labórum suórum. * Amodò. Glória. * Amodò. *Apoc.* 14. *Sap.* 10.

Lectio. v. *num.* 5.

AD quid sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra? Ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Filii promissiónem honoríficat Pater cœléstis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectíssimi: honórum nostrórum Sancti non egent, nec quídquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantùm ínterest nostrâ: Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári, ut eórum tam optábili societáte fruámur, & mereámur concíves & contubernáles esse spíritum beatórum; miscéri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetárum, senátui Apostolórum, Mártyrum exercítibus numerósis, Confessórum collégiis, Vírginum choris, in ómnium dénique cólligi & collætári communióne Sanctórum.

℟. Vidi & ecce agnus stabat supra montem Sion, &

& cum eo * Habéntes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in fróntibus suis, † Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℣. Tempus advénit, & regnum obtinuérunt Sancti. * Habéntes. Glória. † Hi.
Apoc. 14. *Dan.* 7.

Lectio vj. *num.* 6.

PRæstolátur nos Ecclésia illa primitivórum, & neglígimus; desíderant nos Sancti, & parvi péndimus: expéctant nos Justi, & dissimulámus. Excitémur aliquándo, fratres, resurgámus cum Christo, quærámus quæ sursum sunt: quæ sursum sunt sapiámus. Desiderémus desiderántes nos, properémus ad præstolántes nos, expectántes nos votis præoccupémus animórum. Ecce nihil in hac nostra communióne securitátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hîc quoque quàm bonum & quàm jucúndum habitáre fratres in unum! Quidquid enim sive intériùs, sive extériùs, moléstum occúrrit, ipso utíque tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus est nobis cor unum & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dúlcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla suspício esse póterit, nulla dissensiónis occásio, ubi omnes perfécta cáritas indissolúbili fœdere colligábit!

℟. Hi omnes testimónio fídei probáti sunt: * Ideóque & nos tantam habéntes impósitam nubem téstium, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen.

℣. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti, viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. * Ideóque. Glória. * Ideóque.
Hebr. 11. & 12. *Eccli.* 44.

IN III. NOCTURNO

Ant. 7. Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam quâ diléxit nos, consedére fecit in cœléstibus. *Ephes.* 2.

Psalmus 36. Noli æmulári *pag.* 82. *usque ad Divisionem.*

Ant. 8. Dignos nos fecit in partem sortis Sanctórum in lúmine, & tránstulit in regnum fílii dilectiónis suæ. *Coloss.* 1.

Divisio Psal. 36. Novit Dominus *pag.* 83. *usque*

ad alteram Divisionem.

Ant. 5. Nos omnes, revelátâ fácie glóriam Dómini speculántes, in eámdem imáginem transformámur à claritáte in claritátem. 2. *Cor.* 3.

Altera Divisio Psal. 36. Os justi *pag.* 83.

℣. Illúminans tu mirabíliter, Dómine,

℟. A móntibus ætérnis. All. all. all. *Ps.* 75.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore; Videns Jesus turbas, ascéndit in montem: & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus; & apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília Sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Cap. 5. Matth.

BEáti páuperes spíritu, hoc est quod álibi légimus, Et húmiles spíritu salvábit. Ne quis autem putáret paupertátem, quæ nonnúnquam necessitáte portátur, à Dómino prædicári, adjúnxit, spíritu; ut humilitátem intellígeres, non penúriam. Beáti páuperes spíritu, qui propter Spíritũ Sanctũ voluntáte sunt páuperes. Unde super hujuscémodi paupéribus & Salvátor noster per Isáiam lóquitur: Dóminus unxit me; propter quod evangelizáre paupéribus misit me. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram: non terram Judææ, nec terram istíus mundi: non terram maledíctam, spinas & tríbulos afferéntem, quam crudelíssimus quisque & bellátor magis póssidet, sed terram quam Psalmísta desíderat, dicens: Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℟. Vídeant páuperes, & lætántur, quóniam exaudívit páuperes Dóminus: *Inhabitábunt in Sion, & hæreditáte acquírent eam.

℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo dívites in fide, & hærédes regni, quod repromísit Deus diligéntibus se? * Inhabitábunt. Glória. * Inhabitábunt. *Ps.* 68. *Jacob.* 2.

Lectio viij.

BEáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Luctus hic non mor-

:um pónitur commúni
: natúræ, sed peccátis
vítiis mortuórum. Sic
it & Sámuël Saú-
; quia pœnitúerat
ım quòd unxíſſet eum
em ſuper Iſraël. Sic &
lus Apóſtolus flere ac
re ſe dicit eos, qui
: fornicatiónem & im-
ıdítiam non egérunt
iténtiam. Beáti qui e-
unt & sítiunt juſtítiam.
ı nobis súfficit velle
tiam, niſi juſtítiæ pa-
ıur famem; ut ſub hoc
mplo nunquam nos ſa-
uſtos, ſed ſemper eſu-
juſtítiæ ópera intelli-
us. Beáti miſericórdes.
ericórdia non ſolùm in
móſynis intellígitur,
n omni peccáto fra-
, ſi alter altérius óne-
portémus.
. Repléti ſumus miſe-
rdiâ tuâ, Dómine;
xultávimus, & delec-
ſumus: * Lætáti ſu-
pro diébus quibus nos
iliáſti, annis quibus
nus mala. ℣. Mo-
táneum & leve tribu-
nis noſtræ, ſupra mo-
in ſublimitáte ætér-
glóriæ pondus ope-
r in nobis. * Lætáti.
ria. * Lætáti. *Pſal.* 89.
Cor. 4.

Lectio ix.

Beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt, quos non árguit conſciéntia ulla peccáti. Mundus mundo corde conſpícitur: templum Dei non poteſt eſſe pollútum. Beáti pacífici, qui primùm in corde ſuo, deínde & inter fratres diſſidéntes pacem fáciunt. Quid enim prodeſt álios per te pacári, cùm in tuo ánimo ſint bella vitiórum? Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam. Signánter áddidit: Propter juſtítiam: multi enim perſecutiónem propter ſua peccáta patiúntur, & non ſunt juſti.

℟. Redemíſti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & pópulo & natióne; * Et † Fecíſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdótes: & regnábimus. ℣. Dux fuíſti in miſericórdia tua pópulo quem redemíſti, & portáſti eum in fortitúdine tua ad habitáculum ſanctum tuum. * Et. Glória. † Fecíſti. *Apoc.* 5. *Exod.* 15.

Te Deum.

AD LAUDES

Psalmi de Dominica; & sic ad Horas parvas.

Ant. 1. VIdi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante tronum, & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

Ant. 2. Vocem audívi sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis; & cantábant cánticum novum ante sedem Agni. *Apoc.* 14.

Ant. 3. Agnus Dóminus dominórum est, & Rex regum; & qui cum illo sunt, vocáti, elécti, & fidéles. *Apoc.* 17.

Ant. 5. Dealbavérunt.

CANTICUM *Sap.* 10.

REddidit justis Sapiéntia mercédem labórum suórum, * & dedúxit illos in via mirábili.

Et fuit illis in velaménto diéi, * & in luce stellárum per noctem.

Tránstulit illos per mare rubrum, * & transvéxit illos per aquam nímiam.

Inimícos autem illórum demérsit in mare; * & ab altitúdine inferórum edúxit illos.

Ideò justi tulérunt spólia impiórum; * & decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter.

Quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum; * & linguas infántium fecit disértas.

Et dicitur per totam Octavam.

Ant. Dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni, ídeò sunt ante tronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7.

Ant. 6. Cùm darent glóriã Vivénti in sæcula, procidébant, & mittébant corónas suas ante tronum. *Apoc.* 4.

Capitulum Ephes. 1.

DEus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in Sanctis.

℣. Exaltatiónes Dei in gútture eórum: ℟. Glória hæc est ómnibus Sanctis ejus. Allelúia, allel. allel. *Ps.* 149.

Ad Benedictus

Ant. 6. Fulgébunt justi, judicábunt natiónes & dominabúntur pópulis ; & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. *Sap.* 3.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio Ibid.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Anno 1563. Sess. 25. Decr. de Invocat. Sanctorum.

Mandat sancta Synodus ómnibus docéndi munus curámque sustinéntibus, ut fidéles diligénter ínstruant, Sanctos unà cum Christo regnántes, oratiónes suas pro homínibus Deo offérre; bonum atque útile esse supplíciter eos invocáre.

AD TERTIAM

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *br.* Sancti tui, Dómine, benedícent tibi. *Allelúia, allelúia.

℣. Glóriam regni tui dicent. * Allelúia. Glória. Sancti.

℣. Notam fácient fíliis hóminum poténtiam tuã.

℟. Et glóriam magnificéntiæ regni tui. Allel. allel. allel. *Ps.* 144.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *br.* Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine. *Allelúia, allel.

℣. In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis. *Allelúia. Glória. Læténtur.

℣. Gloriabúntur in te, Dómine,

℟. Omnes qui díligunt nomen tuum. Allelúia, allel. allel. *Ps.* 5.

AD NONAM

Capitulum 2. Cor. 6.

Inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus.

℟. *br.* Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * Allelúia, allel.

℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. * Allel. Glória. Beáti. *Ps.* 83.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt.

℟. Et justítiâ tuâ exultábunt. Allel. allel. allel. *Ps.* 144.

AD II. VESPERAS

Psalmi de Dominica.

Ultimus Psalmus, Ps. 83. Quám diléćta tabernácula tua *pag.* 127.

Ant. 4. BEnedictus Deus, qui elégit nos in Christo, ut essémus sancti & immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. *Ephes.* 1.

Ant. 1. Ipsíus sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus. *Ephes.* 2.

Ant. 3. Prædestinávit nos in adoptiónem filiórum, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. *Ephes.* 1.

Ant. 6. Fílii Dei sumus, hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur, ut & conglorificémur. *Rom.* 8.

Ant. 7. Fílii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *Tob.* 2.

Capitulum de I. Vesperis.

HYMNUS

CŒLO quos éadem glória cónsecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies:
Læti vestra simul præmia pángimus,
Duris parta labóribus.

JAM vos pascit amor, núdaque véritas:
De pleno bíbitis gáudia flúmine:
Illic perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.

ALTIS secum hábitans in penetrálibus
Se Rex ipse suo contúitu beat;
Illabénsque, suì pródigus, íntimis
Sese méntibus ínserit.

ALTARI médio, cui Deus ínsidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor;
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se jugis litat hóstia.

PRONIS turba senum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnánti Dómino dévovet áurea,
Quæ ponit, diadémata.

GENTES innúmeræ, conspícuæ stolas

Agni purpúreo sángui-
ne cándidas,
Palmis læta cohors, cántibus æmulis
Ter sanctum célebrant Deum.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Sit par Sancte tibi laus quoque Spiritus,
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus. Amen.

℣. In lúmine tuo vidébimus lumen:

℟. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, Dómine. Allel. allel. all. *Ps.* 35.

Ad Magnificat

Ant. 6. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. 1. *Cor.* 2.

Oratio ut supra ad Laud.

Post Benedicámus *Vesperæ de Commemoratione omnium Fidelium Defunct. ut infra in Officio Defunct. ad calcem Brev. Post Ant. ad* Magníficat *Preces de Laudibus ibid.* Dóminus vobíscum. *Sola Oratio* Fidélium *ut infra in Laud.*

Si Festum omnium Sanctorum occurrat Sabbato, Officium Commemorationis omnium Fidelium transfertur in Feriam II. sequentem, ac pridiè post Vesperas Dominicæ dicuntur Vesperæ Defunctorum.

Completorium *ut in Dominica.*

Die II.

In Commemoratione
OMNIUM FIDELIUM
Defunctorum.

Duplex-majus.

Hoc Officium terminatur ad Nonam inclusivè.

Omnia ut in Officio Defunctorum, exceptis quæ sequuntur

AD MATUTINUM
IN I. NOCTURNO
De Libro Job.

Lectio j. *Cap.* 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihi-

metípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsíeris, non subsístam.

Non dicitur Tu autem.

Lectio ij. *Cap.* 14.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat; donec optáta véniat, sicut mercenárii, dies ejus.

Lectio iij. *Cap.* 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò làbia circa dentes meos. Miserémini meì, miserémini meì, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum, & rursum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum, quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

IN II. NOCTURNO

Ex Libro Sancti Augustíni Epíscopi, de verbis Apóstoli.

Serm. 172. *Cap.* 1.

Lectio iv.

ADmonet nos beátus Apóstolus, ut de dormiéntibus, hoc est, mórtuis caríssimis nostris, non contristémur sicut & cæteri qui spem non habent, spem scílicet resurrectiónis & incorruptiónis ætérnæ. Nam ideò & dormiéntes eos appéllat Scriptúræ veracíssima consue-

túdo, ut cùm dormiéntes audímus, evigilatúros mínimè desperémus. Unde étiam cantátur in Psalmo, Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? Est ergo de mórtuis, eis qui díligunt, quædam tristítia quodámmodo naturális. Mortem quippe horret, non opínio, sed natúra: nec mors hómini accíderet, nisi ex pœna quam præcésserat culpa. Quaprópter si animália, quæ ita creáta sunt ut suo quæque témpore moriántur, mortem fúgiunt, díligunt vitam: quantò magis homo qui sic fúerat creátus, ut si vívere sine peccáto voluísset, sine término víveret? Hinc ítaque necésse est ut tristes simus, quando nos moriéndo déserunt quos amámus: quia etsi nóvimus eos non in ætérnum relínquere nos mansúros, sed aliquántùm præcédere secutúros; tamen mors ipsa quam natúra réfugit, cùm óccupat diléctum, contrístat in nobis ipsíus dilectiónis afféctum. Ideò nos admónuit Apóstolus, ut non contristémur, sed non sicut cæteri qui spem non habent.

Lectio v. Cap. 1. & 2.

Contristámur ergo nos in nostrórum mórtibus necessitáte amitténdi, sed cum spe recipiéndi. Inde ángimur, hinc consolámur. Inde infírmitas áfficit, hinc fides réficit. Inde dolet humána condítio, hinc sanat divína promíssio. Proínde pompæ fúneris, ágmina exequiárum, sumptuósa diligéntia sepultúræ, monumentórum opulénta constrúctio, vivórum sunt qualiacúmque solátia, non adjutória mortuórum. Oratiónibus verò sanctæ Ecclésiæ, & sacrifício salutári, & eleemósynis quæ pro eórum spirítibus erogántur, non est dubitándum mórtuos adjuvári, ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórũ peccáta meruérunt. Hoc enim à pátribus tráditum univérsa obsérvat Ecclésia, ut pro eis qui in córporis & sánguinis Christi communióne defúncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorántur, orétur, ac pro illis quoque id offérri commemorétur. Cùm verò eórum commendandórum causâ ópera miseri-

córdiæ celebrántur, quis eis dúbitet suffragári, pro quibus oratiónes Deo non ináníter allegántur? Non omnínò ambigéndum est ista prodésse defúnctis; sed tálibus, qui ita víxerint ante mortem, ut possint eis hæc utília esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectiónem operátur, ejúsque sacraméntis, de corpóribus exiérunt; frustra illis à suis hujúsmodi pietátis impendúntur offícia, cujus, dum hîc essent, pígnore caruérunt, vel non suscipiéntes, vel in vácuum suscipiéntes Dei grátiam, & sibi non misericórdiam thesaurizántes, sed iram.

Lectio vj.

NOn ergo mórtuis nova mérita comparántur, cùm pro eis boni áliquid operántur sui; sed eórum præcedéntibus consequéntia ista reddúntur. Non enim actum est, nisi cùm hîc víverent, ut eos hæc áliquid adjuvárent, cùm hîc vívere destitíssent. Et ídeò istam fíniens quísque vitam, nisi quod méruit in ipsa, non póterit habére post ipsam. Permittántur itaque pia corda carórum, de suórum mórtibus contristári dolóre sanábili, & consolábiles lácrymas fundant conditióne mortáli, quas citò réprimat fídei gáudium, quâ credúntur fidéles quando moriúntur, páululùm à nobis abíre, & ad melióra transíre. Consoléntur eos étiam fratérna obséquia, sive quæ funéribus exhibéntur, ne sit justa queréla dicéntium: Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; & consolántes, & non invéni. Sit pro víribus cura sepeliéndi, & sepúlcra construéndi; quia & hæc in Scriptúris sanctis inter bona ópera deputáta sunt: nec solùm in corpóribus Patriarchárũ aliorúmque Sanctórum, & humánis cadavéribus quorumcúmque jacéntium, verùm étiam in ipsius Dómini córpore, prædicáti atque collaudáti sunt, qui ista fecérunt. Impleant hæc hómines erga suos offícia postrémi múneris, & sui humáni leniménta mœróris. Verùm illa quæ ádjuvant spíritus defunctórum, oblatiónes, oratiónes, erogatiónes, multò pro eis observántiùs, instántiùs, abundántiùs impéndant,

qui suos carne non spíritu mórtuos, non solùm carnáliter, sed étiam spirituáliter amant.

IN III. NOCTURNO

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio vij. *Cap.* 15.

SI Christus prædicátur quòd resurréxit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus resurréxit. Si autem Christus non resurréxit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra: invenímur autem & falsi testes Dei, quóniam testimóniũ díximus advérsùs Deum quòd suscitáverit Christum quem non suscitávit si mórtui non resúrgunt: nam si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit. Quòd si Christus non resurréxit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris: ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurréxit à mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum: & sicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Christo omnes vivificabúntur.

Lectio viij.

SEd dicet áliquis: Quómodò resúrgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas, non vivificátur, nisi priùs moriátur: & quod séminas, non corpus quod futúrum est séminas, sed nudum granum, ut puta trítici, aut alicújus cæterórum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, & unicuíque séminũ próprium corpus. Non omnis caro, éadem caro, sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria, sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas stellárum; stella enim à stella differt in claritáte. Sic & resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in in-

corruptióne : seminátur in ignobilitáte, surget in glória : seminátur in infirmitáte, surget in virtúte : seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

Lectio ix.

ECce mystérium vobis dico : Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíssima tuba : canet enim tuba, & mórtui resúrgent incorrúpti ; & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus ? Stímulus autem mortis peccátum est, virtus verò peccáti, lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilécti, stábiles estóte & immóbiles : abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

AD LAUDES

℣. Dóminus vobíscum ;
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis.

Dóminus vobíscum ;
℟. Et cum spíritu tuo.
Requiéscant in pace.
℟. Amen.

AD HORAS.

Secretò Pater *&* Ave.
Psalmi de Feria occurrente.: inchoantur absolutè ac recto tono dicuntur : in fine tantum ultimi Psalmi Réquiem ætérnam. *Post Pss.* ℟. *ut sequitur.*
Oratio ut supra ad Laud.

AD PRIMAM

℟. Vos, caríssimi, superædificántes vosmetípsos sanctíssimæ vestræ fidei ; * In Spíritu Sancto orántes, illos salváte, de igne rapiéntes.
℣. Donec det Dóminus réquiem frátribus vestris, & possídeant ipsi terram quam Deus vester datúrus est eis. * In Spíritu.

℟. Vos, caríssimi, *usque ad* ℣: *Judæ.* 20. *Josue.* 1.

Oratio de Laudibus.

Deinde Canon sequens sine Benedictione & Tu autem.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. *Decret de Purgat.*

CUm Cathólica Ecclésia in Synodo Tridentína docúerit purgatórium esse, animásque ibi deténtas, Fidélium suffrágiis, potíssimùm verò acceptábili altáris Sacrificio juvári; præcipit éadem sancta Synodus Epíscopis ut sanam de Purgatório doctrínam à sanctis Pátribus & sacris Concíliis tráditam, à Christi fidélibus credi, tenéri, docéri, & ubíque prædicári diligénter stúdeant.

Post Primam Psalmi Graduales. Deinde Commendatio generalis Animarum ut ad calcem Breviarii.

AD TERTIAM

℟. Quóniam estis fratres nostri, * Nos in omni témpore sine intermissióne in diébus solémnibus, & cæteris quibus opórtet, mémores sumus vestrî in sacrifíciis quæ offérimus, & in observatiónibus, sicut fas est, & decet meminísse fratrum.

℣. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. * Nos. 1. *Mach.* 12. *Hebr.* 13. ℟. Quóniam *usque ad* ℣.

Oratio de Laudibus.

AD SEXTAM

℟. Ubi est multitúdo víscerum tuórum, & miseratiónum tuárum? Tu, Dómine, Pater noster, Redémptor noster, * Convértere propter servos tuos, tribus hæreditátis tuæ. ℣. Per redemptiónem quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónem in sánguine ipsíus. * Convértere. *Is.* 63. *Rom.* 3. ℟. Ubi *usque ad* ℣.

Oratio de Laudibus.

AD NONAM

℟. Dómine omnípotens Deus Israël, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israël: Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manûs tuæ & nóminis tui.

℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Audi. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5. ℟. Dómine *usque ad* ℣.

Oratio de Laudibus.

Vesperæ de Oct. omn. Ss.

Post VESPERAS *commemoratio S. Huberti Episcopi per Ant.* Elégit *pag.* xxj. *Oratio* Deus fidélium *pag.* xxiv. *de Comm. Ss. Pontif.*

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex-minus.

Omnia ut in die exceptis quæ sequuntur. Psalmi de Feria occurrente in toto Officio per totam Octavam.

AD MATUTINUM novem Psalmi sub sola prima Antiphona è I. Noct. Festi. ℣. & ℟ ℟ ℟. *ex Nocturno secundum Feriam.* Glória *post iij.* ℟. *tantùm. Prima Lectio, Scriptura occurrens ex qua fit una. II. verò & III. ut infra de die intra Octav. occurr.*

AD LAUDES Psalmi de Feria cum Cantico de Festo sub sola I. Ant. Festi.

AD HORAS ℟ ℟ ℟. *brevia de secundo modo: Canon de Feria occurrente.*

AD VESPERAS Psalmi sub sola prima Antiphona è II. Vesperis Festi. Hymnus & Versus ibidem. Capitulum verò è I. Vesp.

AD COMPLETORIUM omnia ut in Feriis.

¶ *Si Dom. intra Octav. omnium Sanctor. occurrat, totum Officium fit de Dominica occurrente, commemor. omnium Sanctorum in utrisque Vesp. & Laud.*

AD MATUTINUM ultima Lectio, tertia Lectio de die intra Octav. occurr.

Si occurrat commemor. alicujus Sancti, tum vij. Lectio, Evang. Dominicæ cum prima ejus Hom. parte tantùm. VIII. de die intra Octavam occurrente. Ultima de Sancto.

DIE III.
DE OCTAVA
omnium Sanctorum.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

De omn. Sanctis, Homil. 18. inter æstiv. de Sanctis.

Lectio ij.

LEgimus in ecclesiásticis históriis, quòd Sanctus Bonifácius, qui quartus à beáto Gregório Románæ urbis Episcopátum tenébat, suis précibus à Phoca Cæsare impetráverit, donári Ecclésiæ Christi templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon ante vocabátur; quia hoc quasi simulácrum ómnium viderétur esse

deórum : Ex quo, elimi-nátâ omni spurítiâ, fecit ecclésiam sanctæ Dei Genitrícis atque ómniũ Mártyrum Christi, ut exclúsâ multitúdine, dæmonum multitúdo ibi Sanctórum à fidélibus in memória haberétur, & plebs univérsa in cápite calendárum Novémbrium ad ecclésiam in honóre ómnium Sanctórum consecrátam conveníret, ibíque Missárum solemnitáte à Præsule sedis Apostólicæ celebrátâ, omnibúsque ritè peráctis, unusquísque in sua cum gáudio remeáret. Ex hac ergo consuetúdine sanctæ Románæ Ecclésiæ, crescénte religióne christiánâ, decretum est ut in ecclésiis Dei, quæ per orbem terrárum longè latèque construúntur, honor & memória ómnium Sanctórum in die quâ prædíximus, haberétur, ut quidquid humána fragílitas per ignorántiam vel negligentiam, seu per occupatiónem rei sæculáris, in solemnitáte Sanctórum minùs plenè peregísset, in hac observatióne solverétur; quátenùs eórum patrocíniis protécti ad supérna gáudia pervenire valeámus.

De S. Huberto. Ex Baillet.

Lectio iij.

HUbértus Aquitánus, génere insígnis, in aula Theodórici tértii Regis plures versátus annos, aspiránte Dei grátiâ, spretis vitæ delíciis, repudiatísque sæculi honóribus, Trajéctum ad Mosam secéssit ad Lambértum Trajecténsem Epíscopum, quo duce totum sese Christo mancipávit. Magístro impiâ cæde trucidáto suffféctus, ejus vestígiis insístens, extirpándæ idololátriæ vitiísque fugándis felíciter incúbuit. Corpus Lambérti unà cum sede Leódium tránstulit. Arduénnam plúries, nec sine vitæ discrímine peragrátam Christo péperit. Multis tandem perfúnctum labóribus, omníque virtútum grátiâ eméritum stolâ ætérnæ glóriæ índuit eum Dóminus anno septingentésimo vigésimo séptimo. A nono sæculo Andaínum monastérium apud Arduénnam, Hubérti nómine, ejus Relíquiis ac populórum frequéntiâ in Rabiéi præsértim periculis illustrátur.

Post LAUDES *commem. S. Huberti Episcopi per Ant.* Ego sum *pag.* xxiv. *Oratio* Deus fidélium *ibid. de Communi Ss. Pontific.*

DIE IV.

DE OCTAVA *omnium Sanctorum.*

Sermo Sancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Ep. 1. ad Cor. C. 35. sæc. 1.

Lectio ij.

QUàm beáta sunt & mirabília dona Dei, diléčti! Vita in immortalitáte, splendor in justítia, véritas in libertáte, fides in confidéntia, continéntia in sanctitáte; & hæc ómnia sub intelléctum nostrum cadunt. Quænam ígitur sunt quæ præstolántibus apparántur? Sanctíssimus ópifex & Pater sæculórum, quantitátem & pulcritúdinem, excellentiámque illórum cognóscit. Nos ígitur summo stúdio conténdimus in número expectántium eum repeíri, ut partícipes fiámus donórum repromissórum. Quomodò autem evéniet istud, diléčti? Si mens nostra in Deum fide stabílita fúerit: si plácita illi, & accépta exquisivérimus, si perfecérimus quæ ad inculpátam ejus voluntáté pertinent, & secúti fuérimus viam veritátis; abjiciéntes à nobis omnem injustítiam & iniquitátem, avarítiam, contentiónes, malignitátes & fraudes, susúrros & obtrectatiónes, ódium Dei, supérbiam & ostentatiónem, inánem glóriam atque amórem vanitátis. Qui enim ista fáciunt, odiósi Deo sunt: neque solùm qui ea fáciunt, sed étiam qui conséntiunt illis.

Ex Libro S. Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

De mortalitate circa finem.

Lectio iij.

COnsiderándum est, fratres dilectíssimi, & idéntidem cogitándum, renunciásse nos mundo, & tanquam hóspites & peregrínos, hìc ínterim dégere. Amplectámur diem, qui asśignat síngulos domicílio suo: qui nos istinc eréptos, & láqueis sæculáribus exsolútos, paradíso restítuit, & regno cœlésti. Quis non péregrè constitútus, properáret in pátriam régredi? Quis non ad suos navigáre festínans, ventum prósperum

cupidiùs optáret, ut velóciter caros licéret ampléctì? Pátriam nostram paradísum computámus, paréntes Patriárchas habére jam cœpimus: quid non properámus, & cúrrimus, ut paréntes salutáres salutáre possímus? Magnus illic nos carórum númerus expéctat, paréntum, fratrum, filiórum frequens nos & copiósa turba desíderat, jam de immortalitáte secúra, & adhuc de nostra salúte sollícita. Ad horum conspéctum & compléxum veníre, quanta illis & nobis in commúne lætítia est! Qualis illic cœléstium regnórum volúptas, sine timóre moriéndi, & cum æternitáte vivéndi! Quàm summa & perpétua felícitas! Illic Apostolórum gloriósus chorus, illic Prophetárum exultántium númerus, illic Mártyrum innumerábilis pópulus, ob certáminis & passiónis victóriam coronátus. Triumphántes illic Vírgines, quæ concupiscéntiam carnis & córporis continéntiæ róbore subegérunt: Remunerátì misericórdes, qui aliméntis & largitiónibus páuperum, justítiæ ópera fecérunt; qui Domínica præcépta servántes, ad cœléstes thesáuros terréna patrimónia transtulérunt. Ad hos, fratres dilectíssimi, ávidâ cupiditáte properémus, ut pátriam nostram vidére, & cum his citò ad Christum veníre contíngat, optémus.

Die v.

DE OCTAVA
omnium Sanctorum.

Ex Libro S. Augustini Epíscopi.

De Civit. Dei Lib. 22. Cap. 30. num. 1.

Lectio ij.

Vera ibi glória erit, ubi laudántis nec erróre quisquam, nec adulatióne laudábitur. Verus honor, qui nulli negábitur digno, nulli deferétur indígno: sed nec ad eum ámbiet ullus indígnus, ubi nullus permittétur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil advérsi, nec à seípso, nec ab álio quisquam patiétur. Præmium virtútis erit ipse qui virtútem dedit, eíque seípsum, quo mélius & majus nihil possit esse, promísit. Quid est enim áliud quod per Prophétam di-

xit, Ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, nisi, ego ero unde satiéntur, ego ero quæcúmque ab homínibus honéstè desiderántur, & vita, & salus, & victus, & cópia, & glória, & honor, & pax, & ómnia bona! Sic enim & illud rectè intellígitur quod ait Apóstolus, Ut sit Deus ómnia in ómnibus. Ipse finis erit desideriórum nostrórum, qui sine fine vidébitur, sine fastídio amábitur, sine fatigatióne laudábitur.

Enarrat. in Ps. 83. n. 8.

Lectio iij.

DAvid pósitus inter tentatiónes, pósitus inter pressúras, pósitus in torculáribus, suspírans in supérna promíssa. Beáti, inquit, qui hábitant in domo tua. Unde beáti? In sæcula sæculórum laudábunt te. Hoc erit totum negótium nostrum, sine deféctu allelúia. Non vobis, fratres, videátur quasi fastídium ibi futúrum, quia si modò hoc diu dicátis, non durátis, ab illo gáudio necéssitas vos avértit. Cùm absórpta fúerit mors in victóriam, cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, & corruptíbile hoc indúerit incorruptiónem, nemo dicet: Diu steti; nemo dicet: diu jejunávi, diu vigilávi. Stabílitas enim magna ibi, & ipsa immortálitas jam córporis nostri suspendétur in contemplatiónem Dei... Secúri ergo simus, fratres, non nos satiábit laus Dei, amor Dei. Si defícies ab amóre, defícies à laude. Si autem amor sempitérnus erit, quia illa insatiábilis pulchritúdo erit, noli timére, ne non possis semper laudáre, quem semper póteris amáre. Ergo beáti qui hábitant in domo tua, in sæcula sæculórũ laudábunt te. Huic vitæ suspirémus.

Post VESPERAS *commemoratio S. Læti Solitarii per Ant.* Sedébit *p.* xxxvj. *Oratio* Omnípotens *p.* xl. *de Comm. Anachoretarum.*

Die VI.

DE OCTAVA *omnium Sanctorum.*

Ex Libro S. Augustini Epíscopi.

De Genesi ad Litter. L. 12. Cap. 26. num. 54.

Lectio ij.

IN cœlo virtútes ánimæ non sunt operósæ ac laboriósæ. Neque

enim ópere temperántiæ libído frænátur, aut ópere fortitúdinis tolerántur advérsa, aut ópere justítiæ iníqua puniúntur, aut ópere prudéntiæ mala devitántur. Una ibi & tota virtus est amáre quod vídeas, & summa felícitas habére quod amas. Ibi enim beáta vita in fonte suo bíbitur: inde aspérgitur áliquid huic humánæ vitæ, ut in tentatiónibus hujus sæculi, temperánter, fórtiter, justè, prudentérque vivátur. Propter illud quippe adipiscéndũ, ubi secúra quies erit, & ineffábilis visio veritátis, labor suscípitur, & continéndi à voluptáte, & sustinéndi adversitátes; & subveniéndi indigéntibus, & resisténdi decipiéntibus. Ibi vidétur cláritas Dómini, non per visiónem significántem sive corporálem, sicut visa est in monte Sina; sive spiritálem, sicut vidit Isaías, vel Joánnes in Apocalypsi, sed per spéciem, non per ænígmata, quantùm eam cápere mens humána potest, secúndùm assuméntis Dei grátiam, ut os ad os loquátur ei, quem dignum tali Deus collóquio fécerit; non os córporis, sed mentis.

De S. Læto. Ex Baillet.

Lectio iij.

LÆtus Bituricénsis vel infans pium se præbuit. Anno ætátis duodécimo, relícto quem pascébat patris óvium grege, ad vicínum conténdit monastérium. A Triétio Abbáte régulam edocéri, tonsuráque donári assíduis précibus ac lácrymis promé-ritus, annos séxdecim spectátæ sanctitátis prælúxit exémplo. Arctióris vitæ instítúti accénsus desidério, in Mixiacénse claustrum, Abbáte Maximíno, tránsiit: inde post áliquot annos cum Avíto cujus societáte imprímis delectabátur, digréssus, erémum pétiit, atque in ábditis Segulóniæ locis habitávit. Mórtuo Maximíno Mixiacénses mónachi Avítum quærunt, repertúmque sibi Abbátem præfíciunt: Lætus fugâ dilápsus Lígerim tránsit. In sylva ínvia Inatória dicta, vili sub tugúrio, his víctitans quæ spontè humus protulísset, cœléstem planè exégit vitam. Sanctitáte percélebris spíritum cœlo, corpus terræ humándum

trádidit anno Dómini quingentésimo trigésimo quarto. Ejus Relíquiis plures Galliárum ditántur ecclésiæ; quædam in Villa-Domínica juxta Remos, præcípuæ verò in pago Mohon ad Mosam summâ veneratióne, maximâque populórum frequéntiâ colúntur.

Post Laud. *comm. S. Læti per Ant.* Perféctio *pag.* xxxix. *Orat.* Omnípotens *p.* xl. *de Comm. Anachoret.*

Die vii.

DE OCTAVA *omnium Sanctorum.*

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

Serm. 18. de Sanctis.

Lectio ij.

HOdie, dilectíssimi, ómnium Sanctórum, sub una solemnitátis lætítia celebrámus festivitátem, quorum societáte cælum exúltat, quorum patrocíniis terra lætátur, quorum triúmphis Ecclésia sancta coronátur, magis magísque roboráta est, non resisténdo, sed perferéndo, quorum conféssio quantò in passióne fórtior, tantò est clárior in honóre: quia dum crevit pugna, crevit & pugnántium glória, & martyrii triúmphus multíplici passiónum génere adornátur: perque gravióra torménta, gratióra fuêre & præmia: dumque cathólica mater Ecclésia, per totum orbem longè, latéque diffúsa, in ipso cápite suo Christo Jesu edócta contumélias, cruces, & mortem non timére dídicit. O verè beáta mater Ecclésia, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam vincéntium gloriósus Mártyrum sanguis exórnat, quam inviolátæ confessiónis cándida índuit virgínitas. Flóribus ejus nec rosæ, nec lília desunt. *Lectio iij.*

CErtent nunc, caríssimi, singuli ut ad utrósque honóres amplíssimam accípiant dignitátem, corónas vel de virginitáte cándidas, vel de passióne purpúreas. In cœléstibus castris pax & ácies habent flores suos, quibus mílites Christi coronántur. Dei enim ineffábilis & imménsa bónitas étiam hoc provídit, ut labórum quidem tempus & agónis non exténderet, nec longum fáceret, aut ætérnum, sed breve, & ut ita dicam,

momentáneum, ut in hac brevi & exígua vita agónes essent & labóres; in illa verò quæ ætérna est, coróna & præmia meritórum: ut labóres quidem citò finiréntur, meritórum verò præmia sine fine durárent: ut post hujus mundi ténebras visúri essent candidíssimam lucem, & acceptúri majórem passiónum cunctárum acerbitátibus beatitúdinem, testánte hoc idem Apóstolo, ubi ait: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. *Vesp. de seq.*

DIE VIII.

IN VENERATIONE

SS. RELIQUIARUM

& Octava.

OMNIUM SANCTORUM.

Duplex-minus.

Si occurrat Dominicâ, anticipatur & de ea fit in Sabbato præcedenti.

Pss. de Feria in toto Offic.

IN I. VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Ezech. 37.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepúlcris vestris, pópulus meus; & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Vidébitis, & gaudébit cor vestrum, * Et ossa vestra quasi herba germinábunt: & † Cognoscétur manus Dómini servis ejus. ℣. Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. * Et ossa. Glória. † Cognoscétur. *Is.* 66. *Coloss.* 3.

HYMNUS

O Vos unánimes Christíadum chori,
Sanctórum túmulos & cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cœlitum
Lætis dícite cántibus.

CŒLO quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hîc laus & decus óssibus.

PASSIM sparsa, Deus pollíciti memor,
Custos ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

QUIN & rellíquias & túmulos, sibi

Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutũ præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium boni,
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cùm nostra novis spléndida dótibus
Surget juncta choris spirítuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus. Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Ad Magníficat

Ant. 8. Dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt in vitam ætérnam, & fulgébunt quasi splendor firmaménti. *Dan.* 12.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Mirábilem Deum in Sanctis suis, Veníte, adorémus. *Psal.* 67.

Psalm. Venite. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Justi quasi virens fólium germinábunt, & radix justórum non commovébitur. *Prov.* 11.

Ant. 2. De manu mortis liberábo eos, de morte redímam eos. *Osee.* 13.

Ant. 8. Fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum; adhuc illis loquéntibus, ego áudiam. *Is.* 65.

℣. Non derelínquet Dóminus Sanctos suos:
℟. In ætérnum conservabúntur. *Ps.* 36.

℟. *j.* Justi visi sunt óculis insipiéntium mori; & æstimáta est afflíctio éxitus illórum: illi autem sunt in pace: * Et spes illórum immortalitáte plena est.
℣. Ipsi expéctant resurrectiónem futúram justórum. * Et. *Sap.* 3. *Act.* 24.

℟. *ij.* Inquiréntes Dóminum non minuéntur omni bono: * Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; unum ex his non conterétur. ℣. Quia óculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. * Custódit. *Psal.* 33. 1. *Petr.* 3.

℟. *iij.* Cùm emisísset Phárao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph se-

cum; eò quòd adjuráſſet filios Iſraël, dicens: * Viſitábit vos Deus, efférte oſſa mea hinc vobíſcum.

℣. Fide Joſeph, móriens, de profectióne filiórum Iſraël memorátus eſt, & de óſſibus ſuis mandávit. * Viſitábit. Glória. * Viſitábit. *Exod.* 13. *Hebr.* 11.

IN II. NOCTURNO

Ant. 4. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. *Soph.* 3.

Ant. 5. Qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipſe fáciet, & majóra horum fáciet. *Joan.* 14.

Ant. 6. Laudábitis nomen Dei veſtri, qui fecit mirabília vobíſcum. *Joel.* 2.

℣. Numquid mórtuis fácies mirabília?

℟. Et confitebúntur tibi? *Pſ.* 87.

Sermo Sancti Gregórii Nazianzéni.

Adver. Julian. Orat. 3. *& in Carm.* *Lectio iv.*

ITa quidem morbi Sanctórum méritis curántur; quorum apparitiónes, & prædictiónes, quorum vel ſola córpora idem poſſunt quod ánimæ, ſive mánibus contrecténtur, ſive honoréntur, quorum vel ſolæ ſánguinis guttæ, atque exígua paſſiónis ſigna idem poſſunt quod córpora. Unde orbem hunc penè totum inſtar síderum ſerénis ſplendóribus, ſublímibus tronis, doctrínis, cœtibus, concúrſibus integrárum familiárum, hymnis conveniéntibus, collúſtrant hi, qui juguláti, Chriſtiglorióſi ſunt victóres. Eſtque ádeò frequens eórum luctæ certaminúmque venerátio, ut exíguus pulvis aut relíquiæ véterum óſſium, totíus ad honórem ſufficiat; & nonnullórum ſaltem appellatiónem Reliquiárum omníno expértem, ſcio locis certis índitam eſſe pro toto Mártyre, quæ tamen eámdem vim obtinúerit. O rem prodigióſam! Salútem affert ſola recordátio.

℟. Projecérunt cadáver in ſepúlcro Eliséi: quod * Cùm tetigíſſet oſſa Eliséi, revíxit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.

℣. Per fidem accepérunt de reſurrectióne mórtuos. * Cùm. 4. *Reg.* 13. *Hebr.* 11.

Sermo Sancti Ephrem Diáconi.

Serm. 1. de Martyr.

Lectio v.

MArtyres mórtui tanquam vivi operántur: ægrótos sanant, dæmones expéllunt, omnémque tyránnidis ipsórum nequítiam virtúte Christi in fugam agunt. Semper enim sanctis Relíquiis grátia adest Spíritûs Sancti, quæ cuncta in eis mirácula edit. Quóniam viríliter Christum coram homínibus in magna patiéntia conféssi sunt, ídeò & ipse eos coram Patre & ángelis sanctis conféssus est: promisítque illis bona illa, quæ óculus non vidit, nec auris audívit, neque in cor mortális hóminis venérunt, & in quæ ángeli prospícere desíderant: & quid ámpliùs hìc sermóne explicáre vólumus? Cohærédes ipse sibi eos effécit.

℟. Per manus Apostolórum * Fiébant prodígia multa, ut in pláteas ejícerent infirmos & pónerent in léctulis, ut veniénte Petro, umbra illíus obumbráret quemquam illórum, qui curabántur omnes. ℣. Vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. * Fiébant. *Act. 5. Ps. 45.*

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 273. n. 3. Edit. Ben.

Lectio vj.

MAgnum Dóminus testimónium præbet téstibus suis; cùm ille qui rexit corda certántium, nec córpora déserit mortuórum.... Verè pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus; quando nec terra, carnis vitâ deserénte, contémnitur; & invisíbili ánimâ de visíbili domo discedénte, habitáculum servi curâ Dómini custodítur, & in glóriam Dómini à consérvis fidélibus honorátur. Quid enim agit Deus, mira ópera faciéndo circa Sanctórum córpora, nisi testimónium pérhibet, sibi non períre quod móritur, & ut hinc intelligátur in quali honóre secum hábeat ánimas occisórum, quando caro exánimis tanto effécto divinitátis ornátur? Sicut enim de membris Ecclésiæ loquens Apóstolus, similitúdinem adhíbuit de membris córporis nostri, quóniam quæ inhonésta sunt

sunt nostra, his abundantiórem honórem circumpónimus: ita providéntia Creatóris cadavéribus Mártyrum tam præclára miraculórum testimónia præstándo, abundantiórem honórem exánguibus Relíquiis hóminum circumpónit.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli, ita ut super lánguidos deferréntur à córpore ejus sudária & semicínctia; * Et † Recedébant ab eis languóres, & spíritus nequam egrediebántur. ℣. Quis símilis tuì, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília? extendísti manum tuam. * Et. Glória. † Recedébant. *Act.* 19. *Exod.* 15.

IN III. NOCTURNO

Ant. 4. Dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromíttam in vos spíritum, & vivétis. *Ezech.* 37.

Ant. 7. A quátuor ventis veni, spíritus; & insuffla super interféctos istos; & revivíscant. *Ezech.* 37.

Ant. 8. Sicut præcéperat Dóminus, ingréssus est in ossa spíritus, & vixérunt. *Ezech* 37.

℣. Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, Dómine?

℟. Et justítia tua in terra obliviónis? *Ps.* 87.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 20.

In illo témpore; Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Sermo Sancti Hierónymi Presbyteri.

Epist. 37. aliàs 75. script. circ. an. 406. adv. Vigil.

Dolet Vigilántius Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine, & non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius adorétur. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius Imperátor, qui sanctas Relíquias Andréæ, Lucæ & Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, & illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Sacrílegus dicéndus est & nunc Augústus Arcádius, qui ossa beáti Samuélis, longo

post témpore de Judæa tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi, non solùm sacrílegi, sed & fátui judicándi, qui rem vilíssimam, & cíneres dissolútos, in sérico & vase áureo portavérunt? Mórtuum suspicáris, & idcircò blasphémas. Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Cùm tradíderit Christus regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, & potestátem & virtútem, * Novíssima inimíca destruétur mors. ℣. Præcipitábit mórtem in sempitérnum, & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie. * Novíssima. 1. *Cor.* 15. *Is.* 25.

Lectio viij.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus; postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio; præsértim cùm Mártyres ultiónẽ sui sánguinis obsecrántes impetráre non quíverint. Si Apóstoli & Mártyres adhuc in córpore constitúti possunt oráre pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti, quantò magis post corónas, victórias & triúmphos? Unus homo Móyses, sexcéntis míllibus armatórum impetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: &, postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valébunt? Paulus Apóstolus ducénta septuagínta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas; & postquàm resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, & pro iis qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

℟. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt in vitam ætérnam, & fulgébunt quasi splendor firmaménti, & quasi stellæ in perpétuas æternitátes. ℣. Quia resúrgant mórtui, Móyses dicit, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *Luc.* 20.

Lectio ix.

MAlefácit ergo Románus Epíſcopus, qui ſuper mortuórum hóminum Petri & Pauli, ſecúndùm nos, oſſa veneránda, ſecúndùm te, vilem pulvíſculum, offert Dómino ſacrificia, & túmulos eórum Chriſti arbitrátur altária? Et non ſolùm unius urbis, ſed totíus orbis erant Epíſcopi, qui Vigilántium contemnéntes, ingrediúntur basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíſſimus, & favílla néſcio quæ jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat: & quaſi ſepúlcra pharisáïca foris dealbáta ſint, cùm intùs immúndo cínere juxta te immúnda ómnia óleant atque sórdeant? O porténtum in terras últimas deportándum!

℟. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit originem, & * Spíritum vobis cum miſericórdia reddet & vitam.

℣. Deus qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. * Spíritum. Glória. * Spíritum. 2. *Mach.* 7. *Rom.* 4.

AD LAUDES

Ant. 3. VIdi ſubtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter teſtimónium quod habébant. *Apoc.* 6.

Ant. 5. Revelábit terra sánguinem ſuum, & non opériet ultra interféctos ſuos. *Iſ.* 26.

Ant. 2. Córpora ipsórum in pace ſepúlta ſunt; & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccli.* 44.

Canticum Réddidit *ut ſupra* pag. 628.

Ant. 1. Hi ſunt ante tronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui ſedet in trono, habitábit ſuper illos. *Apoc.* 7.

Ant. 8. Agnus qui in médio troni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum; & abſtérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. *Apoc.* 7.

Capitulum Iſ. 26.

VIvent mórtui, interfécti resúrgent, expergiſcímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur

in cubílibus suis. *Ps.* 149.

Ad Benedictus

Ant. 8. Qui digni habebúntur sæculo illo, & resurrectióne ex mórtuis non ultra mori póterunt. Æquáles enim ángelis sunt; & filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectiónis. *Luc.* 20.

Oratio

AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris, & fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio ibid.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Anno 1563. de Venerat. & Reliquiis Ss.*

MAndat sancta Synodus omnibus docéndi curam sustinéntibus, ut juxta Cathólicæ & Apostólicæ Ecclésiæ usum à primævis christiánæ religiónis tempóribus recéptum, fidéles diligénter instruant, docéntes eos, sanctórum Mártyrum, & aliórum cum Christo vivéntiū sancta córpora, quæ viva membra fuérunt Christi, & templum Spíritûs Sancti, ab ipso ad ætérnam vitam suscitánda & glorificánda; à fidélibus veneránda esse per quæ multa beneficia à Deo homínibus præstántur.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* Domine, dabis gáudium & lætítiam. Allelúia, all. Dómine.

℣. Et exultábunt ossa humiliáta. Allelúia, all. Dómine. Glória. Dómine. *Ps.* 50.

℣. Sancti tui glóriam regni tui dicent,

℟. Et poténtiam tuam loquéntur. *Ps.* 144.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Non discédimus à te, vivificábis nos, Deus. Allelúia, allelúia. Non discédimus.

℣. Et nomen tuum invocábimus. * Allel. allel. Non discédimus. Glória. Non discédimus. *Ps.* 79.

℣. Nos pópulus tuus & oves páscuæ tuæ

℟. Confitébimur tibi in sæculum. *Ps.* 78.

AD NONAM

Capitulum Philip. 3.

NOstra conversátio in cœlis est, unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ.

℟. *brev.* Lætátum est cor meum & exultávit lingua mea. Allelúia, allel. Lætátum. ℣. Caro mea requiéscet in spe. Allel. all. Lætátum. Glória. Lætátum. *Ps.* 15.

℣. Omnia ossa mea dicent, ℟. Dómine, quis símilis tibi? *Ps.* 34.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum, Hymnus & Versus ut in I. Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 6. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, ália cláritas stellárum: stella enim à stella differt in claritáte; sic & resurréctio mortuórum. 1. *Cor.* 15.

Oratio ut supra ad Laud.

Commemor. S. Caroli Borromæi Episc. per Ant. Elégit *pag.* xxj. *de Comm. Ss. Pontificum.*

Oratio ut infra.

DIE IX.

In Festo

SANCTI CAROLI BORROMÆI EPISCOPI

Semiduplex - minus.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix.*

Oratio

MUltíplica, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua grátiæ spíritum, quo beátum Cárolum Pontíficem implevísti, ut & gregis tui profíciat ubique succéssus, & grati fiant nómini tuo, te gubernánte, Pastóres. Per Dóminum nostrum.

Lectio ij.

CArolus, Arónæ in território Mediolanénsi, nóbili Borromæórum gente natus, à pueritia Clero ascríptus est. Jam ab eo témpore patrem eníxè rogávit, ne beneficiórum, quibus donátus fúerat, provéntibus rem familiárem augéret: quorum ipse nactus administratiónem, quidquid ex necessáriis súmptibus supérerat, expendébat in páuperes. Vicésimum tértium ætátis annum agens, à Pio quarto avúnculo suo in Cardinálium collégium

cooptátus, commíssa sibi gravíssima Ecclésiæ negótia summâ fide ac religióne administrávit. Mediolanénsis deinde Archiepíscopus creátus, plúrimam óperam adhibuit, ut juxta Concílium Tridentínum quod ejus potíssimùm sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commíssam compóneret. Atque ut ecclesiásticam disciplínam restitúeret, multas tum Diœcesánas, tum provinciáles synodos coégit: Hæréticos è pártibus Rhetórum ac Helvetiórum indesinénter insectátus, multos eórum fidei Cathólicæ restítuit. Caritátem suam in páuperes donis amplíssimis testátam fecit. Ecclesiásticos provéntus, quibus ab avúnculo copiósè fúerat cumulatus, dimísit, iis tantùm reténtis, qui ad quotidiános usus, & egenórum necessitátes sufficerent. Quo témpore pestis Medioláni grassabátur, domésticam supelléctilem, ne relícto sibi quidem léctulo, in eósdem aléndos cóntulit, super nuda in pósterum tábula decúmbens: eóque morbo laborántes sédulò invísens, patérno reficiébat afféctu; & Ecclésiæ sacraménta própriis ipse mánibus adminístrans, mirum in modum solabátur. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicâ supplicatióne indíctâ, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus, étiam ex offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetípsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat.

Lectio iij.

Ecclesiásticæ libertátis acérrimus propugnátor fuit. Disciplínæ reguláris inter mónachos instaurándæ inténtus, cùm ex more aliquándo in priváto oratório véspere cum família oráret, à perditíssimo quodam mónacho è Congregatióne Humiliatórum, sclopo percússus, divínâ virtúte servátus est. Vitam duxit aspérrimam, corpus domans flagéllis, cilício, vigíliis ac jejúniis, pane tantùm & aquâ, & solis quandóque lupínis conténtus: oratiónem, ac verbi Dei prædicatiónem, gravíssimis licet curis occupátus, nunquam intermísit. Multas,

eccléſias, monaſtéria, ſeminária, collégia ædificávit. Plúrima ſcripſit præcépta, Epiſcopis potiſſimùm utiliſſima; ejúſque óperâ Parochórum catechiſmus pródiit. Demùm in ſolitúdinem Varálli montis, ubi ſculptæ imágines Domínicæ paſſiónis myſtéria éxprimunt, ſecéſſit, ibíque diébus áliquot voluntáriâ caſtigatióne, duram ſed ſuávem, ex Chriſti dolórum meditatióne, vitam agens, in febrem íncidit. Mediolánum revérſus, ingraveſcénte morbo, cínere ac cilício coopértus, & óculis in Chriſti imáginem defíxis, migrávit in cœlum anno ætátis quadragéſimo ſexto, Chriſti milléſimo quingentéſimo octogéſimo quarto. Quem miráculis conſpícuum, Paulus quintus in Sanctórum númerum aſcrípſit.

Veſperæ de ſequenti.

Poſt VESPERAS *commemoratio S. Caroli per Ant.* Státuit *pag.* xxv. *de Comm. Ss. Pontificum.*

Oratio ut ſupra.

✠

Die x.

In Feſto

S. LEONIS MAGNI PAPÆ & Eccleſiæ Doctoris.

Semiduplex-majus.

Omnia de Communi Ss. Doctorum pag. *xxv.*

Oratio

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua ſpíritum quo beátus Leo ſervívit, ut, eódem nos replénte, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum.

Ex ejus vita, in nova ex ejus oper. Edit.

Lectio ij.

LEo, Románus, factus Diáconus, Sixto Pontífici auctor fuit ne recíperet Juliánum Pelagiánum in communiónem eccléſiæ ſúbdolè irrepéntem, ut ſedem amiſſam recuperáret. Miſſus in Gálliam ut diſſidéntes inter ſe Albínum & Aëtium Romános Duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur, ut Sixto ſuccéderet. Quatiebátur

interim totus penè orbis Christiánus váriis hæreticórum tempestátibus. Oriéntem Nestoriáni, Occidéntem Pelagianórum relíquiæ infestábant. Manichæos, qui ex Africa à Vándalis devastáta Romam conflúxerant, cùm Cathólicæ communiónis spécie perfídiam suam tégerent, iis præsértim detéxit indíciis, quòd Domínicâ die, & Fériâ secúndâ jejunárent in honórem solis & lunæ, & sánguinem redemptiónis nostræ hauríre omníno declinárent. Pelagianórum relíquias extínxit. Priscillianistárum renascéntem hærésim, congregátâ in Hispánia Synodo, proscrípsit. Præfuit per Legátos Concílio quarto œcuménico apud Chalcédonem celebráto. Cánonum propugnátor fuit acérrimus; múltaque sanctè & utíliter decrévit. Cléricum ab extérno Epíscopo suum in Clerum ascríbi, ordinári bígamos, solémne Baptísma, nisi pervigílio Paschæ & Pentecóstes, administrári prohíbuit. Epíscopùm, qui relíctâ suâ civitáte, majórem sedem ambíret, utrâque spoliándum esse cénsuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacérdos esset ordinándus, per omnes officii Clericális órdines proveherétur; ut diutúrno dísceret témpore, cujus & doctor esset futúrus. Plúrimis functus labóribus, multísque luculénter scriptis, cùm Itáliam à Barbarórum vastatióne, & Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicásset, explétis in Pontificátu vigínti & ámpliùs annis, ábiit ad Dóminum anno quadringentésimo sexagésimo primo; propter pietátem, eruditiónem, eloquéntiam, & tot res præclarè gestas, méritò Magni nómine commendátus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio iij. *Cap. 5.*

IN illo témpore; Dixit Jesus Discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília Sancti Leónis Papæ.

Serm. 2. in Anniverſ. die Aſſumpt. ſuæ. Cap. 1.

QUóties nobis miſericórdia Dei donórum ſuórum dies renováre dignátur, juſta, dilectiſſimi, & rationábilis cauſa eſt lætándi, ſi officii orígo ſuſcépti ad laudem ſui referátur auctóris. Hanc enim obſervántiam ómnibus quidem ſacerdótibus cóngruam, ſed mihi neceſsáriam máximè eſſe cognóſco, qui reſpíciens ad exiguitátis meæ tenuitátem, & ad ſuſcépti múneris magnitúdinem, étiam ego illud prophéticum débeo proclamáre, Dómine, audívi audítum tuum, & tímui: conſiderávi ópera tua, & expávi. Quid enim tam inſólitum, tam pavéndum, quàm labor frágili, ſublímitas húmili, dígnitas non meréntì? Et tamen non deſperámus, neque deficimus, quia non de nobis, ſed de illo præſúmimus, qui operátur in nobis.



DIE XI.

In Feſto

SANCTI MARTINI EPISCOPI.

Duplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Pontificum p. xix. exceptis quæ ſequuntur.

IN I. VESPERIS

HYMNUS

ECquis ardéntes rápitur per auras?
Iſte quis pauper petit aſtra dives?
Cælites plaudunt: comitémur hymnis
Aſtra petentem.

FLORE ſub primo juvénilis ævi,
Cæſarum juſſu tulit arma miles;
Moxque depónet, tibi, Chriſte, nomen
Tiro profeſſus.

NON furor belli benè Chriſtiánum
Pectus infrégit: pius inter arma
Integros ſervat, ſemel obligáto
Nómine, mores.

PAUPERI pauper malè membra nudo
Dívidit veſtem, mediáque Chriſtus
Eſt-v

Obtulit sese túnicâ micántem,
Nocte sequénti.
FONTE lustrátur; melióre testes
Se sacraménto vovet inter aras:
Induit Christum, simul ac profána
Exuit arma.
QUÒ fugis præceps? lætitáre nescit
Mille porténtis manifésta virtus:
Præsulem jam te feret in suprémum
Turo tribunal.
NON tumet fastu, neque splendet auro:
Sórdidam servat, velut ante, vestem;
Ora defórmi dabat una virtus
Unde nitéret.
LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Ad Magníficat

Ant. 1. Nonne Deus considerat vias meas? Si ambulávi in vanitáte, si despéxi pereúntem, eò quòd non habúerit induméntum, & absque operiménto páuperem? *Job.* 31.

Oratio ut infra ad Laud.

Commem. S. Leonis pag.

Ant. Qui docti *pag.* xxx. *de Comm. Doctorum.*

Oratio ut supra.

AD MATUTINUM
IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MArtínus, Sabáriæ in Pannónia, patre Tribúno mílitum natus, Papíæ verò in Itália educátus, anno ætátis décimo invitis paréntibus ad Ecclésiam confúgiens, inter catechúmenos nomen dedit. Ascriptus milítiæ ex Imperatórum edícto, quo veteranórum filii sua nómina profitéri cogebántur, sub Constántio méruit. Ambiánis, ad portam urbis, páuperi nudo eleemósynam peténti, cùm nihil habéret præter arma & vestiméntum, partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus dimidiátâ illâ veste indútus appáruit, circumstán-

tes ángelos sic allocútus: Martínus adhuc catechúmenus hâc me veste contéxit. Cùm annum décimum-octávum attigísset, baptizátus est; ac relíctâ milítiâ, sanctum Hilárium Pictaviénsem ádiit, à quo Exorcísta factus est, cùm priùs Diáconi órdinem præ humilitáte recusásset: nec multò post ad suos revérsus, matrem ad Christum convértit. Ab Epíscopis Ariánis, quòd solus penè eórum perfídiam frángeret, públicè virgis cæsus, Illyríco pulsus est. Eadem de causa Medioláno, ubi monastérium sibi constrúxerat, per Auxéntium ejéctus, sedem in Pictónibus fixit, ibíque sub Hilário tum mónachis apud Lococíacum congregátis præfuit, tum prædicatiónis lumen per omnẽ vicíniam spárgere cœpit.

Lectio v.

TUronénsis Epíscopus ordinátus, secùndo ab urbe lápide monastérium cóndidit, in quo discípulos octogínta, nihil próprium habéntes, congregávit; ex quibus plures póstea Epíscopi creáti sunt. Non procul ab eo loco altáre diruit, quod falsò putabátur eréctum in memóriam Mártyris. Idolórum fana dejécit, & lucos succídit, non véritus aliquándo vitæ adíre discrímen, ut eórum cultum pénitus aboléret. Ad comitátum ob máxima négotia ire coáctus, à Valentiniáno repúlsam passus est; qui tamen séptimo post die, redeúnti Martíno, è sólio divínitus excússus, assurréxit, ejúsque postulátis ánnuit. Ithácium Epíscopum ácriter reprehéndit, quòd contra leges ecclesiásticas Priscilliánum in causa cápitis insectarétur. Tréviros proféctus, ut apud Máximum Imperatórem grávibus de causis ac præcípuè pro duórum nobiliórum virórum salúte ágeret, cùm nihil impetráre potuísset, nisi ante promítteret se cum Epíscopis Ithaciánæ partis in comitátu degéntibus communicatúrum; id factúrum se pollícitus est, si his pro quibus rogáverat parcerétur, dúmmodo étiam Tribúni, quos in cædem Priscillianistárum ad Hispánias jam missos accéperat, revocaréntur. Quare congregátis iis ad

Ordinatiónem Felícis E-píscopi, ingréssus Synodum, illórum communiónem aliquátenus iniit, sátius exístimans ad horam cédere, quàm his non consúlere quorum cervícibus gládius imminébat: nec tamen addúci pótuit, ut communiónem illam subscriptióne firmáret. Exínde facti pœnitens, cavit ne in pósterum Ithaciánæ communiónis párticeps fieret. Cùmque energúmenos tárdiùs quàm solébat, & grátiâ minóre curáret, subínde discípulis cum lácrymis fatebátur, se, propter communiónis illíus malum, detriméntum sentíre virtútis. Séxdecim póstea vixit annos, quibus ab omni Episcopórum convéntu abstínuit.

Lectio vj.

Injuriárum fuit patientíssimus, ádeò ut impúnè vel ab ínfimis cléricis læderétur; ac plerúmque sibi obtrectántium peccáta defléret. Quodam in convívio páteram Presbytero priùs porréxit quàm Imperatóri, à quo honóris grátiâ ut prior bíberet accéperat. Innúmeris miráculis cláruit. Tréviris, paralyticam penè exánimem óleo à se benedícto sanávit. Parísiis, ad portam urbis, leprósum ósculo mundávit: próprii córporis óbice flammas aliquándo représsit: tres mórtuos suscitávit. Annis demum gravis, dum Condaténsis vici ecclésiam in sua diœcési visitáret, víribus deféctum se séntiens, mortem sibi imminére discípulis indicávit. Ingravescénte febre, in cínere & cilício decúmbens, ne vile quidem stramen sibi súbjici passus est. Rogátus à Presbyteris ut corpus in álterum latus reclinándo subleváret: Sínite me, inquit, cœlum pótiùs respícere quàm terram, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso dæmone, Quid hìc astas, inquit, cruénta béstia? nihil in me, funéste, repéries; Abrahæ me sinus recípiet. Ea in voce, anno Christi trecentésimo nonagésimo séptimo, ánimam Deo réddidit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis: Nemo lucérnam accéndit, & in abscóndito ponit, neque sub módio, sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília Sancti Bernárdi Abbátis.

In Fest. S. Martini n. 12.

MArtínus lucérna erat ardens & lucens: eum saltem non pígeat imitári, sed imitári in eo quod est imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Ad mensam dívitis sedes hódie: diligénter considera quæ tibi apponúntur: quænam vídelicet ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem. Húmilis fuit & spíritu pauper iste Martínus, sicut evidentíssimè probat efféctus ipse divínæ grátiæ, quam proféctò Deus tam multam nisi multùm húmili non dedísset. Tantam advérsùs omnes injúrias patiéntiam assúmpserat, ut cùm esset summus sacérdos impúnè étiam ab ínfimis cléricis læderétur. Ad cœlum lácrymæ ejus à maxilla ascéndere consuéverant, quibus sic abundábat, ut soléret pro illórum quoque, qui obtrectatóres sui videbántur, flere peccátis.

Lectio viij.

SAnè quantùm justitiam esuríerit, tum in cæteris ejus áctibus, tum speciáliter in idololátriæ persecutióne probátum est, in templórum destructióne, in statuárum dejectióne, in succisióne lucórum. Ubi se quoque aliquándo non est véritus dare discrímini, ut occásio tanti críminis de médio tollerétur. Nam misericórdē eum in páupere se expértum Salvátor ipse apud ángelos gloriabátur, datam sibi medietátem vestis osténtans. Porrò mundítiam cordis ejus illud vel máximè índicat, quòd non est confúsus inimico loquens in porta: Nihil in me, funéste, repéries; Abrahæ me sinus recípiet. Cæterùm persecutiónes quas sustínuit propter justítiam, longum est numeráre; pro quibus ómnibus dúbium non est multiplíciter coronári eum, qui quidem etsi non semel efféctu consummátæ passiónis, sed tóties martyr

fuit affectu devotissimæ voluntátis.

Lectio ix.

DOmine, inquit, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua. O verè sanctíssimam ánimam! O inæstimábilem caritátem! O obediéntiam singulárem! Bonum certámen certásti, cursum consummásti, fidem servásti; de réliquo súperest tibi coróna justítiæ, quam reddet tibi Dóminus hódie justus judex; & adhuc dicis: Non recúso labórem, fiat volúntas tua. Obtulísti planè Isaac: únicum illum quem díligis, quod in te est, jugulásti: immolásti singuláre gáudium tuum piâ devotióne, parátus redíre íterum in pericula, innováre certámina, dénuo subíre labórem, sustinére tribulatiónem, prolongáre tentatióne, deínde differri adhuc ab illa tanta felicitáte, & diu desiderátâ societáte, spírituum beatórum, atque in hujus mortalitátis ærúmnas ab ipso intróitu glóriæ revocári; postrémò (quod máximum est) à Christo tuo peregrinári diútiùs, si modò ipse voluísset. Nec sanè dúbium, quin amplió-rem grátiam mereátur, qui parátum se éxhibet étiam ante mandátum, quàm qui obedíre sátagit post mandátum.

Ad Benedictus.

Ant. 8. Mihi vívere Christus est, & mori lucrum. Coárctor autem è duóbus; desidérium habens dissólvi, & esse cum Christo, multò magis mélius; permanére autem in carne, necessárium propter vos. *Phil.* 1.

Oratio

DEus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es: ínnova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris, ut neque mors, neque vita separáre nos possit à caritáte Dómini nostri Jesu Christi, Qui tecum vivit & regnat.

AD II. VESPERAS

Hymnus & Versus ut in I. Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Mórtuus est servus Dómini, jubénte Dómino; & non surréxit ultrà Prophéta in ómnibus signis atque porténtis quæ misit Dóminus per eum,

ut fáceret in terra. *Deuter.* 34.

Oratio de Laudibus.

Die xiii.

In Festo

SANCTI BRITII EPISCOPI.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix.*

Oratio Deus fidélium *pag.* xxiv.

Ex hist. Eccles. Francorum S. Gregor. Turon. Episc. Lib. 2. Cap. 1. & Lib. 10. Cap. 31. Lectio iij.

BRítius civis Turónicus, cùm esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quâdam autem die Brítium diáconum vir beátus allóquitur: En ego, Briti, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi quia obtínui apud Deum ut post meum tránsitum, ad Pontificátûs honórem accédas; sed nóveris te in Episcopátu multa advérsa passúrum. Adéptus ergo, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii & Honórii secúndo, Pontificátûs officium, oratióni vacábat. Anno autem ordinatiónis ejus trigésimo tértio óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negánte. Illis verò non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo Sancti adimplerétur. Hoc enim ejécto, Justiniánum in Episcopátu constítuunt. At Brítius Epíscopus Romam véniens, cuncta quæ pertúlerat Papæ refert: ibíque plerúmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martínum delíquerat, defléndo díluit. Séptimo ígitur anno, immúnis invéntus à crímine, ad urbem suam redíre jussus est. Fuerúntque omnes anni Epíscopátûs ejus quadragínta septem; obiítque, & sepúltus est in basílica quam super sanctum Martínum ædificávit.

Die xiv.

In Festo

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Duplex-minus.

IN I. VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Tob. 10.

ANgelus Dómini sit in itínere vestro, perducátque vos

incólumes, & inveniátis ómnia rectè.

℞. Non accédet ad te malum; quóniam * Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Qui facit Angelos suos Spíritus, & minístros suos flammam ignis.* Angelis. Glória.* Angelis. *Ps.* 90. *Heb.* 1.

HYMNUS

REGNATOR orbis summus & árbiter,
Cui prona servit cúria cœlitum;
Quæ voce solâ tu creásti,
Perpétuâ regis ipse curâ.

NOBIS fidéles próvidus Angelos
Missos olympo suppéditas duces,
Qui nos tot obséssos periclis
Incólumes sine labe servent.

NE nos malígnis fráudibus óccupet,
Incáuta fallat péctora súbdolus
Suásor malórum; ne redémptam
Abripiat laniétque prædam.

LAUS summa Patri, summaque Fílio;
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per salútis tot minístros
Das pátrias remeáre sedes. Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíssimi,

℞. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Ps.* 90.

Ad Magníficat

Ant. 1. Dominátor cœlórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timóre & tremóre magnitúdinis bráchii tui. 2. *Mach.* 15.

Oratio de Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum super Jerúsalem constituéntem Custódes,* Veníte, adorémus. *Is.* 62.

Psalmus Veníte *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO

Ant. 2. Angelus Dómini clamávit, dicens: Abraham, non exténdas manum tuam super púerum. *Genes.* 22.

Ant. 7. Venérunt duo Angeli, & eos qui vim faciébant Loth, percussérunt cæcitáte; eduxerúntque eum dicéntes: Salva ani-

mam tuam. *Genes.* 19.

Ant. 3. Dixit Abraham ad servum senióre domûs suæ : Dóminus Deus cœli mittet Angelum suum tecum, & díriget viam tuam. *Genes.* 24.

℣. Flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo : ℟. Angeli custódient te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Vidit Jacob in sómnis scalam stantem super terram, & cacúmen illíus tangens cælum : Angelos quoque Dei ascendéntes, & descendéntes per eam : pavénsque inquit : * Non est hic áliud nisi domus Dei, & porta cœli. ℣. Amen, amen dico vobis : Vidébitis cœlum apértum, & Angelos Dei ascendéntes, & descendéntes supra Fílium hóminis. * Non. *Genes.* 28. *Joan.* 1.

℟. *ij.* Jacob ábiit itínere quo cœperat ; fuerúntque ei óbviam Angeli Dei : quos cùm vidísset, ait : * Castra Dei sunt hæc. ℣. Erat Jesus in desérto, & tentabátur à sátana ; erátque cum béstiis, & Angeli ministrábant illi. * Castra. *Genes.* 32. *Marc* 1.

℟. *iij.* Jacob in fortitúdine sua diréctus est cum Angelo, & inváluit ad Angelum ; * Et †. Confortátus est, flevit, & rogávit. ℣. Jesus factus in agónia, prolíxiùs orábat : appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. * Et Glória. †. Confortátus est. *Osee* 12. *Luc.* 22.

IN II. NOCTURNO

Ant. 6. Benedíxit Jacob fíliis Joseph, & ait : Angelus qui éruit me de cunctis malis, benedícat púeris istis. *Genes.* 48.

Ant. 8. Descendérunt patres nostri in Ægyptum, & clamávimus ad Dóminum, & exaudívit nos, misítque Angelum, qui edúxit nos de Ægypto. *Num.* 20.

Ant. 9. Angelus Dei qui præcedébat Israël, stetit inter castra Ægyptiórum, & castra Israël. *Exod.* 14.

℣. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum ; ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Psalm. Qui hábitat Serm. 12. num. 4.

Lectio iv.

ANgelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio caritátis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studiósè considerémus, fratres, diligénter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? Cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: nec cunctántur quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis, Et Angelis suis mandávit: Illis utique sublímibus tam beátis, tam próximis, sibi cohæréntibus, tam familiáriter adhæréntibus, & verè doméstícis Dei. Mandávit autem de te. Tu, quis es? Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus, aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi verò non sit homo putrédo, & fílius hóminis vermis.

℟. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Vade in terram quam jurávi Abraham, Isaac & Jacob; & mittam præcursórem tuî Angelum, * Ut ejíciam Chananæum, & intres in terram fluéntem lacte & melle. ℣. Ego Jesus misi Angelum meum, testificári in Ecclésiis. Etiam vénio citò. * Ut ejíciam. *Exod.* 33. *Apoc.* 22.

Lectio v. *num.* 6.

UT custódiant te in ómnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam, reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia! Cautè ámbula (ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est) in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo præsénte, quod vidénte me non audéres? An præséntem esse dúbitas quem non vides? Adsunt ígitur, & adsunt tibi; non modò tecū, sed étiam pro te. Adsunt ut prótegant, adsunt ut prosint.

℟. Apéruit Dóminus óculos Bálaam, & vidit Angelum stantem in via, evaginato gládio; adorá-

itque eum pronus in terram: * Cui Angelus dixit: Ego veni ut adversárer tibi, quóniam pervérsa est via tua. ℣. Dicit qui habet romphæam utrâque parte acútam: Hábeo advérsùs te, quia habes tenéntes doctrinam Bálaam. * Cui. *Num.* 22. *Apoc.* 2.

Lectio vj.

IN mánibus portábunt te. In tuis quidem viis custódient te, & dedúcent párvulum, quà potest párvulus ambuláre. Cæterùm non te patiéntur tentári supra quàm sustinére potes; sed in mánibus tollent, ut pertránseas offendículum. Quàm fácilè transit, qui illis portátur in mánibus! Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, & tribulátio véhemens imminére, invoca custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne, incláma eum, & dic: Dómine, salva nos, perímus. Non dormit neque dormítat, etsi ad tempus quandóque dissímulet: ne fortè periculósiùs ab illíus te mánibus ipse præcípites, si te eis ignoráveris susten-tátum.

℟. Cùm vidíssent Angelum Dómini ascendéntem in flamma altáris Mánuë & uxor ejus, dixit Mánuë: Morte moriémur, quia vídimus Deum: cui respóndit múlier, * Si Dóminus nos vellet occídere, de mánibus nostris holocáustum non suscepísset. ℣. Habémus grátiam per quam serviámus placéntes Deo cum metu & reveréntia. * Si. Glória Patri. * Si. *Judic.* 13. *Hebr.* 12.

IN III. NOCTURNO

Ant. 2. Vidit David evaginátum gládium in manu Angeli, dixítque: Ego sum qui peccávi; præcepítque Dóminus Angelo, & convértit gládium suum in vaginam. 1. *Paral.* 21.

Ant. 5. Miníster Eliséi vidit exércitum in circúitu civitátis, nuntiavítque ei; at ille respóndit: Noli timére, plures enim nobíscum sunt, quàm cum illis. 4. *Reg.* 6.

Ant. 1. Qui missi erant à rege Sennácherib, quia blasphemavérunt te, Dómine, éxiit Angelus, & percússit ex eis centum octogínta quinque míllia. 1. *Machab.* 7.

℣. Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti; ℟. Et Angelus Dómini coárctans eos. *Ps.* 34.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 18.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis; dico enim vobis quia Angeli eórum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Et réliqua.

Homília Sancti Hilárii Epíscopi.

Lib. 3. Comm. in c.8. Matt.

VIdéte ne contemnátis unum de pusíllis istis qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípuè qui verè in Dómino credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident; quia Fílius hóminis venit salváre quæ pérdita sunt. Ergo & Fílius hóminis salvat; & Deum Angeli vident, & Angeli pusillórum sunt.

℟. Próferens Judith caput Holoférnis, osténdit, dicens: Vivit ipse Dóminus, quóniam custodívit me Angelus ejus, & revocávit me vobis: * Confitémini illi, omnes, q niam bonus, quóniam i sæculum misericórdia e ℣. Et Petrus dixit: Sc verè quia misit Dómi Angelum suum, & erip me de manu Heródis. Confitémini. *Judith.* 13. *Act.* 12. *Lectio viij.*

FIdélium oratiónibus præésse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo offerunt. Ergo periculósè ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum, ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur. Atque ut ingéntem esse in cœlis lætítiam réditu humánæ salútis osténderet, comparatiónis pósuit exémplum ejus qui oves nonagínta novem in móntibus reliquísset, & errántem unam requisísset; quâ invéntâ, plùs gáudii sit, quàm habebátur in nonagínta novem conservatióne, lætítiæ.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azária & sóciis ejus in fornácem: & excússit flammam de fornáce, & non tétigit eos omníno ignis. Tunc hi

quasi ex uno ore lau-
ınt, * Et benedicébant
ım. ℣. Injecérunt ma-
in Apóstolos; Ange-
ıutem Dómini edúxit
: qui intravérunt in
plum, & docébant.
. Dan. 3. Act. 5.

Lectio ix.

Vis una, homo intel-
ligéndus est; & sub
ıine uno univérsitas
iénda est. Sed in uníus
e erróre omne hómi-
ı genus aberrávit. Er-
ıonagínta novem non
ntes, multitúdo An-
ırum cœléstium opi-
da est, quibus in cœlo
lætítia & cura salútis
ıánæ. Igitur, & quæ-
hóminem, Christus
& nonagínta novem
cti, cœléstis gloriæ
titúdo est: cui cum
ımo gáudio errans ho-
, in Dómini córpore
relátus.

?. Dániel regi respón-
s, ait: Deus meus mi-
ıngelum suum, & con-
ıt ora leónum, & non
uérunt mihi: * Ipse est
ıs vivens, & ætérnus
æcula. ℣. Paulus stans
avi, dixit: Astitit mi-
Angelus Dei, cujus
ego, dicens: Ecce
ávit tibi Deus omnes
qui návigant tecum: * Ipse est. Glória. * Ipse est. *Dan. 6. Act. 27.*

AD LAUDES.

Ant. 7. ECce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via, & introdúcat in locum quem parávi. *Exod. 23.*

Ant. 4. Obsérva eum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes; quia non dimíttet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. *Exod. 23.*

Ant. 8. Si audíeris vocem Angeli mei, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, præcedétque te Angelus meus. *Exod. 23.*

Ant. 5. Edúcam vos cum pace, dicit Dóminus; Angelus enim meus vobíscum est: ipse autem exquíram ánimas vestras. *Baruch. 6.*

Ant. 7. Si fúerit pro hómine Angelus loquens, miserébitur ejus, & dicet: Líbera eum. Deprecábitur Deum, & placábilis ei erit. *Job. 33.*

Capitulum Apoc. 8.

ANgelus venit, & stetit ante altáre, habens turíbulum áureum; & da-

ta sunt illi incensa multa, ut daret de oratiónibus sanctórum ómnium super altáre áureum quod est ante tronum Dei : & ascéndit fumus incensórum de oratiónibus sanctórum de manu Angeli coram Deo.

℣. Inclinávit cœlos, & descéndit Dóminus :

℟. Ascéndit super Chérubim. *Ps.* 17.

Ad Benedictus

Ant. 8. Omnes sunt administratórii Spíritus, in ministérium missi propter eos qui hereditátem cápient salútis. *Hebr.* 1.

Oratio.

DEus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris, largíre supplícibus tuis, & eórum semper protectióne deféndi, & ætérnâ societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

AD HORAS

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. Oratio ibid.

CANON.

Ex Sancto Hierónymo Presbytero.

Lib. 3. in cap. 18. Matth.

MAgna dígnitas animárum, ut unaquæque hábeat ab ortu na- vitátis in custódiam sui An- gelum delegátum. Un- Légimus in Apocalyp- Joánnis: Angelo Ephé- Thyatíræ, & Angelo Phi- ladélphiæ, & Ange- quátuor reliquárum ec- clesiárum : Scribe hæc Apóstolus quoque præci- pit velári cápita fæminá- rum in ecclésiis propter Angelos.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesperis.

℟. *brev.* In mánibus (Angeli) portábunt te. Allelúia, allelúia. In mánibus. ℣. Ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum. Allelúia, allelúia. In mánibus. Glória. In mánibus. *Ps.* 90.

℣. Dóminus custódit te :

℟. Dóminus protéctio tua. *Ps.* 120.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Dómine Deus meus magnificátus es veheménter. Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Qui facis Angelos tuos spíritus, & minístros tuos ignem uréntem. Allelúia, allelúia. Dómine. Glória. Dómine. *Ps.* 103.

℣. Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus,

℟. Minístri ejus qui fácitis voluntátem ejus. *Ps.* 102.

AD NONAM

Capitulum Dan. 5.

BEnedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui credidérunt in eum.

℟. *breve* Qui sedes super Chérubim, Dómine Deus virtútum. Allelúia, allelúia. Qui sedes. ℣. Osténde fáciam tuam & salvi érimus. Allelúia, allelúia. Qui sedes. Glória. Qui sedes. *Ps.* 79.

℣. Dóminus virtútum nobíscum,

℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum, Hymnus & Versus de I. Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 5. Quàm mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Bonis ómnibus per eum repléti sumus. *Tob.* 12.

Oratio ut supra ad Laudes.

DIE XVI.

In Festo

S. BALSAMIÆ VIDUÆ & Nutrícis S. Remígii.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Mulierum pag. lj.

Oratio Deus in quem sperat *pag.* lv. *ibidem.*

Lectio iij.

BAlsámia honéstis orta natálibus, velut bálzamum aromatízans, multárum odóre virtútum sanctam replévit Ecclésiam. Síquidem fuit nutrix sancti Remígii Archiepíscopi Reménsis & Francórum Apóstoli, & mater sancti Celsíni presbyteri, qui sanctíssimi Præsúlis dilectíssimus fuit discípulus. In cujus & matris memóriam Remis ædificáta est ecclésia canonicórum collégio illústris, & plúribus sanctórum ditáta pignóribus. Hanc secùs vísitur capélla subterránea, cryptis mártyrum non absímilis, in qua beátum Maurum virum Apostólicum, témpore persecutiónis, latuísse & immaculátam Deo hóstiam obtulísse, vetus est tradítio, siléntе quamvis Flodoárdo.

DIE XVII.

In Festo

SANCTI GREGORII

Thaumatúrgi Epíscopi.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Pontificum pag. *xix.*

Oratio Deus qui *pag.* xxiv. *ibidem.*

Ex Libro Sancti Basilii Magni de Spíritu Sancto. *Tom.* 2. *Cap* 29.

Lectio iij.

GRegórium Magnum, & illíus voces quo loco ponam? An non cum Apóstolis & Prophétis, virum qui eódem spíritu quo illi versátus sit, quique Sanctórum vestígiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangélicæ conversatiónis vigórem quándiu vixit, præstíterit? Equidem illud díxerim, proféctò injúriâ affecérimus veritátem, si non ánimam illam annumerémus iis qui Deo juncti sunt; qui velut insígnis mágnaque lucérna in Ecclésia Dei resplénduit, qui è Spíritûs ope terrórem hábuit advérsùs dæmonum potestátem. Nam tantam accéperat grátiam ad obediéntiam fidei inter gentes, ut assúmptis non plùs septémdecim christiánis uni[versum] pópulum, & u[rbá]num, & rusticánum, [ad] agnitiónem adjún[xerit] Deo. Ille & flúmi[na] cui suis in divérsum ver[tit], præcípiens illis in ma[gno] nómine Christi, & [sic]dem exsiccávit, belli ca[u]sam præbéntem frátri[bus] aváris. Cæterùm prædic[a]tiónes de futúris ejúsmodi sunt, ut nihilò sit inférior cæteris Prophétis. Sed omníno perlóngum fúerit viri percensére mirácula, qui propter donórum excelléntiam quæ in ipso operabátur Spíritus in omni virtúte, signis ac prodígiis, ab ipsis étiam veritátis hóstibus alter Moises appellátus fuit.

DIE XVIII.

In Festo

SS. ORICULI

ET SORORUM EJUS

MARTYRUM.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum pag. *xiij.*

Oratio

OMnipotens sempiterne Deus, qui in sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accéndis, da méntibus nostris eámdem fídei caritatísque virtútem, ut mártyris

ris tui Oriculi & soró-
m ejus Oriculæ & Basí-
æ victóriis gaudéntes,
oficiámus exémplis. Per
óminum.

x Flodoard. Surio & aliis

Lectio iij.

ORículus verus Dei
servus, sancti Ni-
cásii Archiepíscopi
eménsis discípulus, ut
rt tradítio, duas hábuit
rores Orículam & Basí-
iam, virtútibus non mi-
is, quàm sánguine sibi
onjúnctas. Cùm autem
ándali per urbes & cas-
lla Reménsis diœcésis
gántes tyránnidem e-
ercérent, vicum Sindú-
um in agro Dulcoménsi
gréssi, Orículum in Ec-
ésia divínis meditatióni-
us defixum, & ad aram
míliter prostrátum, ubi
rum cordis sacrificium
férre consuéverat, re-
ériunt. Quem foràs vio-
nter tractum, & in vi-
num montem cum duá-
is soróribus virtútum
úsdem æmulis perdúc-
m, velut Deo dicátas
óstias mactavérunt, Chri-
óque triumpháli ac ter-
mino conjunxére mar-
rio. Quàm Deo accép-
m foret tam pretiósum
crifícium plura compro-
bárunt mirácula, quibus
dum mártyrum memó-
ria consecrátur, fidélium
mens admonétur, ut quos
mirári juvat, non pígeat
imitári.

Die xix.

In Festo

S. ELIZABETH
VIDUÆ.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Mulierum pag. *lj.*

Oratio Deus in quem *pag.* lv. *ibidem.*

Ex ejus vita apud Canisium & Surium.

Lectio iij.

ELízabeth Andréæ
Hungarórum regis
fília, Ludovíco Her-
mánni Thuríngiæ Lant-
grávii fílio adhuc lactens
despónsáta est; & tan-
dem ab eo, cùm núbilis
facta esset, solémniter duc-
ta. Quo ex conjúgio tres
fílios duásque fílias suscé-
pit. Tantos verò in pietá-
te christiána progréssus
jam ánteà fécerat, ut ni-
hil viro juncta de prístino
fervóre remítteret; præ-
cípuo caritátis afféctu,
paupéribus compátiens,
quibus, abscénte viro, in
magna annónæ inópia
omne ditiónis suæ fru-
méntum distríbuit: quo-

℣. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus:

℟. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Psal.* 84.

Lectiones Script. occurr.

℟. j. En dilectus meus lóquitur mihi: * Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea; & veni. ℣. Ecce sto ad óstium, & pulso: si quis aperúerit mihi, intrábo ad illum. * Surge. *Cant.* 2. *Apoc.* 3.

℟. ij. Surgam, & quæram quem díligit ánima mea: * Donec aspíret dies, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. ℣. Dicit mihi: Tempus prope est: Etiam vénio citò. * Donec. *Cant.* 3. *Apoc.* 22.

℟. iij. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit spíritus meus in Deo Salutári meo. * Quia. Glória Patri. * Quia. *Is.* 61. *Luc.* 1.

IN II. NOCTURNO

Ant. 3. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, immaculáta mea.

Ant. 4. Spon[...] mihi in sempitérn[...] sábo te mihi in fid[...]

Ant. 5. Quia [...] cuit Dómino in t[...] débit sponsus sup[...] sam, & gaudébit [...] Deus tuus. *Is.* 62

℣. Audívit, & [...] est: ℟. Et exultav[...] liæ Judæ propte[...] tua, Dómine. *P*[...]

Sermo Sancti B[...] Abbátis

Homil. 2. *de La*[...] *Martyr.* [...]

Lectio iv[...]

DEo hujús[...] cébat n[...] quâ no[...] Vírgine nasceré[...] congruébat & V[...] tus, ut non pá[...] Deum. Proínde [...] minum ut hom[...] nascitúrus de hó[...] lem sibi ex ómn[...] búit delígere, i[...] dere matrem, q[...] se decére sciéba[...] nóverat placitúr[...] luit ítaque esse v[...] de qua immaculá[...] culátus procéde[...] nium máculas pu[...] vóluit & húmile[...] mitis & húmil[...] prodíret, harum

tútum necessárium ómnibus saluberrimúmque exémplum ostensúrus. Dedit ergo Vírgini partum, qui ei jam ante & virginitátis inspiráverat votum, & humilitátis prærogáverat méritum.

℟. Audi, filia, & inclína aurem tuam, & * Oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: & concupíscet rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Dóminus tecum, María, ne tímeas. * Oblivíscere. *Ps.* 44. *Luc.* 1.

Lectio v. Hom. 3. n. 3.

Meritò autem concupívit Rex decórem Vírginis. Fécerat enim quidquid longè ánteà præmónita fúerat à patre suo David, dicénte sibi: Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: & si hoc féceris, concupíscet Rex decórem tuum. Audívit quippe, & vidit, non ut quidam qui audiéntes non áudiunt, & vidéntes non intélligunt: sed audívit & crédidit, vidit & intelléxit; & inclinávit aurem suam ad obediéntiam, & cor suum ad disciplínam: & oblíta est pópulum suum, & domum patris sui, quia nec pópulum suum augére prolis successióne, nec dómui patris sui relínquere curávit hærédem.

℟. Quòd relíqueris paréntes tuos, reddet tibi Dóminus pro ópere tuo: & * Plenam mercédem recípias à Dómino Deo tuo, ad quem venísti, & sub cujus confugísti alas.

℣. Benedícta tu, & beáta quæ credidísti. * Plenam. *Ruth.* 2. *Luc.* 1.

Lectio vj. num. 7.

O Virgo prudens! quis te dócuit Deo placére virginitátem? Ubi audíeras, Volo vos omnes esse, sicut & meípsum? &, Bonum est hómini, si sic permáneat secúndùm meum consílium? De virgínibus, inquit, præcéptum non hábeo, consílium autem do. Tu verò, non dicam præcéptum, sed nec consílium, nec exémplum: nisi quod únctio docébat te de ómnibus; ac sermo Dei vivus & éfficax, ante tibi factus magíster quàm fílius, priùs instrúxerit mentem, quàm indúerit carnem. Christo ergo dévoves te

exhibére vírginem ; & nescis quòd ipsi exhibéri te opórteat étiam matrem. Eligis in Israël esse contemptíbilis, & ut illi pláceas cui te probásti, maledíctum incúrrere sterilitátis. Et ecce maledíctio benedictióne commutátur, sterílitas fœcunditáte recompensátur.

℟. Custódiet Dóminus Deus pactum tibi, * Et misericórdiam quam jurávit pátribus tuis, † Benedicétque frúctui ventris tui. ℣. Invenísti grátiam apud Deum. * Et. Glória. † Benedicétque. *Deut.* 7. *Luc.* 1.

IN III. NOCTURNO

Ant. 6. Vovit votum, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum. *Gen.* 28.

Ant. 7. Fecit sicut vóverat, quæ ignorábat virum. *Judic.* 11.

Ant. 8. Virgo cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore & spíritu. 1. *Cor.* 7.

℣. In me sunt, Deus, vota tua, ℟. Quæ reddam, laudatiónes tibi. *Ps.* 55.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo témpore; Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília Sancti Augustini Epíscopi.

De S. Virg. cap. 3. *&* 4.

BEátior María percipiéndo fidem Christi, quàm concipiéndo carnem Christi. Nam & dicénti cuídam, Beátus venter qui te portávit, ipse respóndit: Imò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt. Dénique frátribus ejus, id est, secúndùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio? Sic & matérna propínquitas nihil Maríæ profuísset, nisi felíciùs Christum corde quàm carne gestásset.

℟. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus: * Afferéntur regi vírgines post eam in lætítia & exultatióne: adducéntur in templum regis. ℣. Unus de ángelis locútus est mecum, dicens: Veni, & osténdam tibi sponsam. * Afferéntur. *Ps.* 44. *Apoc.* 21.

Lectio viij.

IPsa quoque virgínitas ejus ideò grátior & ac-

céptior, quia Christus priúsquàm conciperétur, jam Deo dicátam de qua nascerétur, elégit. Hoc índicant verba quæ sibi fœtum annuntiánti ángelo María réddidit. Quómodò, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognósco? quod proféctò non díceret, nisi Deo vírginem se ante vovísset. Póterat & jubéri virgo permanére, in qua Dei Fílius formam servi congruénti miráculo accíperet, sed exémplo sanctis futúra virgínibus, ne putarétur sola virgo esse debuísse, quæ prolem étiam sine concúbitu concípere meruísset, virginitátem Deo dicávit, cùm adhuc quid esset conceptúra nescíret, ut in terréno mortalíque córpore cœléstis vitæ imitátio voto fíeret, non præcépto; amóre eligéndi, non necessitáte serviéndi.

℟. Dixit Deus: Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium, * Et ait Deus: Páriet Fílium, & constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum. ℣. Dixit María: Virum non cognósco. * Et ait. *Gen.* 17. *Luc.* 1.

Lectio ix. *Cap.* 5.

NOn est ergo cur Dei vírgines contristéntur, quòd étiam ipsæ, virginitáte serváta, matres carnis esse non possunt. Illum enim solum virgínitas decénter párere posset, qui in sua nativitáte parem habére non posset. Verúmtamen ille uníus sanctæ Vírginis partus ómnium sanctárum vírginum est decus. Et ipsæ cum María matres Christi sunt, si Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim & María laudabíliùs atque beátiùs Christi mater est, secúndùm supra memorátam ejus senténtiam: Quicúmque facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est.

℟. Múlier de turba dixit Jesu: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. At ille dixit: Quinímò, * Beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. ℣. Immortálitas est in cognatióne sapiéntiæ, & præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus. * Beáti. Glória. * Beáti. *Luc.* 1. *Sap.* 8.

AD LAUDES

Psalmi de Dominica, & sic ad Horas parvas.

Ant. 5. PArs mea Dómi-nus, dixit ánima mea : bonus est ánimæ quærénti illum. *Thren.* 3.

Ant. 2. Quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea : ante templum postulábam pro illa. *Eccli.* 51.

Ant. 4. A juventúte mea investigábam eam : inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam. *Eccli.* 51.

Canticum Lauda & lætáre *ut in Officio Parvo.*

Ant. 7. Multam invéni in me sapiéntiam, & multùm profé̃ci in ea: danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. *Eccli.* 51.

Ant. 6. In voce laudis immolábo tibi : quæcúmque vovi, reddam Dómino. *Jonæ* 2.

Capitulum Eccles. 4.

CUstódi pedem tuum ingrédiens domum Dei, & appropínqua ut áudias.

℣. Dóminus abscóndit me in tabernáculo suo : ℟. Prótexit me in abscóndito tabernáculi sui. *Ps.* 26.

Ad Benedictus

Ant. 3. Dábitur illi fidei donum eléctum, & sors in templo Dei acceptíssima ; bonórum enim labórum gloriósus est fructus, & quæ non cóncidat radix sapiéntiæ. *Sap.* 3.

Oratio

DEus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritûs Sancti habitáculum, hodiérnâ die in templo præsentári voluísti, præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum . . . . . in unitáte ejúsdem.

AD HORAS

In fine Hymnorum Doxologia sequens

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Antiphonæ de Laudibus, quartá omissâ. Oratio ibid.

AD TERTIAM

Capitulum de I. Vesper.

℟. *brev.* Propter innocéntiam suscepísti me,

Deus. Allelúia, allelúia. Propter ℣. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. Allelúia, allel. Propter. Glória. Propter. *Ps.* 40.

℣. Adhæsit ánima mea post te; ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te. Allelúia, allelúia. Exáudi. ℣. Dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum. Allelúia, allelúia. Exáudi. Glória. Exáudi. *Ps.* 27.

℣. Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ℟. Ut áudiam vocem laudis, & enárrem univérsa mirabília tua. *Ps.* 25.

AD NONAM

Capitulum Judith. 10.

DEus patrum nostrórum det tibi grátiam, & omne consílium tui cordis suâ virtúte corróboret, ut gloriétur super te Jerúsalem, & sit nomen tuum in número sanctórum & justórum.

℟. *brev.* Apud te laus mea in Ecclésia magna. Allelúia, allelúia. Apud te. ℣. Vota mea reddam in conspéctu timéntium eum. Allelúia, allelúia. Apud te. Glória. Apud te. *Ps.* 21.

℣. Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, ℟. Quia sustínui te. *Ps.* 24.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Psalmi de Officio Parvo.

Capitulum, Hymnus & Versus de I. Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Eò quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te; & ídeò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15.

Oratio ut supra ad Laud.

Post VESPERAS *commemoratio S. Cæciliæ Virg. & Martyris per Ant.* Córpora *pag.* xlvij. *de Communi Ss. Virginum.*

Oratio ut infra.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de Dominica.

Hymnus Virgo Dei Génitrix *pag.* 42.



Die xxii.

In Festo

SANCTÆ CÆCILIÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Virginum pag. *xlvj*.

Oratio

DEus, qui nos beátæ Cæcíliæ vírginis & mártyris tuæ solemnitáte lætíficas, da ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Ex S. Greg. Magn. Fortunat. & Anastasio Biblioth.

Lectio ij.

CÆcília in virginitátis propósito, & in fidei confessióne, Dei múnere sic roboráta est, inquit sanctus Gregórius Magnus in Sacramentário, ut nec ætátis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandiméntis carnálibus demulcerétur, nec sexûs fragilitáte deterrerétur, neq tormentórum immanitáte vincerétur, sed servándo córporis ac mentis integritátem, cum virginitátis & martyrii palma ætérnam mererétur adipísci beatitúdinem. Hæc una est ex quátuor celebérrimis ecclésiæ Occidentális virgínibus martyrio coronátis, quarum nomen antíquitùs insértum est in Cánone Missæ. Corpus ejus in cœmetério Prætextáti, extra urbem viâ Appiâ, vel inítio sepúltum est vel illuc translátum. Cùm autem rumor increbuísset, sanctæ vírginis corpus, Astulfo Longobardórum rege Romam obsidénte, ab hóstibus furto fuisse ablátum, Pascháli Pontífici pro more Vigílias celebránti, & ante Confessiónem sancti Petri Dei laudes canénti, anno octingentésimo vigésimo primo, Cæcíliam apparuisse scribit Anastásius, & quo in loco sepúlta esset indicásse. Is, cùm sanctæ mártyris corpus in sepúlcro áureis induméntis velátum, & ad ejus pedes linteámina ejúsdem sánguine aspérsa reperísset, illud magno cum honóre intra muros tránstulit in ecclésiam quam sub ejus nómine Gregórius Magnus extrúxerat. Ibi Cæcíliæ corpus, unà cum sanctórum Valeriáni, Tibúrtii & Máximi, Urbáni quoque ac Lúcii Pontíficum cor-

póribus, sub altári collocávit.

Lectio iij.

EAm Ecclésiam Paulo Sfondráto Cardinále exornánte, vetus excavátum forámen detéctum est, pérvium ad corpus sanctæ mártyris, per quod fidéles sudáriola solébant demíttere, quæ è sepúlcri contáctu vim restituéndæ sanitátis haurírent. Marmóreum ítaque ibi monuméntum invéntum est; & in eo arca cypréssina, pénitùs illæsa, dúctili clausa opérculo, in qua sanctum jacébat Cæcíliæ corpus séricis pannis involútum, qui cùm essent depréssi, situm córporis osténdébant. Sérica quoque fila auro intertéxta, circa corpus ejus repérta sunt; & ad pedes, vela sánguine mádida. Visúmque est, non, ut ássolet in sepúlcro, resupínum corpus, sed ut in lecto jacens súpra dextrum latus. Tum Clemens octávus, die ipsâ sanctæ mártyri sacrâ, post oblátum ritu solémni Missæ sacrificium, ministério diaconórum adjútus, thecam argénteam détulit in Confessiónem; in eâque cypréssinam arcam, quæ venerándum vírginis corpus continébat, collocávit; & in lapídeo monuménto utrámque ita simul compósitam inclúsit, anno Dómini millésimo quingentésimo nonagésimo nono.

Post Vesperas *commemoratio S. Clementis Papæ & Martyris per*

Ant. Clemens adjútor meus laborávit mecum in Evangélio; cujus nomen est in libro vitæ. *Philipp.* 4.

Oratio Omnípotens *p.* xj. *de Comm. unius Mart.*

Die XXIII.

In Festo

SANCTI CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij exceptis quæ sequuntur.*

Ex Libro Sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris advérsùs hæreses.

Lectio iij. Lib. 3. c. 3.

POst Anaclétum, tértio loco ad Apóstolis Episcopátum sortítur Clemens, qui & vidit ipsos Apóstolos, & cóntulit cum eis, cùm adhuc insonántem prædicatiónem Apostolórum, & traditiónem ante óculos

habéret. Non solus; adhuc enim multi supérerant tunc ab Apóstolis docti. Sub hoc igitur Cleménte, dissensióne non módicâ inter eos qui Corínthi essent fratres, factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclésia, potentíssimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & réparans fidem eórum, & annúntians quam in recénti ab Apóstolis recéperant traditiónem. Huic Cleménti succédit Evaristus. Obiit autem, juxta Hierónymum, tértio Trajáni anno; & nóminis ejus memóriam jam tum exstrúcta Romæ ejus témpore Ecclésia usque hódie consérvat.

Ad Benedíctus

Ant. 3. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi malè óperans; sed verbum Dei non est alligátum. 2. *Tim.* 2.

Oratio Omnípotens *p.* xj. *de Comm. unius Mart.*

Vesperæ de S. Chrysogono Martyre.

Commemor. S. Anastasiæ Viduæ & Martyris per Antiph. Domus *pag.* lij. *de Communi Ss. Mulierum.*

Oratio Deus, cujus grátiâ *pag.* lv. *ibidem.*

Die xxiv.

In Festo

S. CHRYSOGONI MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris pag. *vij.*

Oratio Da nobis, quæsumus *pag.* xj. *ibidem.*

Apud Baro. & Tillem.

Lectio iij.

Chrysógonus, post longa víncula, & cárceres Romæ pro Christi confessióne tolerátos, jubénte Diocletiáno, Aquiléïam perdúctus, postquam ejúsdem nec blandítiis nec minis à propósito deterréri pótuit, ad Aquas Gradátas secúri percússus est. Corpus ejus projéctum in mare, paulò post invéntum, Zóïlus présbyter sepelívit in ædibus suis. Vetus est Romæ títulus sancti Chrysógoni, cujus nomen jam à primis tempóribus Cánoni Missæ insértum quotídie ad altáre recitátur. * Eódem die fit memória sanctæ Anastásiæ Románæ, quæ à sancto Chrysógono in fide erudíta est. Orbáta viro, cùm facultátes omnes paupéribus erogásset, & sanctum Chrysógonum in vínculis conjéctum per bién-

nium alimóniis fovíſſet, audítâ ejus morte, accúrrit Aquiléiam, ut córpori ejus, quod à Zóilo preſbytero ſublátum ſervabátur, dignam ſepultúram procuráret. Unde in Illyricum & Macedóniam uſque progrédiens ut Chriſti confeſſóribus & martyribus ſédulam óperam impénderet, à multis præſídibus & præféctis vexáta, tandem poſt menſes à Chryſógoni morte trédecim, in ora Illyridis marítima, martyrium conſummávit. Ejus nomen quotídie in Románа eccléſia in altáris ſacrificio commemorátur.

Poſt LAUDES *commem. S. Anaſtaſiæ per Antiph.* Fortitúdo *pag.* liv. *de Communi Ss. Mulierum.*

Oratio Deus, cujus grátiâ *pag.* lv. *ibidem.*

DIE XXV.

In Feſto

S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Simplex.

Omnia de Communi Ss. Virginum pag. xlvj.

Oratio

Omnipotens ſempitérne Deus, cujus múnere beáta Catharína virginitátis & martyrii palmam adépta eſt, da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis ſerváre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur. Per Dóminum.

Ex hiſt. Eccleſ. apud Fleury. Lib. 55. Lectio iij.

Catharínæ ſeu Æcatherínes, vírginis & mártyris memóriam ſinguları cultu jamprídem venerátur Orientális eccléſia : ejúſdem corpus in Sina Arábiæ monte religióſè ſervátur. Paulus Latrénſis nóbilis Anachoréta, qui médio ſæculo décimo óbiit, ejus feſtum diem ſummâ imprímis ſolemnitáte celebrábat. Sequénti ſæculo, Símeon in monte Sina mónachus, conſuétam Ricárdi Normánniæ ducis eleemóſynam quæſitúrus, Rotómagum venit; ac ſecum allátas beátæ Catharínæ Relíquias, in monaſtério ſupra montem urbi vicínum ædificáto depóſuit. Inde cœpit beátæ mártyris cultus per Gállias propagári. Obiit Símeon anno milléſimo tricéſimo quinto, apud Tréviros reclúſus, & inter ſanctos cólitur.

Die xxvi.
In Festo
SANCTI BASOLI
ABBATIS.
Semiduplex - minus.
Omnia de Communi Ss. Abbatum pag. *xxxv*.

Oratio

DA nobis, ætérnæ consolatiónis Pater, per beáti Básoli preces, pacem & salútem mentis & corporis, ut tuis tota dilectióne inhæreámus præcéptis & quæ tibi plácita sunt, totâ virtúte perficiámus. Per Dóminum.

Ex Flodoardo, Fortunat. Adone & Anon. apud Mabill. sæc. 2.

Lectio ij.

BAsolus sexto Ecclésiæ sæculo in pago Lemovicénsi natus est ex paréntibus christiánis, quorum præclárae nobilitáti ingéntes accésserant divítiæ. Hi filium christiánæ disciplínæ præcéptis imbuéndum diligénter & studiósè curavérunt. Hinc ille spretis mundi illécebris, Deo adhærére constítuit; ánimum à voluptátis venéno illæsum servávit; & facultátes amplíssimas, quæ ipsi hæreditá-

rio jure mox obv
erant, omninò
Egréssus ígitur de
Patris, Remos se c
sancti Remígii t
religiósè visitatúr
Ægídium Arch
pum Reménsem á
sibi notum; qui
per Aquitániam
ciens, à Básoli pa
hospítio ánteà fúe
céptus. Ab illo p
niter hábitus viáto
tóri exímio apéru
gno vitæ solitária
rio tenéri: cujus v
nuens Præsul, lo
ampla diœcési qu
que vellet eligénd
pósuit. Básolus au
ritus ne sibi solitár
necessária deéssent
tit ad cœnóbium
cum à trigínta ann
ditum tértio ab ur
de, ubi tum duód
Christo fratres D
viébant, horum c
sórtio & exémpli
mum fructum perc
nullis præmíssis p
nibus, in societát
admíssus; jamque
exímias dotes, qua
magis ac magis elu
monastérii regími
ficiéndus destinab
ómnibus, cùm in

em se recépit, quam jam u anhelábat.

Lectio iij.

CEllulâ in monte extrúctâ conclúsus, vigiliárum ac jejuniórum austeritáte corpus desiccábat; sed ánima, quasi ádipe & pinguédine roborabátur in amóre Dei. Asperrimum hoc vitæ genus ampléxus, per quadragínta penè annos certávit bonum certámen. Cùm autem ejus sanctitátis fama longè latéque percrebrésceret, ad eum conflúxit ingens populórum multitúdo, consília salútis quærens ab eo quem inter vepres & duméta inaudíto vivéndi génere promicántem mirabátur. Post multa pietátis insígnia Básolus suæ resolutiónis diem imminére séntiens, Balsémum nepótem suum ex Aquitánia accérsit, indicátque sibi revelátum esse quòd post óbitum in eódem loco futúrus esset ei succéssor, qui salutáribus ejus mónitis obtémperans, cum eo in timóre Dómini conversátus est, donec Deo tot labóribus præmium decernénte, Básolus ad cœlos evolávit, anno, ut créditur, sexcentésimo vigésimo sexto, caléndas Decémbris. Ante & post mortem cláruit miráculis. Corpus ejus in oratório céllulæ primùm sepultúræ mandátum, Hincmárus, médio círciter nono sæculo, è terra levátum solémni pompâ tránstulit ad monastérium Verziacum, & in Abbatiáli ecclésia repósuit idibus Octóbris. Sancti Relíquias in argéntea Capsa inclúdi curávit Augo Abbas hujus nóminis secúndus; & máximus exíndè illis honor hábitus est. Balsémus verò in eádem Cella ut vir Dei prædíxerat, usque ad éxitum suum beáti patris vestígia secútus, perseverávit.

Post VESPERAS *commemoratio Ss. Agricolæ & Vitalis Martyris per Ant.* Cum vos óderint *pag.* xiv. *de Communi plur. Martyr.*

Oratio ut infra.

DIE XXVII.

In Festo

SANCTI AGRICOLÆ ET VITALIS MARTYR.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum pag. *xiij.*

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui

sanctórum mártyrum tuórum Agrícolæ & Vitális solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

Ex Libro Sancti Ambrósii Epíscopi.

De Exhortat. ad Virginit. cap. 1. num. 2. 4. & 5.

Lectio iij.

MArtyris Agrícolæ Vitális servus fuit ante, nunc consors & colléga martyrii. Cùm sanctus Vitális cogerétur à persequéntibus ut Christum negáret, & ille ámpliùs profiterétur Dóminum Jesum Christum, ómnia tormentórum génera in eum exercéntibus, ut non esset in córpore ejus sine vúlnere locus, oratiónem fudit ad Dóminum; complétâ oratióne, emísit spíritum. Sanctus Agrícola mítior habebátur móribus, ut ab ipsis étiam inimícis diligerétur: ideóque differébant ejus passiónem. Sed hæc persecutórum honorificéntia omni erat immanitáte acérbior, quæ invidébat martyrium. Dénique ubi non acquiévit sanctus Agrícola, crucifíxus est; ut advertámus illas blandítias eórum, non sedulitátis fuisse, sed fraudis. Supplício servi dóminum terrére voluérunt. Verùm hoc Christus in grátiam, ut martyrium servi dóminus imitarétur. ¶ Quum Ecclésiæ sæculo extrúcta fuit Remis in honórem sancti Agrícolæ amplíssima basílica à Jovíno Gallórum præfécto, qui illíus mártyris consanguíneus tráditur. Hanc multis decorátam & ditátam donis, velut regnántis Christi, post evérsos gentilitátis ritus, trophæum eréxit vir multiplici título insígnis, in eáque vóluit tumulári: Hanc autem Reménses Archiepíscopi tanti fecérunt, ut, postpósitâ sancti Sixti Basílicâ, prædecessórum nobilitátâ pignóribus, in ea sepultúram elégerint. Sénio labénte Joviniánâ Basílicâ, in illíus locum áltera elegántior extrúcta est, sancto Nicásio sacra, in qua servántur Relíquiæ sanctórum Agrícolæ & Vitális, quas ecclésiæ Claromontánæ in Arvérnia Canónici Nicasiánis mónachis liberáliter concessérunt.



Die xxix.

In Vigilia Andreæ Apostoli.

Simplex.

Omnia de Feria occurrente, exceptis quæ seq.

IN NOCTURNO

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, secundâ & tertiâ in unam coactis.

Duo prima ℟℟. *de tempore secundùm Feriam.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio iij. *Cap.* 1.

IN illo témpore; Stabat Joánnes, & ex discípulis ejus duo; & respíciens Jesum ambulántem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 7. num. 9.

AUdiérunt eum duo discípuli loquéntem, & secúti sunt Jesum. In his duóbus erat Andréas, sicut modò audístis; Andréas autem frater Petri erat: & nóvimus in Evangélio quòd Petrum & Andréam Dóminus de navi vocávit, dicens: Veníte post me, & fáciam vos piscatóres hóminum. Et ex illo jam inhæsérunt illi, ut non recéderent. Modò ergo quòd illum sequúntur isti duo, non quasi non recessúri sequúntur, sed vidére voluérunt ubi habitáret, & fácere quod scriptum est: Limen ostiórum ejus éxterat pes tuus; surge ad illum veníre assídue, & erudíre præcéptis ejus. Osténdit eis ille ubi manéret: venérunt & fuérunt cum illo.

℟. Videns Jesus duos discípulos sequéntes se, dixit eis: Quid quæritis? * Dixérunt ei: Rabbi, ubi hábitas? Dicit eis: Veníte, & vidéte. † Venérunt, & apud eum mansérunt die illo. ℣. Desiderábant ut audírent sapiéntiam quam déderat Deus in corde ejus. * Dixérunt. Glória. † Venérunt. *Joan.* 1. 2. *Paral.* 9.

Preces flexis genibus.

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus, ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium, ut à nostris reátibus absolúti, à cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

DIE XXX.
IN FESTO
SANCTI ANDR[EÆ]
APOSTOLI.
Duplex-majus.

Omnia de Communi Apost. pag. *iij. excepti*

IN I. VESPERIS

Ad Magnificat

Ant. 8. Invénit Andréas fratrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam; & addúxit eum ad Jesum. *Joan.* 1.

Oratio ut infra ad Laud.

AD MATUTINUM

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ANdréas Bethsáïdæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, cùm eum de Christo dicéntem audísset, Ecce Agnus Dei; secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúmdem perdúxit. Cùm pósteà unà cum fratre piscarétur in mari Galilææ, ambo à prætereúnte Christo vocáti illis verbis: Venite post me, fáciam vos fieri piscatóres

hóminum; nul
ponéntes mora
líctis rétibus,
eum. Post cuju
tiónem & asc
Andréas in Sc
dicávit. Cùmq
ciam pervenísse
idolórum cultu
tum coléndum
urbem Patras i
suâ morte nobi
Relíquias Consi
perátor, ex v
tantíni patris,
simo regni sui
nópolim transf
augustíssimo A
templo collocá
unde pósteà d
gnora divérsis
vitæ fémina dis
Inter duódecim
quos Christus
vangelístæ M
& Lucas Andr
dum recénsent

Sermo Sancti Petri Chrysólogi.

Lectio v. *Serm. 133.*

BEátus Andréas hódie moriéndo pro Dómino, toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére vestígiis. Nec eum cursus fáciat dísparem fratri, quem natúra símilem, vocátio sócium, parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit. Solum est quòd témpore Domínicæ passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia non est grávius fúgere quàm negáre. Sed æquávit fratres vénia, quos sic discréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, pósteà conjúnctis víribus, ardénter invádunt, ut unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent & corónam. Petrus namque crucem, árborem conscéndit Andréas: ut qui Christo cómpati gestiébant, in semetípsis figúram, formámque ipsíus exprímerent passiónis, & redémpti ligno, consummaréntur ad palmam. Sic Andréas noster, etsi cedit órdini, præmio tamen non cedit & labóri.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Andrea. n. 1.

Lectio vj.

BEáti Andréæ Apóstoli solémnitas hódie celebrátur. Quam si piâ sollicitúdine perscrutémur, multa invenímus in ea, quæ ædíficent ánimas nostras. In ipso síquidem conversiónis suæ inítio, magnum nobis perféctæ obediéntiæ præstat exémplum, quod quidem Christiánis ómnibus necessárium. Sola enim est cáritas quæ obediéntiam gratam facit & acceptábilem Deo; hílarem quippe datórem díligit Deus. Unde autem in Andréa jamjam moritúro tam spirituális mens fuit, tam fervens cáritas, ánimus tam robústus? Planè Spíritus erat qui adjuvábat infirmitátem ejus, per quem diffundebátur in corde ipsíus cáritas fortis ut mors, imò & fórtior morte. Cujus ô si & nos partícipes inveniámur! Et sicut beáto Andréæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque labórem, & pœniténtiam nostram fáceret, non solùm non moléstam, sed étiam desiderábilem atque omnínò delectábilem esse.

accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomológesim fecit coram sacerdóte, & exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Quidquid arte suâ comparábat, id totum fovéndis egénis, & captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Non minùs accéptus Dagobérto quàm Clotário patri, & ab illo ad Aremoricórum regem pacis componéndæ causâ missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto & gemmis ornávit sepúlcra sanctórum. Mausoléum imprímis mártyris Dionysii miro artificio decorávit.

Lectio iij.

DE Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoniácam labem, quæ altas in Gállia radíces égerat, extirpávit. Tandem ad Novioménsem Episcopátum assúmptus, non modò salúti gregis sibi commíssi invigilávit, sed & Flandros & Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre ac vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in Concílio Cabilonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præclárè scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitùs prædíxit, aliísque miráculis illústris óbiit septuagenárius, desinénte die últimâ Novémbris, anno sexcentésimo quinquagésimo nono, horâ primâ noctis, & Noviómi sepúltus est.

Vesperæ de sequenti.

Die II.

In Festo

SANCTI FRANCISCI XAVERII.

In Metropol. & Collegiatis

Duplex-majus.

Extra

Semiduplex-minus.

Omnia de Communi Ss. Presbyterorum p. *xxx. exceptis quæ sequuntur.*

IN I. VESPERIS

Ad Magnificat

Ant. 8. Opórtet te prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis. *Apoc.* 10.

Oratio ut infra ad Laud.

Post Vesp. *commem. S.*

Ant. Státuit *pag.*
olum. St. Pontif.
tus, *qui* pópulis
ibidem.

ATUTINUM

Metropol. fit
modo

Lectio, *Scriptu-*
mus, *è tribus fit*
nda Lectio, *pri-*
Nocturni ; *tertia*
secunda & tertia
R. è duab. fit una.

NOCTURNO

lino & aliis ejus
scriptoribus.

Lectio iv.

ncíscus Xavérius,
bilis Cántaber,
rissiis emenso phi-
stádio magisté-
um consecútus,
osóphiæ Proféſ-
deinde Baccaláu-
eológiæ cursum
ut se beáto Igná-
um adjúngeret.
ctióris vitæ genus
cœpit, non je-
odò aliisque cór-
lictatiónibus, &
m, præsértim in-
n curâ, quibus in
hiis ministrábat,
ngulári religiónis
ndæ stúdio, sum-
píscopos & Pres-
byteros obsérvántiâ; cóque in Deum fervóre caritátis, ut ejus incéndium in oratiónibus non ferens, sæpiùs exclamáret: Satis est, Dómine, satis est.

Lectio v.

PRocuránte Joánne Lusitániæ rege, à Paulo tértio Indiæ destinátus, multos passim toto Oriénte Christiános ad melíórem frugem revocávit, & innúmeros propémodùm pópulos ignorántiæ ténebris involútos ad Christi fidem addúxit: nam præter Indos, Brachmánes & Malabáres, ipse primus Parávis, Málais, Jais, Acénis, Mindánais, Malacénsibus & Japónibus, multis éditis miráculis & exantlátis labóribus, Evangélii lucem íntulit. Perlustrátâ tandem Japóniâ, ad Sinas profectúrus, in ínsula Sanciána óbiit, anno ætátis quadragésimo quinto, Christi millésimo quingentésimo quinquagésimo secúndo. Corpus ejus post menses quíndecim íntegrum & incorrúptum, Goam delátum est. Hunc, Indiárum Apóstolum toto orbe appellátum, Gregórius décimus-quintus sanctis as-

crípsit, anno millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo.

Sermo Sancti Francísci Xavérii.

Lib. 4. Epist. 15. Franc. Perae. *Lectio vj.*

PErículis, quae mihi ab amícis denuntiántur, ália oppóno, quae cæteros latent. Primum enim perículum est, ne de divína bonitáte ac providéntia diffidámus. Síquidem Dei uníus causâ huc vénimus, ut sacro-sanctam ejus legem, ejus dénique Fílium Jesum Christum, humáni géneris Salvatórem, his géntibus prædicémus; cujus rei ipse mihi cónscius est, qui hanc mihi mentem injécit Deus. Quidquòd, si Deus nostros conátus probat ac juvat, non modò ejúsdem nutu ómnibus eripiémur periculis, sed étiam Christum Dóminum audiémus admonéntem: qui perdíderit ánimam suam in hoc mundo propter me, invéniet eam. Quocircà cùm hæc ánimi perícula longè majóra córporis periculis judicémus, sátius ac tútius esse dúcimus, per vitæ discrímina perrúmpere, quàm in discrímen

addúcere ani[...] Quid multa? Q[...] liberátum est [...] Deo favénte, [...] hóstibus, pene[...] si Deus pro n[...] contra nos? ma[...] níno adímus pe[...] nihil áliud, per[...] vitútis. Verúm[...] me cogitátio c[...] sátius esse Dei [...] vitútem servíre [...] Crucis fugâ, pé[...] táte.

In III. Noctu[...] gelium & Homil. Lect. pro Sanctis[...] ris pag. *lxxviij.*

Ad Benedict[...]


Ant. 1. Non [...] cucúrri, neque i[...] laborávi. *Phili[...]*

Orati[...]

DEus, qui ad[...] pagatiónem [...] Francíscum Xa[...] réndo sacerdót[...] tio decorásti, [...] per quem pó[...] Evangélii verbu[...] mínici córporis [...] tum suscépit, ej[...] nio dignos utriú[...] tus percípiat. Pe[...] Dóminum nostr[...]

VESPERÆ d[...] ante Dom. prima[...] tùs, ut in parte I[...]

CO



COMMUNE SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

IN QUOLIBET COMMUNI

PSALMI DE FERIA in toto Officio, nisi sit Solemne-minus & suprà : tunc enim, si alii Psalmi non assignantur in proprio Sanctorum, sumuntur de Dominica etiam in I. VESPERIS & I. COMPLETOR. excepto quod in utrisque VESPERIS ultimus PSALMUS erit Psal. 116. Laudáte Dóminum, omnes Gentes *pag.* 158.

AD UTRASQUE VESPERAS

ANTIPHONÆ de Laudibus. In Semiduplicibus & suprà quinque dicuntur ANTIPHONÆ : In Simplicibus autem & intrà Octav. etiam Solemnes una tantùm dicitur, prima scilicet de Laudibus. RESPONSORIUM in I. VESPERIS non dicitur nisi in Duplicibus & suprà.

AD UTRUMQUE COMPLETORIUM

Omnia ut in Psalterio.

IN Solemnibus SINGULIS VERSIBUS additur Allelúia, allelúia, allelúia.

AD OFFICIUM MATUTINUM


In Duplicibus & suprà ad unumquodque Nocturnum tres Antiphonæ, una nempe super unumquemque Psalmum. In *Semiduplicibus ad Nocturnum novem Psalmi sub tribus Antiphonis, una nempe super tres Psalmos cum* Glória Patri *in fine cujusque Psalmi; & istæ tres* ANTIPHONÆ, VERSICULUS *&* RESPONSORIA *sumuntur secundùm Feriam; id est, Feriis Secundâ & Quintâ è I. Nocturno de Communi convenienti. Feriis Tertiâ & Sextâ è II. Nocturno: Feriâ Quartâ & Sabbato è III. Nocturno.* IN *Simplicibus ad Nocturnum novem Psalmi sub una tantùm* ANTIPHONA, *prima scilicet è I. Nocturno;* VERSICULUS *verò &* RESPONSORIA *secundùm Feriam ut suprà in Semiduplicibus.* IN *Solemnibus post unumquodque Responsorium dicitur* Glória Patri.

AD LAUDES

In Semiduplicibus & suprà quinque Antiphonæ: In Simplicibus autem & intrà Octavas etiam Solemnes, una dicitur tantùm, prima scilicet de Laudibus.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus, quartâ omissâ. RESPONSORIA BREVIA *in Solemnibus dicuntur de primo modo; in Duplicibus & intrà Octavas Solemnes de secundo modo; in Semiduplicibus autem & infra de tertio modo.*



COMMUNE APOSTOLORUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Ephes. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem Pastóres, & Doctóres, ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

Responsor. Dabo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis, & * Scient in géntibus semen eórum, & germen eórum in médio populórum.

℣. Scriptum est: Quàm speciósi pedes Evangelizántium pacem, Evangelizántium bona! * Scient. Glória. * Scient. *Is.* 61. *Rom.* 10.

HYMNUS.

CŒLÉSTIS aulæ príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bisséna mundi lúmina,
Olim futúri Júdices,

MERSIS gravi calígine
Per vos dies *renáscitur;*
Quos vanus error lúserat,
Illústrat alma véritas.

NON vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus,
Verbo sed irrísæ Crucis
Christo rebélles súbditis.

QUIBUS ge[illegible]ébat súbditus,
Rumpúntur orbis víncula:
Jam gaudet, excússo jugo,
Liber Dei sub légibus.

VULGATA terris ómnibus
Per vos Dei mystéria:
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.

¶ UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur:

℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

Ad Magníficat

Ant. 1. Dóminus locútus est: Ascéndent salvató res in montem Sion: & erit Dómino regnum. *Abdiæ.*

Oratio ut in Proprio.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Apostolórum Magístrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

Psalmus Veníte *pag. 6.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Vocávit Jesus discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

Ant. 8. Dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & misit illos prædicáre regnum Dei. *Luc.* 9.

Ant. 2. Præcípiens, dicébat eis: Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, dæmones ejícite: gratìs accepístis, gratìs date. *Matth.* 10.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terrã:

℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Ps.* 44.

Pater noster, *&c.*

℟. j. Non vos me elegístis: Sed ego elégi vos, & * Pósui vos ut eátis & fructum afferátis, & fructus vester máneat.

℣. Quod salvátum fúerit de domo Juda, fáciet fructum: Zelus Dómini exercítuum fáciet istud. * Pósui. *Joan.* 15. *Is.* 37.

℟. ij. Ite ad oves quæ periérunt domûs Israël. Eúntes autem prædicáte, dicéntes: * Quia appropinquávit regnum cœlórum.

℣. Hæc dicit Dóminus: Revertátur unusquísque à via sua mala & dirígite vias vestras & stúdia vestra. * Quia. *Matth.* 10. *Jerem.* 18.

℟. iij. Ecce dedi vobis potestátem super omnem virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis.

℣. Dabo vos in nomen & in laudem ómnibus pópulis. * Verúmtamen. Glória. † Gaudéte. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. In quamcúmque domum intravéritis, dícite: Pax huic dómui; & si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra. *Luc.* 10.

Ant. 5. Qui vos audit, me audit: Et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit

eum qui misit me. *Luc.* 10.

Ant. 6. Dabo vobis os & sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri. *Luc.* 21.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini,

℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

Pater noster, &c.

℟. *iv.* Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ.

℣. Ex ore Dómini prudéntia: & próteget gradiéntes simplíciter. * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

℟. *v.* Jam non dicam vos servos: Vos autem dixi amícos: * Quia ómnia quæcúmque audívi à Patre meo, nota feci vobis.

℣. Antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur: útique cognoscétis ea. * Quia. *Joan.* 15. *Is.* 43.

℟. *vj.* Nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis.

℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére. * Non. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. Non est discípulus super Magístrum: Si Patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quantò magis doméſticos ejus? *Matth.* 10.

Ant. 8. Tradent vos in Concíliis, & in Synagógis suis flagellábunt vos. *Matth.* 10.

Ant. 3. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 10.

℣. Multæ tribulatiónes Justórum:

℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Psal.* 33.

Pater noster, &c.

℟. *vij.* Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis: * Non est servus major Dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequéntur.

℣. Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me. * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

℟. *viij.* Tradémini à paréntibus, & cognátis

& amícis, & morte affícient ex vobis, & capíllus de cápite vestro non períbit: * In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis; ego, ego ipse consolábor vos: * In patiéntia. *Luc.* 21. *Is.* 51.

℟. *ix.* Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis: * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum.

℣. Dispósui testaméntum eléctis meis. * Et ego. Glória. * Et ego. *Luc.* 22. *Psal.* 88.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. JEsus locútus est úndecim discípulis dicens: Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra. Eúntes ergo, docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

Ant. 3. Docéte eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi. *Matth.* 28.

Ant. 1. Loquebántur verbum Dei cum fidúcia, & virtúte magna reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4.

Ant. 7. Erat manus Dómini cum eis; multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. *Act.* 11.

Ant. 3. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

Capitulum. 2. Cor. 5.

POsuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℣. Glóriam regni tui dicent:

℟. Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam. *Ps.* 144.

Ad Benedíctus

Ant. 1. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & sermónem confirmánte, sequéntibus signis. *Marc.* 16.

Oratio ut in Proprio.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* In omnem terram exívit sonus eórum. In omnem.

℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. In omnem. Glória. In omnem.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes,

℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Ps.* 18.

AD SEXTAM.

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Confitébimur tibi, Deus: Invocábimus nomen tuum. Confitébimur.

℣. Narrábimus mirabília tua. Confitébimur. Glória. Confitébimur. *Ps.* 74.

℣. In generatiónem & generatiónem

℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

PEr manus Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe.

℟. *brev.* Dóminus excélsus subjécit pópulos nobis. Dóminus.

℣. Elégit nobis hæreditátem suam. Dóminus. Glória. Dóminus. *Ps.* 46.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus:

℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 1. Vos qui secúti estis me, in regeneratióne cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos judicántes duódecim tribus Israël. *Matth.* 19.

Oratio ut in Proprio.



COMMUNE UNIUS *MARTYRIS:*

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Jac. 1.

BEátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Responsor. Benedíctus vir, qui confídit in Dómino; * Erit Dóminus fidúcia ejus. † Non timébit, cùm vénerit æstus.

℣. Hæc est grátia &

propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias pátiens injústè. * Erit. Glória. † Non. *Jerem.* 17. 1. *Petr.* 2.

HYMNUS.

FELIX morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem!

PŒNIS victa quibus defíceret fides,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.

TE pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

ET nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris éxcitat.

PATRI máxima laus, máxima Filio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donánte, corónam
Invíctus pugil óbtinet.
Amen.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur:
℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

Ad Magnificat

Ant. 5. Nemo patiátur ut homicída, aut fur, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubéscat; glorífìcet Deum in isto nómine. 1. *Petr.* 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitator. Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15.

Psalm. Venite. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Fili, sta in justítia & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. *Eccli.* 2.

Ant. 8. Confortáre, & esto robústus: Dóminus ipse erit tecum: non dimíttet, nec derelínquet te. *Deut.* 31.

Ant. 3. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis;

& non delébo nomen ejus de libro vitæ; & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. *Apoc.* 3.

℣. In die tribulatiónis éruam te,

℟. Et honorificábis me. *Psal.* 49.

℟. *j.* Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam.

℣. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuísti fidúciam, ait Dóminus. * Qui. *Marc.* 8. *Jerem.* 39.

℟. *ij.* Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. * Qui vícerit, non lædétur à morte secúnda.

℣. Usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos: * Qui. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. *iij.* Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, * Et foràs non egrediétur ámpliùs: & † Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis novæ Jerúsalem.

℣. Plantábo eum, & non turbabitur ámpliùs; nec addent filii iniquitátis, ut afflígant eum sicut priùs; * Et foràs. Glória. † Scribam. *Apoc.* 3. 2. *Reg.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13.

Ant. 7. Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honéstâ morte perfúngar. 2. *Mach.* 6.

Ant. 8. È cœlo membra ista possídeo, sed propter Dei leges hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. 2. *Mach.* 7.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam,

℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58.

℟. *iv.* Ego non solum alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu.

℣. Ego ánimam meam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et. *Act.* 21. 2. *Mach.* 7.

℟. *v.* Etsi in præsénti témpore suppliciis hóminum éripiar, manum

Omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam. * Quamóbrem fórtiter vitâ excedéndo, exémplum forte relínquam.

℣. Exístimo quòd non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam: * Quamóbrem. 2. *Mach.* 6. *Rom.* 8.

℟. *vj.* Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifésté tu scis, quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: Secúndùm ánimam verò, propter timórem tuum libénter hæc pátior.

℣. Gáudeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea: * Duros. Glória. * Duros. 2. *Mach.* 6. *Coloss.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quod vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

Ant. 5. Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum. *Psal.* 33.

Ant. 6. In fraude circumveniéntium illum ás- fuit illi; custodívit illum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum. *Sap.* 10.

℣. Tu, Dómine, adjuvísti me,

℟. Et consolátus es me. *Psal.* 85.

℟. *vij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo. * Ut. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. *viij.* A peccatóribus liberávit eum Dóminus: * Descéndit cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum.

℣. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus: * Descéndit. *Sap.* 10. *Act.* 7.

℟. *ix.* Hanc tentatiónem ídeo permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ: nam * Non est contristátus contra Deum quòd plaga ei accíderit, sed † Immóbilis in Dei timóre permánsit.

℣. Magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére

jucunditátem. * Non est. Glória. † Immóbilis. *Tob.* 2. *Hebr.* 11.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 1. JUstus quasi leo confidens, absque terróre erit. *Prov.* 28.

Ant. 3. Dóminus mecum est, quasi bellátor fortis: idcircò qui persequúntur me, cadent, & infirmi erunt. *Jerem.* 20.

Ant. 6. Magnificábitur Christus in corpóre meo sive per vitam, sive per mortem. *Philip.* 1.

Ant. 5. Gloriosíssimam mortem magìs quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6.

Ant. 1. Hoc modo vitâ decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. 2. *Mach.* 6.

Capitulum. 2. Tim. 1.

PAtior, sed non confúndor, scio enim cui crédidi; & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℣. Adjútor meus, tibi psallam.

℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58.

Ad Benedictus *Ant.* 1. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. 2. *Tim.* 4.

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur advérsis. Per.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedénte beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur. Per.

Si sit Pontifex.

Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis: da nobis in festivitáte beáti *N.* cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo. Per eúmdem.

Alia Oratio.

DEus, cujus grátia beátum *N.* Pontíficem tuum in Sacerdótium elégit, doctrína ad prædicándum erúdiit, poténtia ad perseverándum confirmávit: da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum & instrúere vivéndi exémplo, & confirmáre patiéndo. Per.

Si sit Sacerdos tantùm.

Oratio.

DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infírmitas: quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exémplo & précibus, quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* In Deo salutáre meum, & glória mea. In Deo.

℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. In Deo. Glória. In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, & sperábo in eum.

℟. Protéctor meus, & cornu salútis meæ. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Si consístant advérsùm me castra, non timébit cor meum. Si consístant.

℣. Si exúrgat advérsùm me prælium, in hoc ego sperábo. Si consístant. Glória. Si consístant. *Ps.* 26.

℣. Dóminus mihi adjútor:

℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 3.

POst tempestátem tranquíllum facis, Dómine; & post lacrymatiónem & fletum, exultatiónem infúndis. Sit nomen tuum, Deus Israël, benedíctum in sæcula.

℟. *brev.* Factus es, Dómine, suscéptor meus. Factus.

℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Factus. Glória. Factus. *Ps.* 58.

℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te.

℟. Quia exaudísti me. *Ps.* 85.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus &

Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 4. Justum non derelíquit Deus, donec afferret illi poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant; & dedit illi claritátem ætérnam. *Sap.* 10.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE PLUR. *MARTYRUM.*

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Sap. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntiũ mori, & æstimáta est afflíctio éxitus illórum; & quod à nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace.

℟. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & timémus te; ne confúndas nos: & * Erue nos in mirabílibus tuis; & da glóriam nómini tuo: & confundántur omnes qui osténdunt servis tuis mala.

℣. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis. * Erue. Glória. * Erue. *Dan.* 3. *Apoc.* 13.

HYMNUS.

CHristi Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere sæculum.

Cœléstis Pátriæ mens inhians bonis
Mundi spernit opes fluxáque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.

Non vultus métuunt carníficum truces:
Fœtas supplíciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.

O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extórquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.

Ergo nunc própior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usque viréntibus,
Victorúmque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.

Sit laus summa Patri, summáque Fílio:
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contémptâ nece Mártyres. Amen.

℣. In ætérnum exultábunt:

℟. Et habitábis in eis. *Psal.* 5.

Ad Magníficat.

Ant. 8. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte & exultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invit. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus. 2. *Tim.* 2.

Psalmus Venite *p.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 5. Convenérunt advérsùm nos, ut nos dispérdant. Quómodo potérimus subsístere, nisi tu, Deus, ádjuves nos? 1. *Mach.* 3.

Ant. 8. Qui osténdunt servis tuis mala, confundántur in omnipoténtia tua; & sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3.

Ant. 1. Dómine réspice ad nostram humilitátem, & fáciem sanctórum tuórum atténde, & osténde quóniam non derelínquis præsuméntes de te. *Judith.* 6.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne:

℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

℟. *j.* Nos stulti propter Christum: maledícimur, & benedícimus: * Persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur, & obsecrámus.

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. * Persecutiónem. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43.

℟. *ij.* Quis nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an persecútio? an gládius? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei.

℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec obliti sumus te, Dómine. * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. *iij.* Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicùm

passos ipse perficiet: ipsi glória & impérium † In sæcula sæculórum.

℣. Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit: * Módicùm. Glória. † In sæcula. 1. *Petr.* 5. 2. *Mach.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. In mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. 2. *Cor.* 4.

Ant. 2. Paráti sumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prevaricári. 2. *Mach* 7.

Ant. 6. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem:

℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos. *Ps.* 59.

℟. *iv.* Absit à nobis, ut relinquámus Dóminum, & serviámus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, & obediéntes érimus præcéptis ejus.

℣. Etsi sunt qui dicántur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis tamen unus Deus. * Dómino Deo. *Jos.* 24. 1. *Cor.* 8.

℟. *v.* Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. * Pótius est ab hominibus morti datos spem expectáre à Deo, íterum ab ipso resuscitándos.

℣. Sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita & per Christum abúndat consolátio nostra. * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

℟. *vj.* Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus. * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus.

℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles, * In. Glória. * In. 2. *Cor.* 6. *Judith.* 8.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte; ut confléntur, & dealbéntur usque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11.

Ant. 4. Distenti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. *Hebr.* 11.

Ant. 8. Ecce quómodo

computáti sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illórum est! *Sap.* 5.

℣. Salus justórum à Dómino.

℟. Et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

℟. *vij.* Ludíbria & vérbera expérti, ínsuper & víncula & cárceres, * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt.

℣. Tradidérunt córpora sua, ne servírent, & ne adorárent omnem Deum, excépto Deo suo. * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. *viij.* Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: *Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis.

℣. Módico dolóre sustentáto, sub testaménto ætérnæ vitæ effécti sunt: * Proptérea. *Apoc.* 12. 2. *Mach.* 7.

℟. *ix.* Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excélsi; * Et † Regnum obtinuérunt sancti.

℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adépti su[nt] repromissiónes; * E[t] Glória. † Regnum. D[an.] 7. *Hebr.* 11.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. Vobis doná[tum] est pro Chri[sto] non solùm ut in eum c[re]dátis, sed ut étiam pro il[lo] patiámini. *Philipp.* 1.

Ant. 1. Magnum cert[a]men sustinuístis passiónu[m] oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum fa[cti] *Hebr.* 10.

Ant. 7. Tanquam au[rum] in fornáce probávi[t] illos, & quasi holocáu[sti] hóstiam accépit illos, & in témpore erit respéctu[s] illórum. *Sap.* 3.

Ant. 1. Si coram ho[]mínibus torménta pa[ssi] sunt, spes illórum immo[r]talitáte plena est. *Sap.* [3.]

Ant. 7. Lætabúntur co[]ram te, Dómine, sic[ut] qui lætántur in messe, [si]cut exúltant victóres, ca[p]tâ prædâ. *Is.* 9.

Capitulum. 2. Cor. 4

Quod in præsénti [est] momentáneum levè tribulatiónis nostr[æ] supra modum in sublim[i]táte ætérnum glóriæ po[n]dus operátur in nobi[s]

contemplántibus no-
uæ vidéntur, sed quæ
vidéntur. Quæ enim
ntur, temporália sunt:
autem non vidéntur,
na sunt.
. In te, Dómine,
ıvérunt;
. Et liberásti eos. *Ps.*

d Benedíctus
nt. 1. Beáti qui per-
iónē patiúntur prop-
ustítiam: quóniam ip-
n est regnum cœló-
Matth. 5.
Oratio.
Eus, invisíbilis for-
titúdo certántium,
o, quæsumus, nobis
icántibus, ut qui
ŕrnâ die sanctórum
yrum tuórum *N.* &
loriósum triúmphum
imus, eórum méritis
écibus contra spiri-
nequítiæ muniámur.
Dóminum.
Alia Oratio.
Mnípotens, sempi-
térne Deus, qui in
órum tuórum córdi-
lammam tuæ dilec-
accéndis: da mén-
nostris eámdem fi-
aritatísque virtútem;
ártyris tui *N.* & so-
m, quorum gaudé-
ictóriis, proficiámus
exémplis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum ut suprà in primis Vesperis.

℟. *br.* Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum. Custódit.
℣. De manu peccatóris liberábit. Custódit. Glória. Custódit. *Ps.* 96.
℣. Dóminus loquétur pacem in plebem suam;
℟. Et super sanctos suos. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

Capitulum ut suprà in Laudibus.

℟. *br.* Probásti nos, Deus, & eduxísti nos in refrigérium. Probásti.
℣. Igne nos examinásti sicut examinátur argéntum. Probásti. Glória. Probásti.
℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti,
℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22.

BEáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni: ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem.
℟. *brev.* Qui séminant

in lácrymis, in exultatióne metent. Qui.

℣. Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua. Qui. Glória. Qui.

℣. Veniéntes vénient cum exultatióne,

℟. Portántes manípulos suos. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 8. Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiéscerent, donec compleántur consérvi eórum, qui interficiéndi sunt sicut & illi. *Apoc.* 6.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE

CONFESS. CHRISTI.

[*Qui scilicet coram tyrannis passus, in pace tamen obiit.*]

Omnia de Communi secundùm dignitatem Sancti, exceptis quæ sequuntur:

IN I. VESPERIS.

HYMNUS.

ECQUIS magnánimus se pugil éxhibet?

Fit verbum
clypeus
Athletámque
parat árm
Ad certámin

REGES ante
pávidus ve
Testatúrque
métuens m
Vires, verba,
vidus hósti
Præsens
Deus.

QUID vos, bárb
víncula, pé
Intentáre juv
gládios? vi
Nil torménta
fronte ferú
Ridet carnífic

OSTÉNTAT lí
pore vúlne
Pulchræ part
stémmata
Aptatúrque
labóribus
Merces láure

PATRI máxi
máxima Fi
Sit par, San
laus quoq
tus,
Fac mentes
mine véri
Urat péctora
Amen.

℣. Dóminus
jútor;

℟. Et ego

inimícos meos. *Psal.* 117.

Ad Magnificat

Ant. 8. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. *Matth.* 10.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invitator. Christum, qui dat vincénti manna abscónditum; * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2.

Psalmus Veníte *pag.* 6.

AD LAUDES.

℣. Præcinxísti me virtúte ad bellum:

℟. Et supplantásti insurgéntes in me subtùs me. *Ps.* 17.

Ad Benedíctus

Ant. 1. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne, & in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51.

Oratio.

DEus, pro cujus nómine beátus *N.* Conféssor tuus (& Póntifex) passiónes invíctâ fide sustínuit; da nobis ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc sæculo, quàm temporális peccáti habere jucunditátem. Per.

AD II. VESPERAS.

Hymnus & Versus ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Apprehénde vitam ætérnam in qua vocátus es, conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Tim.* 6.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE SANCT. PONTIFICUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Hebr. 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo tanquam Aáron.

℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixísti: Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei.

℣. Huic Deus testimó-

nium pérhibens, dixit: Invéni virum secúndùm cor meum: * Oleo. Glória. † Manus. *Ps.* 88. *Act.* 13.

HYMNUS.

Pro uno Pontifice.

CHriste Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam venerá- ta lucem
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

ILLE non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

STRÉNUUM bello púgilem supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

FIT gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impéndit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

PRO reis orat, réficit geméntes,
Erígit lapsos, tenebrásque pellit,

Fit potens v[...]
cet alta, [...]
Cónterit ho[...]

FAC ut illi[...]
juvémur,
Christe; fa[...]
paritérque
Spíritum [...]
mus hym[...]
Omne per
Amen.

HYMN[...]

Pro pluribus P[...]

O Qui pro g[...]
ánima[...]
Alto consílio [...]
próvidos
Charo poni[...]
Quos tu, C[...]
cas duces

HI justo póp[...]
regunt;
Hi de fonte b[...]
sítiunt De[...]
Et de númi[...]
Implent n[...]
númine.

HI dum cord[...]
gibus ímb[...]
Discússis ténel[...]
dei decu[...]
Sese pandi[...]
Toto lúmi[...]

FACTI forma
páriunt I[...]
Quæ sermón[...]
móribus
Cum man[...]
urget;

Cum damnant, amor árguit.

USQUAM lenta tenent ótia désides:

Noctes atque dies invígilant agro,

Subrépens inimícus

Ne zizánia séminet.

UAS erráre vident à grege dévias,

utè sollíciti per juga móntium,

Per desérta requírunt,

Et portant húmeris oves.

AUS, qui Pontífices constítuit, Patri:

ftórum cápiti laus quoque Fílio:

Qui pinguédine mentes

Ungis, laus tibi, Spíritus.

Amen.

℣. Beátus quem electi & assumpsísti.

℟. Inhabitábit in átriis is. *Ps.* 64.

Ad Magnificat

Ant. 4. Elégit ipsum óminus ab omni vivénte férre sacrifícium Deo, cénsum & bonum odóm pro pópulo suo. *Eccl.* ;.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Pastórum príncipem,* Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. Vocávit eum Dóminus, & ait: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas pópulum meum. *Exod.* 3.

Ant. 1. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam & edúcam fílios Israël? Qui dixit ei: Ego ero tecum. *Exod.* 3.

Ant. 8. Perge ígitur & ego ero in ore tuo: tu autem eris in his quæ ad Deũ pértinent. *Exod.* 4.

℣. Pósui adjutórium in poténte.

℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Ps.* 88.

℟. *j.* Rectórem te posuérunt? noli extólli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe.

℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium minister: * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

℟. *ij.* Speculatórem dedi te dómui Israël: * Audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me.

℣. In mente habe quáliter accéperis, & audiéris, & serva: * Audiens. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. *iij.* Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocáustum, & † Deprecáre pro te & pro pópulo.

℣. Debet Póntifex quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre pro peccátis: * Offer. Glória. † Deprecáre. *Levit.* 9. *Hebr.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. In lege Dómini congregatiónem judicávit, & in fide sua probátus est prophéta; & cógnitus est in verbis suis fidélis *Eccli.* 46.

Ant. 3. Dedit illis legem, ne oblivisceréntur præcépta Dómini, & ut non exerrárent méntibus; & hortabátur ne legem amovérent à corde suo. 2. *Mach.* 2.

Ant. 8. Invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne Agni invioláti. *Eccli.* 46.

℣. Invocábant Dóminum sacerdótes ejus;

℟. Ipse exaudiébat eos, & loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

℟. *iv.* Hic viam Dómin vens spíritu l quæ sunt Je

℣. Unxi sancto, & d minus in p potestátem c testimónia, lucem dare fervens. *Act.*

℟. *v.* Fac mis infirmu ómnia factus nes fácerem omnia fácio pr gélium, ut p efficiar.

℣. Zelátus proptérea bo bo possessióne 1. *Cor.* 9. E

℟. *vj.* Obtul Dómino: & ad Dóminum exaudívit eum

℣. Plúrim óbtulit Deo testimónium est esse justus perhibénte m Deo. * Clam * Clamávit. *Hebr.* 11.

IN III. NOC

Ant. 4. In dedit confess to & Excél glóriæ. *Eccli.*

Ant. 7. Erogávit pecúnias multas: justítiam & em conservávit genti ; & exquisívit omni modo exaltáre pópulum sum. 1. Mach. 14.

Ant. 1. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Eccli. 39.

℣. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. Ps. 111.

℟. vij. Quis est fidélis servus & prudens, quem constítuit Dñs suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem.

℣. A Dómino suo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum. * Beátus. Matth. 24. Genes. 39.

℟. viij. Iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et multos convértit ab iniquitáte.

℣. Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu Sancto. * Et multos. Malach. 2. Act. 11.

℟. ix. Euge, serve bone & fidélis; quia super pauca fuísti fidélis super multa te constítuam: * Intra in gáudiũ Dómini tui.

℣. Super pópulum meũ constítui te: sapiéntia & sciéntia data sunt tibi; & glóriam dabo tibi. * Intra. Glória. Intra. Matth. 25. 2. Paral. 1.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 7. Sacérdos magnus in vita sua suffúlsit domum, & in diébus suis corroborávit templum. Eccli. 50.

Ant. 2. Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne. Eccli. 50.

Ant. 5. Invéntus est perféctus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Eccli. 44.

Ant. 8. Zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. 1. Machab. 2.

Ant. 5. Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël: hic est qui multùm orat pro pópulo. 2. Mach. 15.

Capitulum. 1. Petr. 5.

Páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coáctè, sed spontánеè secúndũ Deum;

neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominántes in Cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

℣. Elégit Dóminus servum suum

℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

Ad Benedictus

Ant. 1. Ego sum óstium: per me si quis introíerit, salvábitur, & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet. *Joan.* 10.

Pro uno Pontifice.

Oratio.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónsulis, & amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis minístros: da, quæsumus, intercedénte beáto *N.* Pontífice, Spíritum sapiéntiæ, quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna Pastórum. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, fidélium lumen & Pastor animárum, qui beátum *N.* Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret & informáret exémplo: da nobis ejus intercessióne & fidem serváre quam dócuit, & viam sequi quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

Pro pluribus Pontificibus:

Oratio.

Misericórdiam tuam nobis quæsumus, Dómine, Sanctórum *NN.* Pontíficum, intercéssio beáta concíliet, ut qui incessábili culpâ offéndimus, eórum assíduis précibus ab omni reátu liberémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus qui nos concédis Sanctórum Præsulum mérita venerári; da nobis in ætérna lætitia de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum ut suprà in primis Vesperis.

℟. *brev.* Deus protéctor meus; in ipso sperávi. Deus.

℣. Qui subdit pópulum meum sub me. Deus. Glória. Deus. *Ps.* 143.

℣. Nisi Dóminus custodíerit civitátem:

℟. Frustrà vígilat qui custódit eam. *Ps.* 126.

AD SEXTAM.

Capitulum ut in *Laudibus.*

℟. *brev.* Dedúxit eos in viam rectam. Dedúxit.

℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. Dedúxit. Glória. Dedúxit. *Ps.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum,

℟. Et dedúxit eos in spe. *Ps.* 77.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20.

Atténdite vobis & univérso gregi in quo vos Spíritus Sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *brev.* Pavit eos in innocéntia cordis sui. Pavit.

℣. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Pavit. Glória. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus & oves páscuæ tuæ.

℟. Confitébimur tibi in sæculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Státuit ei Dóminus testaméntum ætérnum; dedit illi sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE
SS. DOCTORUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Eccli. 37.

Vir sápiens plebem suam érudit, & fructus sensûs illíus fidéles sunt. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, & vidéntes illum laudábunt. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum.

℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profúnda & abscóndita, & † Lux cum eo est.

℣. Spíritus ómnia scrutátur étiam profúnda Dei. * Ipse. Glória. † Lux *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

HYMNUS.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, Vicários
Doctóres, Pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!

Hi semper vígilant, ne quid adúlterum

Corrúmpat fidei virgíneum decus :
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.

INFAMES ábolent relliquias deûm :
Errores ábigunt : crímina dédocent :
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

PATRUM canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides :
Quæ sunt prisca, docent : quæ nova, súbruunt :
Servant depósitum Dei.

SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine,
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93.

Ad Magnificat

Ant. 7. Beátus qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor : protegétur sub tégmine illíus à fervóre, & in glória ejus requiéscet. Eccli. 14.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invitat. Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. Sapiéntia non est multis manifésta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspéctum Dei. *Eccli.* 6.

Ant. 4. Os prudéntis quæritur in Ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus suis. *Eccli.* 21.

Ant. 5. Sciéntia sapiéntis tanquam inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam,
℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

℟. *j.* In médio Ecclésiæ apériet Dóminus os ejus, * Et adimplébit illum Spíritu sapiéntiæ & intelléctûs.
℣. Si quis índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo qui dat ómnibus affluénter & non impróperat. * Et adimplébit. *Eccli.* 15. *Jac.* 1.

℟. *ij.* Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapién-

tiæ suæ : * Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur.

℣. Multos filiórum Israël convértet ad Dóminum Deum ipsórũ. * Ipse *Eccli.* 39. *Luc.* 1.

℟. iij. Omnis scriba doctus in regno cælórum * Símilis est hómini patrifamílias qui † Profert de thesáuro suo nova & vétera.

℣. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, & indóctos quosque erúdiet. * Símilis. Glória. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te ut evéllas & déstruas, & dispérdas & ædífices, & plantes. *Jerem.* 1.

Ant. 8. Ne retíneas verbum in témpore salútis : in lingua enim sapiéntia dignóscitur ; & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti. *Eccli.* 4.

Ant. 2. Depósitum custódi, devitans profánas vocum novitátes & oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. 1. *Tim.* 6.

℣. *Deus, docuísti me* à juventúte mea :

℟. Pronuntiábo mirabília tua. *Psalm.* 70.

℟. *iv.* Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè. * Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus cónterens petram ?

℣. Si quis volúerit voluntátem fácere ejus qui misit me, cognóscet de doctrína, utrùm ex Deo sit. * Numquid. *Jerem.* 23. *Joan.* 7.

℟. *v.* Confortáre in grátia quæ est in Christo Jesu, & * Quæ audísti, hæc comménda fidélibus homínibus qui idónei erunt & álios docére.

℣. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quasi flumen sapiéntiâ. * Quæ audísti. 2. *Tim.* 2. *Eccli.* 47.

℟. *vj.* Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem : * Et bellábunt advérsùm te, & † Non prævalébunt, quia ego tecum sum.

℣. Exúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se : * Et bellábunt. Glória Patri. † Non. *Jerem.* 15. *Act.* 20.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum, sciens quóniam mecum communicábit de bonis. *Sap.* 8.

Ant. 7. Quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea, & effióruit tanquam præcox uva. *Eccli.* 51.

Ant. 1. Invénti sunt sermónes tui, Dómine, & comédi eos: & factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine,

℟. Et custódiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

℟. *vij.* Super salútem & spéciem diléxi sapiéntiam: * Et propósui pro luce habére illam: venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa.

℣. Quæ desúrsum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdiâ & frúctibus bonis. * Et propósui. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. *viij.* Optávi, & datus est mihi sensus: & invocávi, & venit in me Spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

℣. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. * Et divítias. *Sap.* 7. *Philip.* 3.

℟. *ix.* Sapiéntia bonórum ómnium mater est, quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico: infinítus enim thesáurus est, * Quo qui usi sunt, † Partícipes facti sunt amicítiæ Dei.

℣. Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bonum. * Quo qui usi sunt. Glória. † Partícipes. *Sap.* 8. *Luc.* 7.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 1. Fuit gratus Deo, & erudítus omni sapiéntiâ, & erat potens in verbis & in opéribus suis. *Act.* 7.

Ant. 5. Juxta manum Dei sui bonam super se parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret. 1. *Esdr.* 7.

Ant. 8. Postquàm se ampliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, vóluit & ipse

scríbere quæ ad doctrínam & sapiéntiam pertinent. *Prolog. Eccli.* 10.

Ant. 3. Cúm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & conscrípsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

Ant. 7. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in sæculum non delébitur. *Eccli.* 39.

Capitulum. Sap. 7.

MIhi dedit Deus dícere ex senténtia & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntiæ dux est & sapiéntium emendátor: in manu enim illíus, & nos & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia & disciplína..

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésia magna;

℟. Ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti. *Psalm.* 39.

Ad Benedíctus

Ant. 1. Sapiéntia & fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confíteor, teque laudo: quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi. *Dan.* 2.

Oratio.

OMnípotens ætérne Deus, qui Ecclésiæ tuæ fílios, sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre: da fidélibus tuis intercessióne beáti *N.* quē eis ætérnæ salútis minístrum tribuísti, ut, te miseránte, sciéntiam recta faciéndi, & virtútem cápiant exequéndi. Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum quo Beátus *N.* servívit, ut eódem nos replénte, studeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit. Per.... in unitáte ejúsdem.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam. Da mihi.

℣. Státue servo tuo elóquium tuum, Dómine. Da mihi. Glória. Da mihi. *Psalm.* 118.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam;

℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

AD SEXTAM.

Capitul. ut in Laudibus.

℟. *brev.* Viam veritátis elégi, judícia tua non sum oblítus. Viam.

℣. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine. Viam. Glória. Viam.

℣. A judíciis tuis non declinávi;

℟. Quia tu legem posuísti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. 3.

BEátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ: mélior est acquisítio ejus negociatióne argénti, & auri primi & puríssimi fructûs ejus: pretiósior est cunctis ópibus; & ómnia quæ desiderántur, huic non valent comparári.

℟. *brev.* Veritátem tuã & salutáre tuum dixi. Veritátem.

℣. Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam. Veritátem. Glória. Veritátem. *Psalm.* 39.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui:

℟. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Psalm.* 118.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 6. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti: & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE

SANCTORUM

PRESBYTERORUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. 2. Paral. 31.

OPerátus est bonum & rectum & verũ coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra domûs Dómini juxta legem & cæremónias, volens requírere Deum suum in toto corde suo: fecítque & prosperátus est.

℟. Dedit illi Dóminus Sacerdótium, *Complévit manus ejus, & unxit illum óleo sancto. † Factum est illi in testaméntum, fungi Sacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum suum in nómine ejus.

℣. Ex homínibus assúmptus pro homínibus consti-

tüitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrificia. * Complévit. Glória. † Factum. *Eccli.* 45. *Hebr.* 5.

HYMNUS.

JAM satis fluxit cruor hostiárum.
Prístinæ cessent holocáusta legis.
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra minístri.

PINGUE libámen novus & Sacérdos,
Orbe jam toto Deus immolátur:
Se lubens aris litat incruénto
Fúnere Christus.

TALE nil príscis Pátribus tribútum:
Angelis nusquam data par potéstas.
Per Sacerdótes Deus ipse jugem
Se dat in escam.

FAC, Sacerdótes tua sacra tractent
Péctore íntegro manibúsque puris,
Christe, fac ardor sacer ut minístros
Applicet aris.

LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam,
℟. Et Sancti tui exúltent. *Psalm.* 131.

Ad Magnificat

Ant. 6. De Sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, & incéndat sacrifícium. *Jerem.* 33.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invitat. Sacerdótem in ætérnum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5.

Psalmus Venite *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. Designávit Dóminus septuaginta duos, & misit illos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum quò erat ipse ventúrus. *Luc.* 10.

Ant. 2. Accépit Jesus panem, & grátias agens fregit & dixit: Accípite & manducáte: Hoc est corpus meum. Simíliter & cálicem, dicens: Hic calix novum testaméntum est in sánguine meo: Hoc fácite in meam commemoratiónem. 1. *Cor.* 11.

Ant. 8. Inſufflávit & dixit eis : Accípite Spíritum Sanctum : quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis ; & quorum retinuéritis, reténta ſunt. *Joan.* 20.

℣. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino.

℟. Laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3.

℟. *j.* Vos genus eléctum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis : * Ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum.

℣. Si cuſtodiéritis pactum meum, ait Dóminus, éritis mihi in pecúlium, & in regnum ſacerdotále, & gens ſancta. * Ut virtútes. 1. *Petr.* 2. *Exod.* 19.

℟. *ij.* Impléſtis manus veſtras Dómino : * Accédite, & offérte víctimas & laudes in domo Dómini.

℣. Superædificámini domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo per Jeſum Chriſtum. * Accédite. 2. *Paral.* 29. 1. *Petr.* 2.

℟. *iij.* Vidéte quid faciátis : * Non enim hóminis exercétis judícium, ſed Dómini : & quodcúmque judicavéritis, in vos redundábit.

℣. Nolíte judicáre ſecúndùm fáciem, ſed juſtum judícium judicáte. * Non enim. Glória.* Non enim. 2. *Par.* 19. *Joan.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. Sanctificámini & eſtóte ſancti : cuſtodíte præcépta mea, & fácite ea. : Ego Dóminus qui ſanctífico vos. *Levit.* 20.

Ant. 1. Ambulétis dignè Deo per ómnia placéntes, in omni ópere bono fructificántes, in ſciéntia Dei. *Coloſſ.* 1.

Ant. 3. Erit hoc vobis legítimum ſempitérnum, ut orétis pro filiis Iſraël & pro cunctis peccátis eórum. *Levit.* 16.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo?

℟. Qui ingréditur ſine mácula, *Pſ.* 14.

℟. *iv.* Secúndùm eum qui vocávit vos, ſanctum * Et ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis : quóniam ſcriptum eſt : Sancti éritis, quia ego ſanctus ſum.

℣. Ego ſum Dóminus Deus veſter : ſancti eſtó-

te, quia ego sanctus sum. * Et ipsi. 1. *Petr.* 1. *Levit.* 11.

℟. v. Vos estis lux mundi. * Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum qui in cœlis est.

℣. Justórum sémita quasi lux splendens, procédit & crescit usque ad perféctum diem. * Sic lúceat. *Matth.* 5. *Prov.* 4.

℟. vj. Ministráte in sanctuário, & * Sanctificáti immoláte: Fratres étiam vestros, ut possint juxta verbum quæ locútus est Dóminus fácere, præparáte.

℣. Dignè Evangélio Christi conversámini, collaborántes fídei Evangélii. * Sanctificáti. Glória. * Sanctificáti. 2. *Par.* 35. *Philip.* 18.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. *Levit.* 21.

Ant. 2. Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conspéctu omnis pópuli glorificábor. *Levit.* 10.

Ant. 8. Ingrédere tu: te enim vidi justum coram me in generatióne hac. *Genes.* 7.

℣. Qui statis in domo Dómini,

℟. Extóllite manus vestras in sancta & benedícite Dóminum. *Psal.* 133.

℟. vij. Ubicúmque quæstio est de lege, de mandáto, de cæremóniis, de justificátiónibus, * Osténdite frátribus vestris, ut non peccent in Dóminũ, & ne véniat ira super vos, & super fratres vestros: Sic agéntes non peccábitis.

℣. Unusquísque sicut accépit grátiam, in altertrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Christi. * Osténdite. 2. *Par.* 19. 1. *Petr.* 4.

℟. viij. Quóniam vos estis Presbyteri in pópulo Dei, & ex vobis pendet ánima illórum, * Ad elóquium vestrum corda eórum erígite.

℣. Corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes. * Ad elóquium. *Judith.* 8. 1. *Thess.* 5.

℟. *ix.* Beáti servi illi quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes: * Præcínget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit illis.

℣. Accípient regnum decóris & diadéma speciéi de manu Dómini. * Præcínget se. Glória. * Præcínget se. *Luc* 12. *Sap.* 5.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 3. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet. 1. *Reg.* 2.

Ant. 1. Ipsum elégit Dóminus offérre sacrifícium Deo, in memóriam placáre pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

Ant. 7. Obtulit holocáusta & pacífica, & invocávit Dóminum, & exaudívit eum de cœlo. 1. *Par.* 21.

Ant. 5. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47.

Ant. 4. Fuit Dóminus cum eo, & gubernábat créditam sibi domum, & univérsa quæ ei trádita fúerant. *Gen.* 39.

Capitulum. 1. Tim. 1.

Grátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℣. Exáudiet de cœlo sancto suo:

℟. In poténtátibus salus déxteræ ejus. *Psalm.* 19.

Ad Benedictus

Ant. 1. Ubi sum ego & miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. *Joan.* 12.

Oratio.

Domine, Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut sacerdótio tibi fungerétur, à pópulo segregásti, ejus nos intercessióne à peccatóribus ségrega, ut secúndùm vocatiónem nostram gens sancta & regále sacerdótium efficiámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, qui in Ecclésiæ tuæ decus & subsídium, beátum *N.* veréndo sacerdótii ministério decorasti; præsta ut per quem pópulus tuus Evangélii verbum, & Domini-

ci Córporis sacraméntum suscépit, ejus patrocínio dignos utriúsque fructus percípiat. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Dómine, diléxi decórem domûs tuæ. Dómine.

℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Dómine. Glória. Dómine. *Ps.* 25.

℣. Ego in innocéntia mea ingréssus sum.

℟. Rédime me & miserére mei. *Psalm.* 25.

AD SEXTAM.

Capitulum ut suprà in Laudibus.

℟. *brev.* Quid retríbuam Dómino: pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Quid.

℣. Cálicem salutáris accípiam & nomen Dómini invocábo. Quid. Glória. Quid. *Psal* 115.

℣. Vota mea Dómino reddam

℟. Coram omni pópulo ejus. *Psalm.* 115.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Tim. 5.

Qui bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeántur, máximè qui labórant in verbo & doctrína.

℟. *brev.* Hic accipiet benedictiónem à Dómino. Hic.

℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. Hic. Glória. Hic. *Psam.* 23.

℣. Exáltent eum in Ecclésia plebis;

℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Ps.* 106.


AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Induit eum Deus stólam glóriæ & coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE

SS. ABBATUM,

MONACHORUM,

CŒNOBITARUM

&

ANACHORETARUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Ezech. 34.

Qui hábitant in desérto, secúri dórmient in saltibus

bus, & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem.

℟. Fúgite de médio Babylónis, & salvet unusquísque ánimam suam; * Quóniam tempus ultiónis est à Dómino.

℣. Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

HYMNUS.

Felices némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio sæcli
Mores læderet íntegros.

Ut te possídeant quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.

Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus
Ad luctam púgiles ócius ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudéntes onus éxuunt.

Ætérnas ut opes, certáque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.

Illis summa fuit glória déspici;
Illis divítiæ paupériem pati;
Illis summa volúptas,
Longo supplício mori.

Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pænam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quærere.

Ætérnus sit honos ingénito Patri:
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ,

℟. A conturbatióne hóminum. *Ps.* 30.

Ad Magníficat

Ant. 8. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opuléntà. *Is.* 32

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invit. Remuneratórem inquiréntibus se, Deum, * Veníte, adorémus. *Heb.*

rporis sacraméntum
it, ejus patrocínio
s utriúsque fructus
piat. Per Dóminum.

) TERTIAM.

pitulum ut in primis ris.

brev. Dómine, di-
ecórem domûs tuæ.
ne.
Et locum habitatió-
óriæ tuæ. Dómine.
a. Dómine. *Ps.* 25.
Ego in innocéntia
ngréssus sum.
Rédime me & mise-
nei. *Psalm.* 25.

) SEXTAM.

pitulum ut suprà in bus.

brev. Quid retrí-
Dómino: pro óm-
quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris ac-
n & nomen Dómini
ábo. Quid. Glória.
Psal 115.
Vota mea Dómino
m
Coram omni pópu-
s. *Psalm.* 115.

) NONAM.

tulum. 1. Tim. 5.
Si bene præsunt Pres-
yteri, dúplici honó-
ni habeántur, máxi-
mè qui labórant in verbo & doctrína.

℟. *brev.* Hic accipiet benedictiónem à Dómino. Hic.

℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. Hic. Glória. Hic. *Psam.* 23.

℣. Exáltent eum in Ecclésia plebis;

℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Ps.* 106.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Induit eum Deus stólam glóriæ & coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE
SS. ABBATUM,
MONACHORUM,
CŒNOBITARUM
&
ANACHORETARUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Ezech. 34.

Qui hábitant in desérto, secúri dórmient in sálti-

℣. Omne quod est in mundo concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ. * Mansi in solitúdine. *Ps.* 54. 1. *Joan.* 2.

℞. v. Propter Christum * Omnia detriméntum feci & árbitror ut stércora ut Christum lucrifáciam, & invéniar in illo; ad cognoscéndum illum, & societátem passiónum illíus configurátus morti ejus.

℣. Elégi abjéctus esse in domo Dei mei magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Omnia *Philip.* 3. *Ps.* 83.

℞. vj. Omnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: * Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi äërë vérberans: sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo.

℣. A juventúte mea investigábā sapiéntiam: colluctáta est ánima mea in illa, & in faciéndo eam confirmátus sum. * Ego. Glória. * Ego. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. Sapiéntia dedúxit illos in via mirábili, & fuit illis in velaménto diéi, & in luce stellárum per noctem. *Sap.* 10.

Ant. 4. Omnes erant persevérantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 5. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. *Act.* 2.

℣. Perdúxit eos Deus tanquam gregem in desérto,

℞. Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ. *Psal.* 77.

℞. vij. Sapiéntia diréxit ópera eórum: * Iter fecérunt per desérta quæ non habitabántur; & in locis desértis fixérunt casas.

℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, & in cavérnis terræ. * Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℞. viij. A mínimo usque ad máximum eórum * Plorábant & jejunábant, & orábant in conspéctu Dómini.

℣. Confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terram. * Plorábant. *Baruch* 1. *Hebr.* 11.

℞. ix. Multitúdinis erat cor unum, & ánima un-

nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum habitáre fratres in unum! * Erant. Glória. * Erant *Act.* 4. *Ps.* 132. Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. DEus dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & tunc éxiit. *Act.* 7.

Ant. 6. Flétibus & lúctui apta induménta suscépit, cínere implévit caput, & corpus suum humiliávit jejúniis. *Esth.* 14.

Ant. 5. Nocte & ante lucem egrediebátur ad oratiónem, & deprecabátur Dóminum. *Judith.* 12.

Ant. 2. In loco solitúdinis Dóminus dócuit eum, & custodívit quasi pupíllam óculi sui. *Deut.* 32.

Ant. 1. Immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Capitulum. Isaïæ 26.

NOmen tuum & memoriále tuum, Dómine, in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

℣. Clamávi ad te, Dómine; dixi: tu es spes mea;

℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Ad Benedictus

Ant. 7. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos; & frátribus suis: Ignóro vos. *Deut.* 33.

Si sit Abbas.

Oratio.

DEus, cujus múnere beátus *N.* Abbas Christũ páuperem sequi; & húmilem corde usque in finem persevarávit imitári, da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut nec retrò aspíciant, nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam apprehéndant. Per eúmdem.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis N. intercessiónibus sublevári, ut per quem servis tuis perfectiónis Evangélicæ documénta donásti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impéndas. Per Dóminum.

Si non sit Abbas.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis, da nobis exémplo & intercessióne beáti *N.* cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despícere, & ad ætérna totâ mentis intentióne festináre. Per.

Alia Oratio.

QUæréntium te, Dómine, Salvátor & custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre sæculo & sub alas tuas confúgere tribuísti: ejus intercessióne da pópulo tuo diabólica vitáre contágia & te solum Dóminũ purâ mente sectári. Qui vivis.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Extráneus factus sum frátribus meis. Extráneus.

℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. Extráneus. Glória. Extráneus. *Ps.* 98.

℣. Símilis factus sum pellicáno solitúdinis,

℟. Factus sum sicut passer solitárius in tecto. *Ps.* 101.

AD SEXTAM.

Capitulum ut suprà in Laudibus.

℟. *brev.* Sépties in die laudem dixi tibi. Sépties.

℣. Super judícia justítiæ tuæ. Sépties. Glória. Sépties.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ.

℣. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 12.

OMnis disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii sed mœróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *brev.* Cùm mihi moléfti essent, induébar cilício. Cùm mihi.

℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. Cùm mihi. Glória. Cùm mihi. *Ps.* 34.

℣. Cogitávi dies antíquos,

℟. Et annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76.


AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 3. Scimus quóniam i terréstris domus nostra dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus ætérnam in cœlis. 2. *Cor.* 4.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE JUSTORUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. Eccli. 2.

Qui timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabúntur corda vestra.

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; & *Qui díligunt illum, conservábunt viam illíus.

℣. Plenitúdo legis est diléctio. * Qui. Glória. * Qui. *Eccli.* 2. *Rom.* 13.

HYMNUS.

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta quæ suos
Habent triúmphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ,
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides:
Amor supérnis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apértis ómnibus
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gáudia.

¶ Ætérne tu verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus:

℟. Et non respéxit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

Christi, verè in hoc cáritas Dei perfécta est. * Conservávit. *Eccli.* 44. 1. *Joan.* 2.

℟. *viij.* Sapiéntia justum dedúxit per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & * Dedit illi sciéntiam sanctórum: Honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus.

℣. Regnum Dei justítia est, & pax in Spíritu Sancto: qui in hoc servit Christo, placet Deo. * Dedit. *Sap.* 10. *Rom.* 14.

℟. *ix.* Probátus & perféctus est; pótuit tránsgredi & non est tránsgressus, fácere mala & non fecit: * Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & † Eleemósinas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

℣. Erat vir religiósus ac timens Deum, fáciens eleemósynas multas plebi, & déprecans Deum semper. * Ideò. Glória. † Eleemósynas. *Eccli.* 31. *Act.* 10. Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 4. ERat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum & recédens à malo. *Job.* 1.

Ant. 1. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

Ant. 3. Non prætériit de univérsis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Jos.* 11.

Ant. 4. Timénti Dóminum benè erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1.

Ant. 7. Diléctus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est; símilem illum fecit Dóminus in glória sanctórum. *Eccli.* 45.

Capitulum. 3. Reg. 3.

AMbulávit servus tuus in conspéctu tuo in veritáte & justítia, & recto corde tecum: custodísti ei, Dómine, misericórdiam tuam grandem.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo:

℟. Satiábor, cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Benedictus

Ant. 4. Propter Christum ómnia detriméntum feci ad cognoscéndum illum, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis. *Philip.* 3.

Oratio.

FAc, quæsumus, Dómine Deus noster,

intercedénte beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre, quia perpétua est & plena felícitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri. Per.

Alia Oratio.

DEus, qui nobis festivitátem beáti *N.* concédis cum gáudio celebráre; præsta, quæsumus, sic ipsíus nos sequi vestígia sanctitátis, ut per viam virtútum ad te qui verum es virtútis præmium, veniámus. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Beátus vir qui timet Dóminum. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. Beátus. Glória. Beátus. *Ps.* 111.

℣. Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: ℟. Et in eis qui sperant super misericórdia ejus. *Ps.* 146.

AD SEXTAM.

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Lucérna. ℣. Et lumen sémitis meis. Lucérna. Glória. Lucérna.

℣. Servávi mandáta tua & testimónia tua:

℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15.

JUstítia longè abest à supérbia & dolo: Viri mendáces non erunt illíus mémores; & viri veráces inveniéntur in illa, & succéssum habébunt usque ad inspectiónem Dei.

℟. *brev.* Justítia tua, Dómine, justítia in ætérnum. Justítia. ℣. Et lex tua véritas. Justítia. Glória. Justítia.

℣. Ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque;

℟. Quia in judíciis tuis supersperávi. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus & Versus ut supra in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 7. Tu fecísti, Dómine, cum servo tuo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte, & justítia, & recto corde tecum. 3. *Reg.* 3.

Oratio ut supra ad Laudes.



COMMUNE SS. VIRGINUM.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. 1. Cor. 7.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

℟. Audi, filia, & vide & inclína aurem tuam: * Obliviſcere pópulum tuum & domum patris tui; & concupíſcet Rex decórem tuum, † Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus.

℣. Virgo cógitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. * Obliviſcere. Glória Patri. † Quóniam *Pſal.* 44. 1. *Cor.* 7.

Si ſit Martyr.

HYMNUS.

FEstis læta ſonent ſydera cántibus,
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus angélici: dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit dí-bita cœtibus
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponſo Virgíneum fúndere sánguinem:
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

SIC quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis íntegram
Teſtári Dómino fidem.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prælia súſtinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

Si non ſit Martyr.

HYMNUS.

VOs ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite láudibus.

HÆC est festa dies cælitibus sacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponso sponsa Deo próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

MORTALES thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réspuit:
Sponso perpétuo fœdere júngitur,
Sponsæ se Deus óbligat.

ÆGRO vix sua sunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil sonat áuribus;
Morti quod ráperet próvida præripit;
Unus fit Deus ómnia.

FAC, ô Christe! tuæ Vírginis æmulos
Nos instáre sacrâ, quâ gráditur, viâ:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

DA te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incénsa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis, frígida péctora.
Amen.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini:
℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

Ad Magnificat

Ant. 3. Córpora vestra membra sunt Christi, templum Spíritûs Sancti: Glorificáte, & portáte Deum in córpore vestro. 1. *Cor.* 6.

Oratio ut infrà ad Laud.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum quem sequúntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

Psalm. Venite. *pag.* 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 6. Inclína aurem tuam & súscipe verba intelléctûs: conjúngere Deo & sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. *Eccli.* 2.

Ant. 2. Sponsábo te mihi in fide: & scies quia ego Dóminus. *Osee.* 2.

Ant. 7. Cave nequándo oblivíscáris pacti Dómini Dei tui quod pépigit tecum; quia Dóminus Deus tuus, Deus æmulátor. *Deut.* 4.

℣. Deus corónat te in misericórdia & miseratiónibus,

℟. Replet in bonis desidérium tuum. Ps. 102.

℣. Omne quod est in mundo concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ. * Mansi in solitúdine. *Ps.* 54. 1. *Joan.* 2.

℟. *v.* Propter Christum * Omnia detriméntum feci & árbitror ut stércora ut Christum lucrifáciam, & invéniar in illo; ad cognoscéndum illum, & societátem passiónum illíus configurátus morti ejus.

℣. Elégi abjéctus esse in domo Dei mei magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Omnia *Philip.* 3. *Ps.* 83.

℟. *vj.* Omnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: * Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áërē vérberans: sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo.

℣. A juventúte mea investigábā sapiéntiam: colluctáta est ánima mea in illa, & in faciéndo eam confirmátus sum. * Ego. Glória. * Ego. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. Sapiéntia dedúxit illos in via mirábili, & fuit illis in velaménto diéi, & in luce stellárum per noctem. *Sap.* 10.

Ant. 4. Omnes erant perseverántes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Ant. 5. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. *Act.* 2.

℣. Perdúxit eos Deus tanquam gregem in desérto,

℟. Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ. *Psal.* 77.

℟. *vij.* Sapiéntia diréxit ópera eórum: * Iter fecérunt per desérta quæ non habitabántur; & in locis desértis fixérunt casas.

℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, & in cavérnis terræ. * Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℟. *viij.* A mínimo usque ad máximum eórum * Plorábant & jejunábant, & orábant in conspéctu Dómini.

℣. Confiténtes quia peregríni & hóspites sunt super terram. * Plorábant. *Baruch* 1. *Hebr.* 11.

℟. *ix.* Multitúdinis erat cor unum, & ánima una:

nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum habitáre fratres in unum! * Erant. Glória. * Erant *Act.* 4. *Ps.* 132. Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 8. DEus dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & tunc exiit. *Act.* 7.

Ant. 6. Flétibus & lúctui apta induménta suscépit, cínere implévit caput, & corpus suum humiliávit jejúniis. *Esth.* 14.

Ant. 5. Nocte & ante lucem egrediebátur ad oratiónem, & deprecabátur Dóminum. *Judith.* 12.

Ant. 2. In loco solitúdinis Dóminus dócuit eum, & custodívit quasi pupíllam oculi sui. *Deut.* 32.

Ant. 1. Immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

Capitulum. Isaïæ 26.

NOmen tuum & memoriále tuum, Dómine, in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

℣. Clamávi ad te, Dómine; dixi: tu es spes mea;

℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

Ad Benedictus

Ant. 7. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos; & frátribus suis: Ignóro vos. *Deut.* 33.

Si sit Abbas.

Oratio.

DEus, cujus múnere beátus *N.* Abbas Christũ páuperem sequi; & húmilem corde usque in finem perseverávit imitári, da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut nec retrò aspíciant, nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam apprehéndant. Per eúmdem.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis N. intercessiónibus sublevári, ut per quem servis tuis perfectiónis Evangélicæ documénta donásti, per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impéndas. Per Dóminum.

potens : gaudeámus & exultémus & demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni & uxor ejus præparávit se.

℣. Sitívit in te ánima mea : ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

Ad Benedictus

Ant. 7. Exultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

Si sit Martyr,

Oratio.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ut qui beátæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

Alia Oratio.

OMnípotens, sempitérne Deus, cujus múnere beáta *N.* Virginitátis & Martyrii palmam adépta est : da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis serváre puritátem, ut nec bladítiis carnis nec malórum acerbitáte vincámur. Per.

Si non sit Martyr.

Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti, concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

Alia Oratio.

FIdéles tuos, quæsumus, Dómine, intercedénte beátâ *N.* Vírgine tuâ, córpore & mente purífica, ut tuâ inspiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre prævaleant, atque ut eárum non capti illécebris tuâ semper suavitáte pascántur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Lætétur mons Sion, exúltent filiæ Judæ. Lætétur. ℣. Propter judícia tua, Dómine. Lætétur. Glória. Lætétur. *Ps.* 47.

℣. Audívit & lætáta est Sion : ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Quid mihi est in cœlo? & à te quid vólui super terram? Quid

mihi. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. Quid mihi. Glória. Quid mihi. *Ps.* 72.

℣. Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini: ℟. Cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

AD NONAM.

Capitulum. 2. Cor. 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro Vírginem castam exhibére Christo.

℟. *brev.* Afferéntur regi Vírgines in lætítia & exultatióne. Afferéntur. ℣. Adducéntur in templum regis. Afferéntur. Glória. Afferéntur.

℣. Delectavérunt te filiæ Regum. ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

AD II. VESPERAS

Antiphonæ de Laudibus, Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magnificat

Ant. 5. Casta generátio in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

Oratio ut suprà ad Laud.



COMMUNE
SS. MULIERUM.

IN I. VESPERIS

Capitulum. Eccli. 26.

FUndaménta ætérna supra petram sólidam, mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

℟. Mulíerem fortem quis invéniet? Procul & de últimis fínibus prétium ejus. * Confídit in ea cor viri sui: reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Vir imágo & glória Dei est: múlier autem glória viri est.* Confídit in ea. Glória. * Confídit in ea. *Prov.* 31. 1. *Cor.* 11.

HYMNUS.

ADeste, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fœmina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triúmphat Cœlites.

Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit,
Ut prosit intuéntibus,
Cœléstis ornávit decor.

Non vana pompa sæculi
Sensus feféllit, nec malis
Glíscens volúptas ártibus
Viríle pectus móllit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit;
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amíttat decus.

Per quos gradus cœlum petit,
Hàc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

¶ Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hereditábit terram. *Ps.* 24.

Ad Magníficat

Ant. 6. Domus & divítiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem própriè uxor prudens. *Prov.* 19.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum in quo sperant Sanctæ Mulíeres, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 3.

Psalm. Venite. pag. 6.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. Mulíeres súbditæ estóte viris, sicut opórtet, in Dómino. *Coloss.* 3.

Ant. 8. Opórtet mulíeres esse pudícas, non detrahéntes, sóbrias, fidéles in ómnibus. 1. *Timoth.* 3.

Ant. 1. Prudéntiam dóceant adolescéntulas, viros suos ament, filios suos díligant. *Tit.* 2.

℣. Deus habitáre facit in domo

℟. Matrem filiórum lætántem. *Ps.* 112.

℟. *j.* Mulíeres viris suis súbditæ sint sicut Dómino: * Quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Ecclésiæ, ipse salvátor córporis ejus.

℣. Múlier si primátum hábeat, contrária est viro suo. * Quóniam. *Ephes.* 5. *Eccli.* 25.

℟. *ij.* Filii sanctórum sumus, & * Non póssumus ita conjúngi sicut gentes quæ ignórant Deũ.

℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. * Non póssumus. *Tob.* 8. 1. *Thess.* 4.

℟. *iij.* Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum

suum : * Disciplína illíus datum Dei est.

℣. Quæ filios aut nepótes habet, discat domum suam régere; hoc enim accéptum est coram Deo. * Disciplína. Glória. * Disciplína. *Eccli.* 26. 1. *Tim.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. Deprecabátur Dóminum, dicens : Dómine mi qui rex noster es solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esther.* 14.

Ant. 5. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, nosti quia óderim glóriam iniquórum. *Ibid.*

Ant. 6. Tu scis quòd nunquàm lætáta sit ancílla tua nisi in te, Dómine Deus. *Ibid.*

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar.

℟. Omnem viam iníquam ódio hábui. *Ps.* 118.

℟. *iv.* In oratióne persistens cum lácrymis deprecabátur Deum : * Ad te, Dómine, fáciem meam convérto, ad te óculos meos dírigo.

℣. Omne datum óptimum & omne donum perféctum desúrsum est, descéndens à Patre lúminum. * Ad te. *Tob.* 3. *Jac.* 1.

℟. *v.* Diléxi, Dómine, mandáta tua super aurum & topázion; * Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar : omnem viam iníquam ódio hábui.

℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Proptérea. *Ps.* 118. 2. *Cor.* 6.

℟. *vj.* Tu scis, Dómine, * Quia † Nunquàm cum ludéntibus míscui me, neque cum his qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui : virum autem cum timóre tuo, non cum libídine mea consénsi suscípere.

℣. Grátias ago Deo cui sérvio in consciéntia pura. * Quia. Glória. † Nunquàm. *Tob.* 3. 2. *Tim.* 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. Manum suam misit ad fórtia, & digiti ejus apprehendérunt fusum. *Proverb.* 31.

Ant. 7. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. *Ibid.*

Ant. 8. Facta est quási navis institóris de longè portans panem suum. Ibid.

℣. Dispérsit dedit paupéribus;

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

℟. vij. Roborávit bráchium suum, * Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus.

℣. Túnicas & vestes faciébat illis. * Non timébit. *Prov.* 31. *Act.* 9.

℟. viij. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus: * Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit.

℣. Quod decet mulíeres promitténtes pietátem per ópera bona. * Considerávit. *Prov.* 31. 1. *Tim.* 2.

℟. ix. Non extinguétur lucérna ejus; * Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad páuperem.

℣. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemósynis quas faciébat. * Manum. Glória. * Manum. *Prov.* 31. *Act.* 9.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. 4. Erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. *Judith.* 8.

Ant. 1. Magna facta est, erat étiam virtúti cástitas adjúncta. *Judith.* 16.

Ant. 3. Induens se cilício pósuit cínerem super caput suum; & prostérnens se Dómino clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9.

Ant. 6. Confitebátur Dómino, & loquebátur de illo ómnibus q[illegible]expectábant redemptiónem Israël. *Luc.* 2.

Ant. 5. Benedixérunt eam omnes unâ voce dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu, lætítia Israël, tu, honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Capitulum. 1. Thim. 2.

Volo oráre mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornántes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ.

℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus:

℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedictus

Ant. 5. Fortitúdo & decor induméntum ejus; Date ei de fructu mánuum

suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31.

Si sit Martyr.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur, largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ passiónem recoléntibus; ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincéndi grátiam nobis obtíneat. Per.

Si non sit Martyr.

Oratio.

TUórum corda fidélium, miserátor illústra, & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere & amáre cœléstia. Per.

Si sit Vidua.

Oratio.

DEus, in quem sperat omnis ánima quæ longè à te éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam, tríbue nobis, quǽsumus, ut exémplo beátæ *N.* nocte ac die obsecratiónibus & oratiónibus instántes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Perambulábam in innocéntia cordis mei. Perambulábam.

℣. In médio domûs meæ. Perambulábam. Glória. Perambulábam. *Ps.* 100.

℣. Iniquitátem odio hábui;

℟. Legem autem tuam diléxi *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Capitulum ut suprà in Laudibus.

℟. *brev.* Expectávi Dóminum & inténdit mihi. Expectávi.

℣. Et exaudívit preces meas. Expectávi. Glória. Expectávi. *Ps.* 39.

℣. Veníte & vidéte ópera Dei,

℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Petr. 3.

MUlíeres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant, considerántes in timóre castam conversatiónem vestram.

℟. *brev.* Párticeps ego sum ómnium timéntium te. Párticeps.

℣. Custodiéntium mandáta tua. Párticeps. Glória. Párticeps. *Ps.* 118.

℟. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum:

℟. Ambulans in via immaculáta hic mihi ministrábat. *Ps.* 100.

AD II. VESPERAS.


Antiphona de Laudibus.


Capitulum, Hymnus & Versus ut suprà in primis Vesperis.

Ad Magníficat

Ant. 3. Exue te stolâ luctûs, & índue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ. *Baruch.* 5.

Oratio ut supra ad Laudes.





COMMUNE LECTIONUM.

PARS AUTUMNALIS.



SI in Ecclesia privata sit celebrandum Festum alicujus Sancti sive Patroni sive non Patroni, de quo nihil habeatur in Proprio Sanctorum, vel siquid de eo habeatur, hoc non sufficiat, quia ritus solemnior esse debet quàm in Breviario notetur, tunc ritè sumitur quidquid adest in Proprio Sanctorum, siquid in eo habeatur; quæ autem deerunt, sumentur tam de Communi Sanctorum ut supra, quàm de Communi Lectionum ut sequitur, secundùm titulum & dignitatem Sancti, scilicet Apostoli, Martyris, &c.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

IN solemnibus Lectiones sumuntur è I. Nocturno Communis convenientis. In duplicibus autem de scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

SI de Festo nulla habeatur Lectio in Proprio Sanctorum, tunc sumentur tres Lectiones è II. Nocturno Communis: Si una habeatur in Proprio Sanctorum, tunc secunda & tertia erunt eæ quæ prima & secunda ponuntur in II. Nocturno Communis: Si verò duæ habeantur in Proprio Sanctorum, tunc tertia Lectio erit ea quæ prima ponitur in II. Nocturno ejusdem Communis.

IN III. NOCTURNO.

Si in Proprio Sanctorum non habeatur Evangelium, legitur Evangelium Communis cum tribus ejus Homiliæ partibus.

: *Festa Patronorum celebrantur ritu tantùm solemnis majoris cum Octava solemni.*

Infra assignantur Lectiones Communes pro singulis diebus intra Octavam, sive Octava sit solemnis; sive non solemnis, & cujuscumque tituli & dignitatis sit Sanctus de quo fit Octava. Cæterùm servabuntur quæ in Rubricis generalibus præscribuntur circa Octavas solemnes & non solemnes.

IN OCTAVA SOLEMNI.

Dominica intra Octavam & die Octavâ Officium erit Duplex-minus. *Diebus autem intra Octavam* Semiduplex-majus.

Dominica intra Octavam occurrente (nisi privilegiata sit) fiet Officium de Octava cum commemoratione Dominicæ occurrentis in utrisque Vesperis & Laudibus. In I. Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In II. Nocturno duæ primæ Lectiones de die intra Octavam occurrente, tertia verò Lectio Dicis in libello tuo *quæ habetur in II. Nocturno Dominicæ intra Octavam* pag. *xciv. In III. Nocturno duæ primæ Lectiones, Evangelium Dominicæ intra Octavam cum duabus ejus Homiliæ partibus* pag. *xcv. ultima verò Lectio, Evangelium Dominicæ occurrentis cum prima tantùm ejus Homiliæ parte.*

Diebus intra Octavam in Nocturno Lectio I. scriptura occurrens ex qua fit una : II. verò & III. Lectio, de die intra Octavam occurrente.

Die Octava in I. Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In II. & III. Nocturno Lectiones quæ pro die Octavæ assignantur pag. *xcix.*

Si dies Octava incidat in diem Dominicam, de Dominica occurrente fiet commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus, & tunc in III. *Nocturno Lectio*

I. erit Evangelium de die Octava cum prima ejus Homiliæ partæ : II. Lectio, secunda & tertia pars ejusdem Homiliæ in unam coacta : Ultima verò Lectio Evangelium Dominicæ occurrentis cum prima tantùm ejus Homiliæ parte.

IN OCTAVA NON SOLEMNI.

DIEBUS intra Octavam non solemnem Officium Simplex. *In Nocturno duæ primæ Lectiones scriptura occurrens, de secunda & tertia fit una. Tertia Lectio ea erit quæ prima assignantur pro diebus intra Octavam.*

DOMINICA intra Octavam occurrente, fit tantùm commemoratio de Octava in utrisque Vesperis & Laud.

DIE OCTAVA Officium Semiduplex-minus. *In Nocturno I. Lectio scriptura occurrens ex qua fit una. II. verò & III. eæ erant quæ prima & secunda ponuntur in II. Nocturno pro die Octava.*

DIE FESTO

PRO APOSTOLIS.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola I. beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap.* 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. Hîc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui & illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium : & tunc laus erit unicuíque à Deo.

Lectio ij.

HÆc autem, Fratres, transfigurávi in me & Apóllo, propter vos, ut in nobis discátis, ne supra

quàm ſcriptum eſt, unus advérsùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te diſcérnit? Quid autem habes quod non accepíſti? Si autem accepíſti, quid gloriáris quaſi non accéperis? Jam ſaturáti eſtis, jam dívites facti eſtis: ſine nobis regnátis; & útinam regnétis, ut & nos vobíſcum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit tanquàm morti deſtinátos, quia ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis & homínibus.

Lectio iij.

NOs ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudéntes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Uſque in hanc horam & eſurímus, & ſitímus, & nudi ſumus, & cólaphis cædimur, & inſtábiles ſumus, & laborámus operántes mánibus noſtris. Maledícimur, & benedícimus: perſecutiónem pátimur, & ſuſtinémus: blaſphemámur, & obſecrámus: tanquàm purgaménta hujus mundi facti ſumus, ómnium peripséma uſque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos cariſſimos móneo. Nam ſi decem míllia pedagogórum habeátis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto Jeſu per Evangélium ego vos génui.

In II. & III. Nocturno Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

DIE FESTO

PRO UNO MARTYRE.

IN I. NOCTURNO.

De Epiſtola II. beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap.* 4.

DEus qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chriſti Jeſu. Habémus autem theſáurum iſtum in vaſis fictílibus, ut ſublímitas ſit virtútis Dei, & non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, ſed non anguſtiámur: aporiámur, ſed non deſtitui-

tur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejicimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

Lectio ij.

SEmper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: & nos crédimus propter quod & lóquimur: sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, & constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur, tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

Lectio iij.

ID enim quod in præsénti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modùm in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt: quæ autem non vidéntur, ætérna sunt. Scimus enim quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnã in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eò quòd nólumus expoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 311. *in nat. sanct. Cypriani Martyris.*

Lectio iv.

ISTum nobis festum diẽ pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos con-

gregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrũ imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótiùs diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, & ídeò vicit. Blandiénté mundum contémpsit, sæviénti non cessit: ídeò victor ad Deum accéssit.

Lectio v.

ABúndant in isto sæculo erróres & terróres: beatíssimus Martyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit: secútus Agnum leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deórsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurrexísse, in cœlum ascendisse, & pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inférret damna, exília, víncula, torménta, flammas, béstias, cruces, mortes.

Lectio vj.

ALius moriebátur, ut álius honorarétur, álius occidebátur ut álius colerétur. Numquid hoc fácerent, nisi flagrántia caritátis de consciéntia veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitam: sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audíerant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detriméntum patiátur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homilia sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Epist. 56. quæ est de exhortatione ad martyrium ad Thibaritanos.

GAudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus, quia tunc dantur corónæ fidei, tunc probántur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodò cogitáre & recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambulavérit Dóminus, humilitátis & tolerántiæ & passiónis magíster, ut quod fieri dócuit, prior fáceret; & quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, Fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, & qui ventúrus est & judicatúrus, jam judícii sui & cognitiónis futúra senténtiam protúlerit, prænúntians & contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, & negatúrum negántes.

Longè post præcedent.

Lectio viij.

NEque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus & præcéptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius & minátur, sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuéndus est cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonénte & dicénte: Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: magis autem metúite eum qui potest & corpus & ánimam occídere in gehénnam. Et íterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam; & qui odit ánimam suam in isto sæculo, in vitam ætérnam conservábit illam. Ecce Agon sublímis & magnus & corónæ cœléstis præmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est glóriæ dígnitas, quanta felícitas præsénte Deo cóngredi, & Christo júdice coronári!

Lectio ix.

ARmémur víribus totis, & parémur ad agónem mente incorrúptâ, fide íntegrâ, virtúte devótâ. Armat nos Apóstolus, dicens: Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo.

Induámus lóricam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus & tutum. Calceáti sint evangélico magistério, & armáti pedes ut cum serpens calcári à nobis cœperit, mordére & supplantáre non possit. Portémus scutum fídei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimicus possit extíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleã salutárem, ut muniántur aures, ne áudiant edícta ferália. Muniántur óculi, ne videant deteståndá simulácra: muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur: muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus & déxteram gládio spiritáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat, & Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum compleξtátur, pósteà à Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum.

DIE FESTO

PRO PLURIBUS MARTYR.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. *Cap.* 8.

FRatres, Debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim Spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ reve-

atiónem filiórum Dei exspéctat.

Lectio ij.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonũ, is qui secúndùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit confórmes fieri imáginis fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: Et quos vocávit, hos & justificávit: Quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: Quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui justíficat; quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui & resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam intérpéllat pro nobis.

Lectio iij.

QUis ergo nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur totà die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. in nativ. Mart.

Lectio iv.

QUóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs áliquid deléctet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicántem: Quis nos separábit à caritáte Christi? Ista vox est Mártyrum. Tribulátio, an an-

gúſtia, an perſecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? ſicut ſcriptum eſt: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti ſumus ut oves occiſiónis: ſed in his ómnibus ſuperámus per eum qui diléxit nos. Hæc eſt vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de ſe nihil præsúmere; illum dilígere qui glorificátur in ſuis: ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Lectio v.

NOvérunt & illud quod nos cantávimus paulò ante: Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti. Si juſti in Dómino lætántur, injúſti non novérunt lætári niſi in ſæculo. Sed ipſa eſt prima ácies debellánda. Primò vincéndæ ſunt delectatiónes, & póſteà dolóres. Quómodò poteſt ſuperáre mundum ſæviéntem, qui non poteſt ſuperáre blandiéntem? Blandítur hic mundus pollicéndo honóres, divítias, voluptates: minátur hic mundus intentándo dolóres, egeſtátes, humilitátes. Qui non contémnit quod pollicétur, quómodò ſuperáre poteſt quod minátur?

Lectio vj.

HAbent delectatiónem ſuam divítiæ, qui néſciat? Sed plus habet delectatiónis juſtítia. Delectáre divítiis cum juſtítia. Ubi autem talis articulus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ & juſtítia; & non poſſis habére utrúmque: Sed ſi míſeris manum ad divítias, necéſſe eſt ut amíttas juſtítiam; ſi míſeris manum ad juſtítiam, péreant divítiæ. Modò élige, modò pugna, modò videámus ſi non ſine cauſa cantáſti: Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti; modò videámus ſi non ſine cauſa audíſti: Quis nos ſeparábit à caritáte Chriſti? Et quidem prætermíſit ómnia quibus blandítur mundus, & te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum pronuntiábat: Illa útique certámina, ubi vicérunt perſecutiónem, famem, ſitim, egeſtátem, ignomíniam, ad extrémum timórem mortis, & hoſtem ſævíſſimum.

. NOCTURNO.
› sancti Evangélii
úndùm Lucam.
vij. *Cap.* 6.
lo témpore ; Def-
lens Jesus de monte,
n loco campéstri ,
a discipulórum ejus,
titúdo copiósa ple-
omni Judæa , &
em , & marítima ,
i , & Sidónis. Et

ia sancti Ambrósii
Epíscopi.
. *Off. C.* 15. & 16.
n potest quis præ-
um accípere , nisi
è certáverit : nec
riósa victória , nisi
rint laboriósa cer-
Nonne injústus
i ante quærat præ-
, quàm certámen
bsolútum ? Ideóque
us in Evangélio
áti qui persecutió-
tiúntur propter jus-
quóniam ipsórum
gnum cœlórum :
stis , cùm vos ma-
t hómines , & per-
ur , & dicent om-
um advérsùm vos
justítiam : gaudéte
táte , quóniam mer-
stra copiósa est in
utúram , non præ-

séntem , in cœlo , non in terra , mercédem promísit esse reddéndam. Quid álibi poscis quod álibi debétur ? Quid præprópere corónam éxigis ántequàm vincas ? Quid detérgere púlverem , Quid requiéscere cupis ? Quid epulári gestis , ántequàm stádium solvátur ? Adhuc pópulus spectat , adhuc athlétæ in scámmate sunt , & tu jam ótium petis ?

Lectio viij.

SEd fortè dicas : Cur ímpii lætántur ? cur luxuriántur ? cur étiam ipsi non mecum labórant ? Quóniam qui non subscrípserint ad corónam , non tenéntur ad labórem certáminis : qui in stádium non descénderint , non se perfúndunt óleo , non oblíniunt púlvere. Quos manet glória , expéctat injúria. Unguentáti spectáre solent , non decertáre , non solem , æstus , púlverem , imbrésque pérpeti. Dicant ergo & ipsis athlétæ : Veníte , nobíscum laboráte. Sed respondébunt spectatóres : Nos hìc ínterim de vobis judicámus : vos autem sine nobis corónæ , si vicéritis , glóriam vindicábitis.

Lectio ix.

ISti ígitur qui in delíciis, qui in luxúria, rapínis, quæstibus, honóribus stúdia posuérunt sua, spectatóres magis sunt quàm præliatóres. Habent lucrum labóris, fructum virtútis non habent. Fovent ótium, astútiâ & improbitáte ággerant divitiárum acérvos exólvent, feram li quítiæ suæ pœnam fectórum est corói pécta ut véniat qu féctum est, quan per spéciem in æní sed fácie ad fácie mam ipsam redop ritátis possis agnós

DIE FESTO

PRO SS. PONTIFICIB

IN I. NOCTURNO.

De Epístola I. beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum, non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non néophytum, ne in biam elátus, in ju íncidat diáboli. C autem illum & t nium habére bonu qui foris sunt, ut oppróbrium íncida láqueum diáboli.

De Epístola ad T

Lectio ij. C

OPortet enim I pum sine esse, sicut Dei di tórem: non supérbı iracúndum, non v tum, non percus non turpis lucri cú sed hospitálem, ben sóbrium, justum, sa continéntem, amp tem eum qui sec doctrínam est, sermónem, ut po

exhortári in doctrína sána, & eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi etiam inobediéntes, vaníloqui, & seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui: qui univérsas domos subvertunt, docéntes quæ non opórtet turpis lucri grátiâ.

Lectio iij. *Cap.* 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter, in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant; prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile, ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 20. *in Epist.* 1. *ad Timoth.*

Lectio iv.

SI quis Episcopátum áppetit non principátûs ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis & caritátis affectu, non improbo: bonum quippe desíderat opus. Quippe & Móyses eámdem rem appetivísse cognóscitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitúmque dominándi nequáquàm quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur: Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quòd omnes inspíciat cunctáque speculétur. Opórtet ígitur Epíscopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expréssit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profécto facit eam rem áppetens, quâ indígnum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pór-

tiùs regi. Eum quippe qui regéndos álios súscipit, tantâ decet glóriâ virtútis excéllere, ut instar solis, cæteros véluti stellárum ignículos in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére immaculátam atque compósitam, ut omnes in illum & in ejus vitam, véluti in exémplum áliquod excéllens, intueántur.

Lectio v.

OPórtet Epíscopum vigilántem esse, hoc est, claríssimâ mentis ácie præditum, innumerósque habéntem omni ex parte óculos, quibus acutíssimè cuncta prospíciat. Sunt quippe plura quæ incídant & mentis hebétent áciem, putà concupiscéntiæ desidéria, curæ quotidiánæ, rerúmque perturbátio; & plúrima id genus úndique ímminent. Vigilántem ígitur esse necésse est eum, qui non tantùm suì curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervígilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, & afféctûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústriâ præcéllere, ut die noctúque exércitum & castra perlústret, labóret, & sui officii munus diligentíssimè ímpleat, atque ómnium curam & sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, & hospitalitátis amatórem. Ista & in súbditis plerúmque vídeas. Verùm quóniam opórtet eum & ea quæ sunt rectóris habére, idcircò subjúnxit: Aptum ad docéndum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: cæterùm illi ante ómnia adésse debet, qui hujúsmodi suscépit officium.

Lectio vj.

IDcírcò nos elégit Deus, ut simus quasi luminária, ut velúti ferméntum evadámus, ut magístri cæterórum efficiámur, ut velúti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus & púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro ingéntia lucra conquírant, ut sémina simus, ut fructum lætíssimum afferámus. Nihil opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magístris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentílis esset, si

ıpórtet Christiáni
·arémus, si Dei
ac scitis obtempe-
, si injúrias per-
:em non referré-
naledíctis lácessíti
:rémus; si pro
ona redderémus.
ſſet ita fera bel-
ıon statim ad cul-
e religiónis accúr-
ı vidéret hæc ab
fieri. Atque ut
esse, unus Paulus
fuit, tot pópulos
ıd Dei notítiam.
:s essémus hujúſ-
uot terrárum or-
ɔsi attráhere pos-

NOCTURNO.
sancti Evangélii
ùm Matthæum.
ıij. *Cap.* 24.
ı témpore; Dixit
discípulis suis:
, quia nescítis quâ
minus vester ven-
. Et réliqua.
ı sancti Fulgéntii
Epíscopi.
nínicus sermo quē
ɔémus omnes, non
tudiósè, verùm
ıpiénter audíre,
opórtet humíliter
tabíliter obedíre,
iónis suæ tenens
ɜmpériem, ut nec

óvibus desint pábula, nec pastóribus aliménta; quædam speciáliter solis præcipit nobis, quædam verò generáliter & nobis & vobis. Nobis namque (id est, servis, quos Pater ille famílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in sua magna domo constítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ ministrémus) speciáliter adjúngitur sanctæ prædicatiónis offícium: generáliter verò & nobis & vobis salutáris indícitur obſervántia mandatórum.

Lectio viij.

SErvórum ígitur, quos pópulo suo præpósuit Dóminus, speciáliter volens offícium demonstráre, ait: Quis putas est fidélis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suã, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita faciéntem. Quis est iste Dóminus, Fratres? Christus sine dúbio, qui suis discípulis ait: Vos vocátis me, Magíster & Dómine; & benedícitis: sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimirùm illa est, quam ipse Dómi-

nus de manu inimíci redémit, & suo domínio mancipávit. Hæc autem família sancta est Ecclésia cathólica quæ per orbem terræ copiósâ fertilitáte diffúnditur, & redémptam se pretióso sui Dómini sánguine gloriátur.

Lectio ix.

DIspensátor verò quis sit, quem opórtet esse fidélem páriter ac prudéntem, Paulus nobis osténdit Apóstolus, qui de se suísque sóciis loquens, ait: Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem nostrûm solos Apóstolos dispensatóres factos exístimet; neglectóque milítiæ spirituális officio, servus píger infidéliter imprudentérque dormítet, ipse beátus Apóstolus Epíscopos esse dispensatóres osténdens, ait: Opórtet ergo Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem. Servi Patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus, mensúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vera sit ista mensúra trítici si quærámus, ipsam quoque vobis beátus Paulus Apóstolus osténdet, dicens: Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ spirituális, secúndùm régulam veræ fidei disputámus; & eámdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

DIE FESTO
PRO SS. DOCTORIBUS.

IN I. NOCTURNO.
De Libro Ecclesiástici.
Lectio j. *Cap.* 39.

SApiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, & in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, & in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta provérbiórum exquíret, & in absconditis

abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, & in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim & mala in homínibus tentábit.

Lectio ij.

COr suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, & pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum, & ipse tanquàm imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ : & in oratióne confitébitur Dómino : & ipse díriget consílium ejus & disciplínam, & in abscónditis suis consiliábitur.

Lectio iij.

IPse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiã ejus, & usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN II. NOCTURNO

Ex Libro S. Augustíni Epíscopi contra Juliánum.

Lectio iv. lib. 2. *cap.* 10.

SAnctos & in sancta Ecclésia illústres Antístites Dei, non Platónicis, & Aristotélicis, & Zenónicis, aliísque hujuscémodi, vel Græcis, vel Latínis, quanquàm ex istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos, nominátim, sicut oportébat, expréssi ; eorúmque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine ulla éditas ambiguitáte digéssi, ut in eis tímeas non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, & sancta templa constrúxit : qui tunc de ista causa judicavérunt, quando eos nemo potest dícere pérperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuísse. Nullas nobíscum vel vobíscum amicítias attendérunt, vel inimicítias exercuérunt : neque nobis, neque vobis iráti sunt, neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésia, tenuérunt : quod di-

dicérunt, docuérunt: quod à Pátribus accepérunt, hoc filiis tradidérunt.

Longè post præcedentia.

Lectio v.

ISti Epíscopi sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres advérsùs gárrulas vanitátes: in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuísti, non potes inveníre quod spernas. Si Episcopális Synodus ex toto orbe congregarétur, mirum si tales possent illic fácilè tot sedére, quia nec isti uno témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per divérsas ætátes témporum locorúmque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispénsat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriénte & Occidénte congregátos vides, non in locum quo navigáre cogántur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

Lectio vj.

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem, tantò tibi sunt terribilióres, quia oppúgnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac & cibum parvis magnísque ministravérunt, quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit. Ideò profánas voces vestræ novitátis expávit; & cauta ac sóbria, ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam sedúxit astútiâ suâ, sic & mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fidei virginitáte, insídias vestri dógmatis surrepéntis exhórruit, & tanquam caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília Sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. de Serm. Domini in Monte. cap. 6.

OSténdit Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos per quos condiéndi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cœlórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus per quos errórem áuferat cæterórum?

Lectio viij.

ERgo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs & calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem, sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

Lectio ix.

VOs estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ, sic nunc dicit, Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres quorum condiéndis & extinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hîc mundum, non cœlum & terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt.



DIE FESTO
PRO SS. PRESBYTERIS.

IN I. NOCTURNO
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 7.

MElchísedech, rex Salem, sacérdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regrésso à cæde regum, & benedíxit ei: cui & décimas ómnium divísit Abraham: primùm quidem qui interpretátur rex justítiæ: deínde autem & Rex Salem, quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealógia, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet sacérdos in perpétuum.

Lectio ij.

INtuémini autem quantus sit hic, cui & décimas dedit de præcípuis Abraham Patriárcha: & quidem de fíliis Levi sacerdótium accipiéntes, mandátum habent décimas súmere à pópulo secúndùm Legem, id est, à frátribus suis: quanquàm & ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autẽ generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habébat repromissiónes, benedíxit; sine ulla autem contradictióne, quod minus est, à melióre benedícitur.

Lectio iij.

MAniféstum est: si secúndùm similitúdinẽ Melchísedech exúrgat álius sacérdos, qui non secúndùm legem mandáti carnális factus est, sed secúndùm virtútem vitæ insolúbilis. Contestátur enim: Quóniam tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. Reprobátio quidem fit præcedéntis mandáti, propter infirmitátem ejus & inutilitátem; nihil enim ad perféctum addúxit Lex: introdúctio verò melióris spei per quam proximámus ad Deum. Et quantũ est non sine jurejurándo (álii quidẽ sine jurejurándo sacerdótes facti sunt, hic autem cum jurejurándo per eum qui dixit ad illum:

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: Tu es Sacérdos in ætérnum,) in tantum melióris testaménti sponsor factus est Jesus.

IN II. NOCTURNO

Ex Libro S. Joánnis Chrysóstomi de Sacerdótio.

Lectio iv. lib. 3. cap. 2.

SAcerdótium in terra quidem perágitur, sed in rerum cœléstium classem ordinémque referéndum est. Atque id per quàm méritò: quippe non mortális quisquam, non ángelus, non archángelus, non ália quævis creáta poténtia, sed ipse Paraclétus órdinem hujúsmodi dispósuit: qui mortálibus homínibus etiámnùm in carne manéntibus auctor fuit, ut angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcircò necésse est sacerdótem sic esse purũ, ut si in ipsis cœlis collocátus inter cœléstes illas virtútes médius staret. Nam dum cónspicis Dóminum immolátum, & illic situm, sacerdótem sacrificio incumbéntem, ac preces fundéntem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intíngi ac rubefíeri, etiámne te inter mortáles versári atque in terra consístere censes? An non pótiùs è vestígio in cœlos transférri? An non cogitatiónem omnem carnis abjíciens, nudo ánimo, mente purâ, circúmspicis quæ in cælo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac compléсti.

Lectio v.

NAm si quis consíderet quantum id sit mystérium, ut is scílicet qui homo ipse sit, carne ac sánguine etiámnum constans, iisque involútus, beátæ atque immortáli natúræ illi fieri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótis honóre, quantâ dignitáte Spíritûs Sancti grátia dignáta fúerit: opéribus enim illis tum sacra hæc quæ dico initiántur, perficiuntúrque, tum étiam ália his nihilò inferióra, quæ ipsa ad dignitátem, salutísque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram íncolunt atque in ea versántur, iis commíssum est, ut ea quæ in cœlis sunt

dispénsent : iis datum est ut potestátem hábeant quam Deus óptimus, neque ángelis, neque archángelis datam esse vóluit : neque enim ad illos dictum est : Quæcúmque alligavéritis in terra, erunt alligáta in cœlo ; & quæcúmque solvéritis in terra, erunt solúta & in cœlo.

Lectio vj.

HAbent quidem & terréstres príncipes vínculi potestátem, verùm córporum solùm. Id autem quod dico, sacerdótum vínculum, ipsam étiam ánimam contíngit, atque ad cœlos usque pervádit : usque ádeò ut quæcúmque intérnè sacerdótes conféceriint, illa éadem Deus supérnè rata hábeat, ac servórum senténtiam confírmet. Etenim quidnam hoc áliud esse dicas, nisi omnem rerum cœléstium potestátem illis à Deo concéssam ? Quorumcúmque enim, ait, peccáta remiséritis, remittúntur eis, & quorumcúmque retinuéritis, reténta sunt. Quænam, óbsecro, potéstas hâc unâ major esse queat ? Pater omne judícium Fílio dedit : cæterùm vídeo ipsum omne judícium à Deo Fílio illis tráditum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo témpore, designávit Dóminus & álios septuagínta duos : & misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. in Evang.

AD messem multam operárii pauci sunt ; quod sine gravi mœróre loqui non póssumus, quia etsi sunt qui bona áudiant, desunt qui dicant : Ecce mundus sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor : quia officium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus officii non implémus. Sed pensáte, fratres mei, pensáte quod dícitur : Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna vobis operári valeámus, ne ab


exhortatióne lingua tórpeat, ne postquàm prædicatiónis locum suscépimus, apud justum júdicem tacitúrnitas nostra nos addícat.

Lectio viij.

SEd útinam, si ad prædicatiónem virtútis non sufficimus, loci nostri officium innocéntiâ vitæ teneámus. Nam súbditur: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Multi enim cùm regíminis curam suscípiunt ad lacerándos súbditos inardéscunt, terrórem potestátis exhibent & quibus prodésse debúerant, nocent. Et quia caritátis víscera non habent, dómini vidéri áppetunt, patres se esse mínimè recognóscunt. Humilitátis locum in elatiónem dominatiónis immútant: etsi quando extrínsecùs blandiúntur, intrínsecùs sæviunt. De quibus áliàs Véritas dicit: Véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecùs autem sunt lupi rapáces.

Lectio ix.

COntra quæ ómnia considerándum nobis est, quia sicut agni inter lupos míttimur, ut sensum servántes innocéntiæ morsum malítiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit, mala inférre non debet, sed toleráre, ut ex ipsa sua mansuetúdine iram sæviéntem mítiget, & peccatórum vúlnera in áliis ipse afflictiónibus vulnerátus sanet. Quod tunc bene rector éxhibet, cum seipsum dilígere per amórem privátum nescit: cùm nulla quæ mundi sunt, áppetit: cùm terréndo cupiditátis onéribus nequáquam mentis colla suppónit.



nis vim pátitur, & à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non póssumus, nisi ómnia quæ vel amóre vel curâ, si in itínere istíus sæculi nobis adhæreant, impédiunt & retárdant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, & inde per totam hujus sæculi noctem apprehéndere, & tenére Christum sollícitâ spiritálium óperum ac studiórum contentióne luctémur: nec divellámur à caritáte Christi, sicut Jacob ab ejus ampléxu, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescénte, infirmábitur virtus carnis & spirituális grátia convaléscet!

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore, Respóndens Petrus dixit Jesu: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te, quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Hyerónimi Presbyteri.

Comment. in Matth. C. 19.

GRandis fidúcia: Petrus piscátor erat, dives non fúerat; cibos manu & arte quærébat, & tamen lóquitur confidénter: relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantùm relínquere, jungit: (quod perféctum est) & secúti sumus te: fécimus quod jussísti; quid igitur nobis dabis præmii?

Lectio viij.

JEsus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit, qui reliquístis ómnia; hoc enim & Crates fecit Philósophus, & multi álii divítias contempsérunt; sed: qui secúti estis me (quod própriè Apostolórum est atque credéntium) in regeneratióne, cùm séderit fílius hóminis in sede majestátis suæ, quando & mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti, sedébitis & vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël, quia, vobis credéntibus,

illi crédere noluérunt.

Lectio ix.

ET omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua salvátor lóquitur: non veni pacem míttere, sed gládium; veni enim separáre hóminem à patre suo, & matrem à filia, & nurum à socru; & inímici hóminis doméstici ejus. Qui ergò propter fidem Christi, & prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint, atque divítias & sæculi voluptátes, isti centúplum recípient, & vitam ætérnam possidébunt.

DIE FESTO
PRO JUSTIS.

IN I. NOCTURNO

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap. 4.*

JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Lectio ij.

POpuli autem vidéntes & non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei & misericórdia est in sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juvéntus celériùs consummáta lon-

gam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt & contémnent eum : illos autem Dñus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre & in contumélia, inter mórtuos in perpétuum, quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce & commovébit illos à fundaméntis ; & usque ad suprémum desolabúntur.

Lectio iij. Cap. 4. & 5.

ET erunt geméntes & memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum timidi, & tradúcent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsùs eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, & mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritûs geméntes: Hi sunt quos habúimus aliquándo in derísum & in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam & finem illórum sine honóre. Ecce quómodò computáti sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illórum est ?

IN II. NOCTURNO

Ex Libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. lib. 10. c. 16.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre : quæ falsa sunt, vera osténdere : quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu à juvénibus scitur : hæc à púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, cæteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti & tímidi in áliis mirántur, quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta diligitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adéptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multipliciùs réddere ; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere ; cùm virtútis possibílitas déest, quidquid explére

per malitiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

Lectio v.

AT contra, sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratìs exhibére, mala libéntiùs toleráre quàm fácere, nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contumeliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas derídétur, quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur, & quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidâ machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti maxíllam álteram præbére.

Post pauca. Lectio vj.

QUæ nimírum justi simplícitas bréviter sed sufficiénter exprímitur, cùm prótinus subinfértur: Lampas contémpta apud cogitatiónes dívitum. Sæpè namque contíngit, ut eléctus quisque qui ad ætérnam felicitátem dúcitur, continuâ hîc adversitáte deprimátur, non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis verò despicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indígnus æstimátur; sed tamen ante occúlti Júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis corrúscat. Honorári métuit, déspici non réfugit: corpus continéntiâ ásficit: solâ in ánimo dilectióne pinguéscit: mentem semper ad patiéntiam præparat, & eréctus pro justítia de percéptis contuméliis exúltat: afflíctis ex corde compátitur. De bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur: sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat: & inquisítus quódlibet éloqui dupliciter, ignórat.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 13.

DOminus dicit: Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos præcíngimus cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur: Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus proféctò opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubéntur, & lumbos restríngere & lucérnas tenére; ut & mundítia sit castitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquàm potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit, aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet.

Lectio viij.

NEc cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed &, si utrúmque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, & nequáquàm se à vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat. Qui etsi quædam bona aliquándo pro honestáte ínchoat, in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præséntis mundi glóriam quærere, sed totam spem in redemptóris sui advéntum constítuat. Unde & prótinùs subditur: Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à nuptiis. Ad núptias quippe Dóminus ábiit, quia resúrgens à mórtuis, ascéndens in cœ-

lum, upérnam sibi angelórum multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifestátur.

Lectio ix.

BEnè autem de servis expectántibus súbditur: Ut cúm vénerit & pulsáverit, conféstim apériant ei. Venit Dóminus, cùm ad judícium própe-rat, pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias mortem vicínam esse designat: Cui conféstim apérimus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim Júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat; & vidére eum quem contempsísse se méminit, Júdicem formídat. Qui autem de sua spe & operatióne secúrus est, pulsánti conféstim áperit, quia lætus Júdicem sústinet; & cùm tempus propínquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hiláréscit.

DIE FESTO
PRO SS. VIRGINIBUS.

IN I. NOCTURNO

De Epístola I. beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap. 7.*

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti: & si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve est. Réliquum est, ut & qui habent uxóres, tanquàm non habéntes sint: & qui flent, tanquàm non fléntes: & qui gaudent, tanquàm non gaudéntes: & qui emunt, tanquàm non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tanquàm non utántur; præterit enim figúra hujus mundi.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodò pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innúpta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, & quod facultátem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit super adulta, & ita opórtet fieri: quod vult fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium. Puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de disciplína & hábitu Vírginum. *Paulò post inítium.*

Lectio iv.

NUnc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantòque plùs copiósa virgínitas número suo addit, tantò plùs gáudium matris augéscit.

Lectio v.

AD has lóquimur, has adhortámur affectió- pótiùs quàm potestáte: n quod extrémi & mí- ni, & humilitátis nostræ modùm cónscii, áliquid censúram licéntiæ vin- :émus; sed quòd ad sol- itúdinem magis cauti, is de diáboli infestatió- timeámus. Neque inánis :c cáutio est, & vana mído, quæ ad salútis um cónsulit, quæ Do- nica & vitália præcép- custódit; ut quæ se risto dicáverint, & à náli concupiscéntia re- déntes, tam carne quàm nte se Deo vóverint, nsúmment opus suum igno præmio destiná- n: Nec ornári jam aut icére cuiquam, nisi Dó- no suo, stúdeant; à o & mercédem virgi- átis expéctant, dicénte o: Non omnes cápiunt rbum, sed illi quibus tum est.

Lectio vj.

DEnuò quoque per hanc Angeli vocem ntinéntiæ munus ostén- :ur, virgínitas prædi- tur. Hi sunt, inquit, i cum muliéribus se non inquinavérunt; vírgines enim permansérunt: Hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromíttit, & fœminas prætérit, sed quóniam fœmina viri pórtio est, & ex eo sumpta atque formáta est, in Scriptúris ferè ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significátur & fœmina. Quod si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu & cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem Virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 12.

OMnes lámpades habent, sed omnes óleũ non habent, quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis & réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, quia de his quæ foris égerint, intùs glóriam requírunt. Unde per psalmístam quoque de sancta electórum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes & dormiérunt; quia dum veníre Judex ad extrémum judícium differt; elécti & réprobi in mortis somno sopiúntur.

Post pauca. *Lectio viij.*

DE advéntu sponsi clamor in média nocte fit, quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scríptum est: Dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines surgunt, quia & elécti & réprobi à somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant, quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant. Sed lámpades fatuárum Vírginum extinguúntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in advéntu Júdicis intùs obscurántur; & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

Lectio ix.

QUid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in advéntu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudéntes Vírgines respóndent, dicéntes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus: Quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: & clausa est jánua. O! si sápere in cordis paláto possis, quid admiratiónis habet quod dícitur, Venit sponsus? Quid dulcédinis! Intravérunt cum eo ad núptias? Quid amaritúdinis! Et clausa est janua? Tunc regni janua lugéntibus claudétur, quæ modò quotídie pœniténtibus aperítur: Erit namque &

tunc pœniténtia, sed fructuósa jam non erit, quia nequáquàm tunc véniam invenit, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

DIE FESTO

PRO SS. MULIERIBUS.

IN I. NOCTURNO

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. *Cap.* 31.

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, & cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

Lectio ij.

GUstavit & vidit quia bona est negotiatio ejus: Non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis. Omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: Byssus & púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando sedérit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit; & cíngulum trádidit Chananæo.

Lectio iij.

FOrtitúdo & decor induméntum ejus, & ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; vir ejus & laudávit eam. Multæ filiæ

congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. Fallax gratia, & vana est pulchritúdo: Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola Sancti Augustíni Epíscopi ad probam Víduam.

Epist. 130. §. 3. *aliàs* 121.

Lectio iv.

DEbes præ amóre veræ vitæ desolátam te putáre in hoc sæculo, in quantálibet ejus felicitáte verséris. Nam sicut est illa vera vita, in cujus comparatióne útique ista quæ multùm amátur, quantùmlibet jucúnda atque prodúcta sit, nec vita dicénda est: Sic est étiam solátium verum, sine quo solátio quæcúmque sunt terréna solátia, magis in eis desolátio quàm consolátio reperítur.

Lectio v.

DIvítiæ quippe atque fastígia dignitátum, cæteráque hujúsmodi, quibus se felíces esse putant mortáles, veræ illius felicitátis expértes, quid ásferunt consolatiónis? Cùm sit eis indigére quàm eminére præstántius; quæ plùs excrúciant adépta timóre amissiónis, quàm concupíta adeptiónis ardóre. Tálibus bonis non fiunt hómines boni; sed aliúnde boni facti, bene uténdo faciunt ut ista sint bona. Non sunt ergo in iis vera solatia, sed ibi pótiùs ubi vera vita.

Lectio vj.

HÆc ómnia consíderans, concérta in oratióne vincére hoc sæculum; ora in spe, ora fidéliter & amánter; ora instánter atque patiénter; ora ut vídua Christi nondum habens ejus conspéctum, cujus precáris auxílium: Et licet sis divitíssima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futúri sæculi divítias habes, ubi nulla damna formídes. Si ea quæ sursum sunt quæris & sapis, ætérna & certa desíderas; quæ quándiu nondum habes, étiam salvis ómnibus atque obsequéntibus tuis, tanquàm desolátam reputáre te debes.

I. NOCTURNO

ɔ sancti Evangélii
ɪdúm Matthæum.
ɔ *vij.* *Cap.* 13.
llo témpore; Dixit
ɪs discípulis suis pa-
m hanc: Símile est
n cœlórum thesáuro
ɪdito in agro. Et
a.
lia Sancti Ambrósii
Epíscopi.
ib. de Viduis.
rum hunc Ecclésiæ
értilem cerno, nunc
itátis flore vernán-
nunc viduitátis gra-
polléntem, nunc
conjúgii frúctibus
dántem. Nam etsi
i, uníus tamen agri
s sunt: nec tanta
rum lília, quantæ
ségetum, méssium
, compluriúmque
campórum recipién-
ptántur semínibus,
ɪ rédditis nováles
bus feriántur. Bona
vidúitas, quæ tóties
ólico judício prædi-
: Hæc enim magís-
dei, magístra est cas-
s. *Lectio viij.*
Nde & illi qui deó-
rum suórum adulté-
c probra venerántur,
bátûs & viduitátis sta-
tuêre pœnas, ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum; spécie quidem quâ fœcunditátem quærerent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam conféctis & miles stipéndiis arma depónit, & relícto officio quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut & ipse exércitæ labóribus vitæ réquiem consequátur, & álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit; & juveníli gravátus ópere, providéntiam curæ senílis explórat; vitem facíliùs tondére quàm prémere, ut juvenescéntem luxúriam réprimat, & adolescéntem lascíviam falce succídat: Parcórum quamdam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

Lectio ix.

SImilis huic vídua; velut eméritis veteréna stipéndiis, etsi conjúgii arma depónat, domûs tamen totíus pacem gubérnat. Etsi vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida. Ubi

cultus utilior, ubi fructus ubérior sit, quorum cópiam áptior seníli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus pótiùs quàm junióribus commíttitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quàm víduã? Quòd si persecutóres fidei, persecutóres étiam fuérunt viduitátis, útique fidem persequéntibus vidúitas, non pro supplício fugiénda est, sed tenénda pro præmio.

LECTIONES COMMUNES
PRO DIEBUS INTRA OCTAVAM

Cujuscumque dignitatis & tituli sit Sanctus de quo sit Octava, tam pro Octava solemni quàm non solemni.

DIE DOMINICA
INTRA OCTAVAM

Duplex-minus.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Duæ primæ Lectiones de die intra Octavam occurrente ut infra. Deinde sequens dicitur

Sermo Sancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

Lectio vj.

DIcis in Libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus: postquàm autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio. Si Apóstoli & Mártyres adhuc in córpore constitúti, possunt oráre pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti; quantò magis post corónas, victórias & triúmphos? Unus homo Móyses sexcéntis míllibus armatórum impetrat à Deo véniam; & Stéphanus imitátor Dómini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: Et postquàm cum Christo esse cœpérunt, minùs valébunt?

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

tio vij. Cap. 11.
illo témpore: Dixit
sus Discípulis suis:
veſtrûm habébit a-
m & ibit ad illum
â nocte & dicet illi:
ce cómmoda mihi
panes. Et réliqua.

milia Sancti Basilii
Epíscopi.

ſtit. Monaſt. Cap. 1.

Oc exémplum id-
círcò nobis à Dó-
propónitur, ut dó-
nos in fide firmos esse
ertináces. Exémplum
sumit ab hómine ad
nem, ut discas nun-
a desperáre; ut cùm
ris nec accéperis,
desístas tamen quo-
cípias, si modò, quod
vult, póstules: Ne-
íxeris, peccátor sum,
leò non exáudior.
im enim verò ne
abjíceres, idcírcò
Et si non proptereà
amícus ejus sit, da-
li: Propter improbi-
a tamen ejus dabit
quotquot habet ne-
rios. Flagrándum au-
est non ségniter,
e mente huc & illuc
gánte; síquidem quis-
est ejúsmodi, non
n non consecutúrus
est quæ petet; imò verò
Dóminum magis exacer-
bábit.

Lectio viij.

SI enim cùm áliquis coram príncipe stat, ac lóquitur, stat cum multo timóre, atque tum extérnum tum intérnum ánimæ óculum nequáquàm vagum, sed inténtum habet, quantò magis coram Deo cum timóre & tremóre standum est mente totâ in illum solum, nusquam verò áliò inténta. Nam ipse non extérnum hóminem modò videt ut hómines, sed intérnum étiam intuétur. Quod si à peccato debilitátus non potes citra mentis aberratiónem precári, quantùm potes vim tibi ínferas, ac constánter sta coram Deo, mente in illum defixâ, eâque ad seípsam advocátâ; sicque ignóscet Deus, quóniam non ex contémptu, sed ex infirmitáte, ut cónvenit stare coram Deo non potes. Si sic vi tibi illátâ, omne opus bonum perfícias, ne superséderis, quoad petíta consequáre: Sed patiénter fores ejus pulsa cùm petis. Vis díscere, ô di-

lécte, quómodò patiéntes fúerint sancti, nec spem abjécerint? Imitáre fidem Abrahæ, áccipe exémpla.

Lectio ix. Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis cum prima tantùm ejus parte.

DIE SECUNDA.

Sermo S. Basílii Epíscopi.

Oratio in 40. Martyr.

Lectio ij.

HI sunt qui accéptam à Deo nostram regiónem, quasi turres quædam contra adversariórum incúrsum muniéntes, refúgium éxhibent. Beneficium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc minimè cessántem à Deo obtinémus. Parátum est hìc christiánis auxílium. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos confúgit; qui rursùs lætátur, ad hos recúrrit: Hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro filiis audítur, peregrinánti viro réditum incólumem, ægrotánti verò salútem implórat & óbtinet.

Lectio iij.

O Sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii, precum ac votórum ínvicem suffragatóres! legáti apud Deum potentíssimi! Astra mundi, flores ecclesiárum, vos non terra contéxit, sed cœlum excépit. Apértæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profectò exercítibus angelórum, patriárchis, prophétis & justis ómnibus spectáculum.

DIE TERTIA.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 1. in C. 2. Ep. Joan.

Lectio ij.

JOánnes quid dixit: Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet áliquis: Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo & epíscopi & præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & præpósiti commendant se pópulo. Nam apóstolus dicit plebi: Orántes simul

&

& pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres, sed & vos, oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpéllet.

Lectio iij. Serm. 280.

BEnedíxit Dóminus pusíllos cum magnis. Non nobis parùm videátur quòd ejus córporis membra sumus, cujus & illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiúntur ómnia membra; ità, cùm glorificátur unum membrum, congáudent ómnia membra. Glória cápiti unde consúlitur, & superióribus mánibus, & ínfimis pédibus? Sicut ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita & imitáti sunt Mártyres, & ánimas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miseréntur nos. Gratulámur eis, precántur pro nobis.



DIE QUARTA.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

In Vig. Ss. Petri & Pauli.

Lectio ij.

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórũ vigilánter consideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hîc víveret, misértus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ampliùs, quantò veriùs agnóscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit: neque enim quia impassíbilis omníno, ídeò & incompassíbilis factus est.

Lectio iij.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus, quia quándiu in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit neque ad déxteram, neque ad sinístram, sed viam régiam ténuit donec veníret ad illum qui

dicit : Ego ſum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátẽ verbórum ejus, & tunc vidébitis quómodò tam verbo quàm exémplo lúxerit inter hómines : quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita juſti recta eſt : rectus callis juſti ad ambulándum.

DIE QUINTA.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

In Vig. Ss. Petri & Pauli.

Lectio ij.

DIligentióri intúitu, in feſtivitátibus Sanctórum, confuſiónem noſtram inſpiciámus, quia homo ille símilis nobis fuit paſsíbilis, ex eódem luto formátus ex quo & nos. Quid ergo eſt quòd non ſolùm difficile, ſed & impoſsíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit : Confundámur, fratres, & contremiſcámus. Hómines iſti fuérunt qui præceſsérunt nos, qui tam mirabíliter præceſsérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo & gaudére, & confúndi debémus : gaudére, quia patrónos præmíſimus ; confúndi, quia eos imitári non póſſumus.

Lectio iij.

ITa ſemper gáudium noſtrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet, ut ſemper non ſolùm extréma, ſed & prima gáudii luctus óccupet, quia etſi magna eſt gaudiórum matéria, ſed máxima eſt dolórum. Verè nobis rubor confuſiónis ſunt, quos vix audeámus reſpícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipſi propítium nobis reddant amícum ſuum, júdicem noſtrum, qui eſt Deus benedíctus in ſæcula. Amen.

DIE SEXTA.

Sermo Sancti Ambróſii Epíſcopi.

Epiſt. 22. ad Marcellínam ſororem.

Lectio ij.

GRátias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua ſancta majóra præſídia deſíderat. Agnóſcant omnes quales ego propugnató-

res requíram. Hos ego acquiſívi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti.

Lectio iij.

NUllam ego de tálibus invídiam tímeo, quorum quò majóra, eò tutióra patrocínia ſunt. Horum étiam illis ipſis qui mihi ínvident, opto præsídia. Véniant ergo, & vídeant ſtipatóres meos: tálibus me armis ambíri non nego. Nos etſi eos vidére non póſſumus, ſentímus tamen.

DIE SEPTIMA.

De Sermóne S. Cæsárii Epíſcopi.

Serm. 230. in App. apud Aug. *Lectio ij.*

QUando feſtivitátes cólimus, fratres caríſſimi, diligenter debémus atténdere, & totis víribus laboráre, ut quod viſibíliter cólitur, in nobis inviſibíliter compleátur. Qui nec caſtitátem cuſtódit in córpore, nec puritátem tenet in mente: quóties ſanctæ ſolemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat niſi luctum. Quale enim gáudium poteſt habére, in cujus ánima multis vítiis occupáta magis diábolus probátur habitáre quàm Chriſtus? Nos verò, fratres caríſſimi, etiámſi nobis áliqua, ut ſolet fíeri, peccáta ſubrépunt, quantùm póſſumus, cum Dei adjutório laborémus jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemóſynis mundáre sórdida, ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos ſuæ majeſtátis offéndat.

Lectio iij. *Serm. 265.*

FIlios & omnes famílias veſtras admonéte, fratres, ſemper ut caſtè & juſtè ac ſalúbriter vivant: nec ſolùm eos verbis, ſed étiam exémplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicúmque fuéritis ſive in domo, ſive in itínere, ſive in convívio, ſive in conceſſu, verba túrpia & luxurióſa nolíte ex ore veſtro proférre, ſed magis vicínos & próximos veſtros júgiter admonéte, ut ſemper quod bonum eſt

& honéstum, loqui stúdeant, ne fortè detrahéndo, mala loquéndo, & in sanctis festivitátibus choros ducéndo, & cántica luxurióśa & túrpia proferéndo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videántur infligere. Isti enim infelíces & míseri hómines, qui balatiónes & saltatiónes ante ipsas basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubéscunt, etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, Pagáni de Ecclésia révertúntur, quia ista consuetúdo balándi de paganórũ observatióne remánsit.

DIE OCTAVA.

Duplex-minus

IN II. NOCTURNO

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis. *Lectio iv.*

ILlórum lauda virtútem quórum jam certa victória est: illos devótis extólle præcóniis quorum secúrè potes adgaudére corónis. Secúrè laudántur hómines qui non suâ jam vivunt vitâ, sed Dei. Non enim est quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam est, inquit, glória Sanctis? Ad quid ergo Sanctis laus nostra? Ad quid glorificátio nostra? Ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres quos juxta verácem Fílii promissionem honoríficat Pater cœléstis? Quò eis præcónia nostra? pleni sunt.

Lectio v.

PRorsus ita est, dilectíssimi; honórum nostrórũ Sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotióne præstátur, planè quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ intereſt, non ipsórum. Vultis scire quantùm intereſt nostrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári. Quando & nos addémur ad patres nostros? Quando essentiáliter præsentábimur eis? Hoc enim primum desidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili societáte fruámur.

Lectio vj.

UT eam glóriam nobis speráre liceat, & ad tantam beatitúdinem adspiráre, summópere nobis desideránda sunt suffrágia Sanctórum, ut quod pos-

sibílitas nostra non óbtinet, eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos, amíci mei. Nostis ipsi perículum nostrum: nostis figméntum nostrum: nostis ignorántiam nostram, & dolos adversariórum: nostis eórum ímpetus & nostram fragilitátem. Vobis enim loquor qui in eádem tentatióne fuístis, qui eósdem superástis conflíctus: qui eósdem láqueos evasístis: qui didicístis ex his quæ passi estis, compassiónem.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília Sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. *in Luc. num.* 87.

ALius præcépti locus est, ut in ómnibus moméntis, non solùm diébus, sed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iste qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amíco suo póstulans, & in ipsa peténdi intentióne persístens, non defraudátur orátis. Qui sunt isti tres panes, nisi mystérii cœléstis aliméntum. Quòd si díligas Dóminum Deum tuum, non solùm tibi, sed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus suum trádidit? Ab hac média nocte panes David pétiit & accépit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem quem scit semper vigilántem. Et ideò scriptórum mémores nóctibus ac diébus oratióni instántes, peccátis nostris véniam postulémus.

Lectio viij.

NAm si ille tam sanctus & qui regni erat necessitátibus occupátus, sépties in die laudem Dómino dicébat matutínis & vespertínis sacrifíciis semper inténtus, quid nos fácere opórtet, qui eò ámpliùs rogáre debémus quò frequéntiùs carnis fragilitáte delínquimus, ut de via lassis & istíus ævi cursu, ac vitæ humánæ in-

fráctu gráviter fatigátis, panis refectiónis deésse non possit, qui hóminis corda confirmet? Nec solùm médiâ nocte Dóminus, sed ómnibus prope docet vigilándum esse moméntis: venit enim & vespertínâ, & secúndâ & tértiâ vigiliâ, & pulsáre consuévit. Beáti ítaque servi illi, quos cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. *Lectio ix.*

SI ergo desíderas ut virtus Dei præcíngat se & minístret tibi, vigilándum est semper. Multæ enim insídiæ sunt bonis, & gravis córporis somnus: quia si dormíre mens cœperit, vigórem suæ virtútis amíttit. Excita ígitur somnum tuum, ut pulses óstium Christi. Quod aperíri sibi étiam Paulus expóscit non solùm suis, sed étiam pópuli oratiónibus óbsecrans se juvári, ut aperiátur óstium sibi ad loquéndum mystérium Christi.

CANON PRO PATRONIS, UBI DEEST PROPRIUS.

Ex Concílio Mediolanénsi tértio sub sancto Cárolo. *Anno* 1573. *Tit.* 1.

QUò religiósiùs íncolæ uniuscujúsque Paróchiæ festum diem colant illíus Sancti Sanctæve cujus patrocínio Parochiális Ecclésia dicáta est, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religiósas ejus sanctárum virtútum exercitatiónes; quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm sempitérna glória perfruátur, pro caritáte quâ abúndat, eórum quorum salútis patrocínium suscépit, preces Deo offert. Die Sancti qui Paróchiæ Patrónus est & custos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflamméntur, id Párochus præstet, cùm frequéntior in Ecclésia pópulus adest, ut ipse aut álius in suggéstu res ejus sanctè admirabilitérque gestas, morum discíplínam, pietátis stúdia ac virtútes pronúntiet.

OFFICIUM B. MARIÆ IN SABBATO

Incipit à Vesperis Feriæ sextæ præcedentis & terminatur ad Nonam. Fit more semiduplicis - minoris. Singulis diebus Sabbati extra IV. Tempora, Vigilias, Octavas solemnes, aut nisi occurrat Festum semiduplex-minus & supra, fit Officium de Beata Maria Virgine, de simplici verò occurrente commemoratio. Si Feriâ sextâ celebretur Festum duplex vel semiduplex, in Vesperis fit tantùm commemoratio de B. Maria V. Si Festum solemne aut supra celebretur, commemoratio nulla.

Ad Vesperas & cæteras Horas, etiam ad Laudes, si non continuo dicantur, præmittitur Salutatio Angelica sequens altâ voce

Ave María grátiâ plena: Dóminus tecum:

℟. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi de Feria in toto Officio.

AD VESPERAS

Pater. Ave. Sancti Spíritûs. *Salutatio Angelica* Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Sicut erat. Allelúia.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum Genes. 3.

AIt Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

HYMNUS

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Evæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem:

Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino.

℟. Et delectábitur super Salutari suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat

Ant. 7. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti: quinímò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11. *Oratio de Laud.*

Non fiunt Suffragia.

Ad COMPLETORIUM

Hymnus Virgo Dei Génitrix *ut in Psalterio* pag. 42. *Cætera ut in Feriis per Annum* pag. 196.

Preces dicuntur.

AD MATUTINUM

Invit. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus Venite *pag.* 7.

IN NOCTURNO

Novem Psalmi de Sabbato sub tribus Antiphonis sequentibus, una nempe super tres Psalmos cum Glória *post unumquemque Psalmum.*

Ant. 1. Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 8. Ecce concípies in útero, & páries filium: vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

Ant. 2. Quod nascétur ex te sanctum, vocábitur filius Dei. *Luc.* 1.

℣. Confiteántur tibi pópuli Deus.

℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66.

Secretò Pater. *Altâ voce* Et ne nos indúcas.

Benedictiones ante Psalterium pag. 3.

Duæ primæ Lectiones de Scriptura occurrente, tertia verò de B. M. V. ut infra secundùm Mensium diversitatem. Si in Sabbato occurrat commemor. facienda de aliquo simplici, tùnc prima Lectio erit Scriptura occurrens ex qua fit una; secunda de B. M. V. tertia verò de Festo cujus fit commemoratio.

℟. j. Audite, domus David: dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: * Ecce Virgo concipiet & páriet filiū, & vocábitur nomen ejus Emmánuël.

℣. Chriſti generátio ſic erat: Mater ejus María invénta eſt in útero habens de Spíritu Sancto: hoc autem totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt à Dómino: * Ecce. *Iſ.* 7. *Matt.* 1.

℟. ij. Quod in ea natum eſt, de Spíritu Sancto eſt: páriet autem filium: * Ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórū.

℣. Creávit Dóminus novum ſuper terram: fœmina circúmdabit virum. * Ipſe. *Matt.* 1. *Jerem.* 32.

℟ iij. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit.

℣. De María natus eſt Jeſus qui vocátur Chriſtus. * Véritas. Glória. * Véritas. *Pſ.* 84. *Matt.* 1.

Te Deum.

AD LAUDES

Ant. 4. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Ant. 3. Tota pulchra es, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4.

Ant. 5. Multæ filiæ congregáverunt divítias: tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31.

Ant 7. In omni gente.

CANTICUM *Judith* 13.

Laudáte Dóminum Deum noſtrum, * qui non deſéruit ſperántes in ſe.

Et in me ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam ſuam * quam promiſit dómui Iſráël.

Et interfécit in manu mea * hoſtem pópuli ſui.

Benedícta es tu, filia, à Dómino Deo excélſo * præ ómnibus muliéribus ſuper terram.

Benedíctus Dóminus * qui creávit cœlum & terram:

Qui te diréxit * in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum.

Ant. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te, Deus Iſraël. *Judith.* 13.

Ant. 6. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. *Iſ.* 60.

Capitulum Galat. 14.

Ubi venit plenitúdo témporis, miſit Deus

Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Benedixisti, Dómine, terram tuam;

℟. Avertisti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

Ad Benedictus

Ant. 6. Deus osténdet splendórem suum in te omni qui sub cœlo est. *Baruch.* 5.

Oratio

GRátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus & crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Non fiunt Suffragia.

AD HORAS

In fine Hymnorum Doxologia

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

Antiphonæ de Laudibus, quæ ibi omissæ.

AD PRIMAM

Canon de Feria occurrente. Preces dicuntur. Ad cæteras Horas Oratio ut supra ad Laudes.

AD TERTIAM

Capitulum ut in primis Vesperis.

℟. *brev.* Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israël. Recordátus. Glória. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Deus operátus est salutem in médio terræ.

℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Psal.* 73.

AD SEXTAM

Capitulum de Laudibus.

℟. *brev.* Homo natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundavit eam Altissimus. Homo. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dóminus. ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

AD NONAM

Capitulum Judith. 13.

NOmen tuum Dómine ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hóminum, qui memores fúerint virtútis

Dómini in ætérnum.

℟. *brev.* Vultum tuum deprecabúntur. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. Vultum. Glória. Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44.

Lectiones de B. Maria V. in Sabbato pro ſingulis Menſibus.

MENSE SEPTEMBR.

Sermo S. Leónis Papæ.

De Nat. Domini.

Lectio iij.

HUmáno uſu & conſuetúdine quod crédimus caret, ſed divínâ poteſtáte ſubníxum eſt, quòd virgo concéperit, virgo pepérerit, virgo permánſerit. Non hìc cogitétur pariéntis condítio, ſed naſcéntis arbítrium, qui ſic homo natus eſt, ut volébat, & póterat. Si veritátem quæris humánæ natúræ, cognóſce matériam: ſi ratiónem ſcrutáris oríginis, virtútem confitére divínam. Venit enim Dóminus Jeſus Chriſtus contágia noſtra auférre, non pérpeti, nec ſuccúmbere vítiis, ſed medéri. Venit ut omnem languórem corruptiónis, & univérſa vúlnera ſordéntium curáret animárum: propter quod opórtuit ut novo naſcerétur órdine qui novam impollútæ ſinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat.

MENSE OCTOBRI.

Ex Epiſtola S. Ambróſii Epiſcopi ad Syrícium Papam.

Epiſt. Lib. 1. Epiſt. 7.

Lectio iij.

DEvii à via veritátis prodúntur dícere: Virgo concépit, ſed non virgo generávit. Pótuit ergo virgo concípere, non pótuit virgo generáre, cùm ſemper concéptus præcédat, partus ſequátur? Sed ſi doctrínis non créditur ſacerdótum; credátur oráculis Chriſti, credátur mónitis angelórum dicéntium, Quia non eſt impoſsíbile Deo omne verbum: credátur ſymbolo Apoſtolórum, quòd Eccléſia Romána intemerátum ſemper cuſtódit & ſervat. Audívit María vocem Angeli; & quæ ante díxerat, Quómodò fiet iſtud, non de fide generatiónis intérrogans; reſpóndit póſteà, Ecce ancilla Dómini, contíngat mihi ſecún-


dùm verbum tuum. Hæc est virgo quæ in útero concépit, virgóque péperit filium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in útero accípiet & páriet filium. Non enim concepturam tantúmmodò vírginem, sed & paritúram vírginem dixit. Quæ autem est illa porta Sanctuárii, porta illa extérior ad oriéntem, quæ manet clausa; &, Nemo, inquit, pertransíbit per eã, nisi solus Deus Israël? Nonne hæc porta María est, per quam in hunc mundum Redémptor intrávit?

MENSE NOVEMBRI.

De Expositióne S. Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam.

Lectio iij. *In Cap.* 8.

ACcéssi ad prophetíssam, & in útero accépit & péperit filium. Quid est, Accéssi ad prophetíssam? Hoc est, Appropinquávi spíritu & prænotióne futurórum: & perspéxi ejus conceptiónem è longínquo, óculis in prophétiæ grátiam atténtis. Péperit filium, de quo dixit Dóminus: Vocábis nomen ejus, velóciter détrahe spólia, citò prædáre. Quòd María prophetíssa fúerit ad quam proximè per cognitiónem accéssit Isaías, nemo contradixerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophéticè elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit spíritus meus in Deo Salutári meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quòd si ánimum accomodáveris univérsis ejus verbis, non dubitábis dícere eam fuísse prophetíssam, quòd Dómini Spíritus in eam supervénerit, & virtus Altíssimi obumbráverit ei.



OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ VIRGINIS.

Qui privatim recitant, ad illud non tenentur. In Choro dicitur secundùm locorum consuetudinem. Omittitur tantùm in semiduplicibus & supra, ac cùm fit de Beata Maria Virgine.

AD MATUTINUM

Altâ voce

Ave, María grátiâ plena: Dóminus tecum:

℟. Benedícta tu in muliéribus & benedíctus fructus ventris tui. *Et dicitur ad cæteras Horas.*

Dómine lábia mea apéries. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Sicut erat. Allelúia.

Invitat. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* I.

IN I. NOCTURNO

Feriâ II. & V.

Ant. sola I. Ave. *Psalmus* 8.

DOmine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulòminùs ab ángelis, glóriâ & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas ínsuper & pécora campi;

Vólucres cæli, & pis-

ces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 18.

CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquàm sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à summo cælo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Domini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multùm, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me, * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum, * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea * cálamus scribæ velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ Fíliis hóminum: diffúsa est

grátia in lábiis tuis ; * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssimè.

Spécie tuâ & pulcritúdine tuâ inténde, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem & mansuetúdinem, & justítiam ; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga diréctiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem : * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis ; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam ; * & oblivíscere pópulum tuum, & domum Patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs : * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Ant. Ave, grátiâ plena ; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam;

℟. Et concupíscet rex decórem tuum. *Psal.* 44.

Pater noster.

IN II. NOCTURNO

Feriâ III. & VI.

Ant. sola 8. Ecce.

Psalmus 45.

DEus noster, refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur ; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * Suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma : * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da, * & justítiam tuam fílio regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum ; * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci

ejus terram lingent.

Reges Tharsis & insulæ múnera ófferent; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem à poténte, * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & inopi, * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

Psalmus 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccâta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam; * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & Salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen propè timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in

terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit; * & ponet in via gressus suos.

Ant. Ecce concípies in útero, & páries fílium; & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super Salutári suo. *Ps.* 34.

Pater noster.

IN III. NOCTURNO

Feriâ IV. & Sabbato.

Ant. sola 2. Quod nascétur.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióśa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthiopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea; * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum; * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes ángeli ejus: * audívit, &

lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus Salutáre suum; * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * Salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini: * moveátur mare & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descéndet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster.

Benedict. de B. M. V. ut ante Psalterium pag. 3.

Lectio j. *Isaïæ 7.*

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte

nipotens, & advénit tempus réddere mercédem servis tuis, & Sanctis. *Apoc.* 11.

In Jejun. ℣. Justi confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Psal.* 139.

Oratio

PRótege, Dómine, pópulum tuum, & Apostolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem perpétuâ defensióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus: & pacem tuam nostris concéde tempóribus, & ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam; iter, actus, & voluntátes nostras, & ómnium famulórum tuórum, in salútis tuæ prosperitáte dispóne; benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue; & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Allelúia.

HYMNUS

MEménto, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno réspice:
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus est de Vírgine,
Quo Virgo fit Puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 4. Benedícta tu.

Psalmus 53. Deus, in nómine *pag.* 142.

Psalmus 95. Cantáte Dómino... cantáte *p.* 58.

Psalmus 116. Laudáte Dóminum omnes gentes *pag.* 171.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

Capitulum Cant. 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies

ordináta? ℟. Deo grátias.

℟. *brev.* Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ. Spécie. ℣. Prósperè procéde & regna. Spécie. Glória. Spécie.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis; ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. *Psalm.* 44.

Oratio

PRótege, Dómine, famulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóstibus & perícnlis redde secúros. Per.

AD TERTIAM

Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Allelúia.

Hymnus Meménto *ut ad Primam.*

Ant. 3. Tota pulchra es.

Psalmus 119. Ad Dóminum *pag.* 86.

Psalmus 120. Levávi óculos meos *pag.* 64.

Psalmus 47. Magnus Dóminus *pag.* 176.

Ant. Tota pulchra es & mácula non est in te. *Cant.* 4.

Capitulum Gal. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *brev.* Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israël. Recordátus. Glória. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Deus operátus est salútem ℟. In médio terræ. *Ps.* 73.

Oratio

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præstitísti, tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrũ Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum.

AD SEXTAM

Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Allelúia.

Hymnus Meménto *ut ad Primam.*

Ant. 7. In omni gente.

Psalmus 122. Ad te levávi óculos *pag.* 110.

Psalmus 123. Nisi quia Dóminus *pag.* 65.

Psalmus 124. Qui confidunt *pàg.* 110.

Ant. In omni gente quæ audierit nomen tuũ, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13.

Capitulum Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhábita & in Israël hæreditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

℟. *brev.* Homo natus est in ea. Homo.

℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. Homo. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Oratio

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium, ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem.

AD NONAM

Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Allelúia.

Hymnus Meménto *ut ad Primam.*

Ant. 6. Venit.

Psalmus 84. Benedixísti, Dómine *pag.* 74.

Psalmus 125. In convertèndo, Dóminus p. 65.

Psalmus 127. Beáti omnes qui timent *pag.* 180.

Ant. Venit lumen tuũ: & glória Dómini super te orta est. *Is.* 60.

Capitulum Judith. 13.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. *brev.* Vultum tuum deprecabúntur. Vultum.

℣. Omnes dívites plebis. Vultum. Glória. Vultum. *Ps.* 41.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce, ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD VESPERAS

Ave. Deus in adjutórium. Dómine ad adjuvándum. Glória. Allelúia.

Ant.

Ant. sola 8. Multæ.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo; * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion:* domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis:* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptéreà exaltábit caput.

Psalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra.

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem:

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem,* & abun-

dántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua,* & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos,* loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri,* quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem,* frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit diléctis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, * fílii merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, * ita fílii excussórum.

Beatus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam,* nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suũ & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Capitulum Apoc. 12.

SIgnum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

HYMNUS

O Quam glorificâ luce coruscas,

Stirpis Davídicæ régia
proles,
Sublímis résidens, Virgo Maria,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!

Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedísti:
Humános Deus hinc índuit artus.

Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus subveniénte,
Ætérni pétimus gáudia regni.

Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Astitit Regína à dextris tuis ℟. In vestítu deauráto circúmdata varietáte. *Ps.* 44.

Ad Magnificat

Ant. 3. Benedícta inter mulíeres & benedicátur in tabernáculo suo. *Judith*, 5.

Oratio.

Beátæ & gloriósæ semper Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam. Per Dóminum.

Commemor. de omnibus Sanctis ut supra ad Laudes.

AD COMPLETOR.

Ave. Convérte nos. Deus in adjutórium. Glória. Allelúia. *A Septuag.* Laus tibi.

Ant. 5. Invéniam.

Psalmus 130. Dómine, non est exaltátum *p.* 111.

Psalmus 128. Sæpè expugnavérunt me *pag.* 155.

Psalmus 129. De profúndis *pag.* 111.

Ant. Invéniam grátiam in conspéctu tuo: experiménto dídici, quia benedíxit mihi propter te. *Genes.* 30.

HYMNUS

Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.

Hinc méritò dicent te sæcula cuncta beátam:
Hinc pópuli matrem te dominámque colunt.

SUSCIPE, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres:
Annue, follícitâ quam prece poſcit, opem.
GLORIA magna Patri: compar ſit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

Capitulum Eccli. 24.

IN me grátia omnis viæ & veritátis: in me omnis ſpes vitæ & virtútis.

Ad Nunc dimittis

Ant. 3. Memoráre diérum humilitátis tuæ, & ínvoca Dominum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte. *Eſther.* 15.

Oratio

GRátiam tuam, quæſumus, Dómine, méntibus noſtris infúnde, ut qui, Angelo nuntiánte, Chriſti Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per paſſiónem ejus & crucem ad reſurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

PROSA

DE B. MARIA VIRGINE

ad devotionem.

INVIOLATA, íntegra & caſta es, María:
QUÆ es effécta fúlgida cœli porta.
O mater alma Chriſti caríſſima,
SUSCIPE pia laudum præcónia.
NOSTRA ut pura péctora ſint & córpora,
TE nunc flágitant devóta corda & ora.
TUA per precáta dulcíſona,
NOBIS concédas véniam per ſæcula.
O benígna! O benígna! O benígna!
QUÆ ſola invioláta permanſíſti.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus:

℟. Deus in médio ejus non commovébitur. *Pſal.* 45.

Oratio

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, & intercedénte ſanctíſſimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctífica. Per eúmdem,

ANTIPHONÆ *ad devotionem.*

SUb tuum præsídium confúgimus, Sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed à perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa & benedícta.

℣. Tu es refúgium meum ℟. A tribulatióne quæ circúmdedit me. *Psalm.* 31.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce, ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Per Annum

Ant. BEátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

℣. Benedíctus Dóminus ℟. Qui exaltávit eam. *Tob.* 13.

Oratio

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis salúte gaudére; & gloriósâ Beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsénti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Pace

Ant. DEus noster refúgium & virtus, fiat pax in virtúte tua, pax super Israël. *Ps.* 45. 127 & 125.

℣. Oriétur in diébus ejus justítia, ℟. Et abundántia pacis. *Ps.* 77.

Oratio

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro Gratiarum Actione

Ant. IN toto corde meo confitébor nómini tuo, Dómine: audísti verba oris mei: extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua. *Ps.* 137.

℣. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eū,

℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus & bonitátis infinítus est thesáurus, piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes, ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro Rege


Ant. DOmine, salvum fac Regem, & exáudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ,

℟. Et super filium hóminis quem confirmásti tibi. *Ps.* 79.

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, & ad te, qui via, véritas, & vita es, gratiósus váleat perveníre. Qui vivis & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.



PSALMI PŒNITENTIALES.

Psalmus 6. Dómine, ne in furóre..... miserére *pag.* 63.

Psalmus 31. Beáti quorum remíssæ sunt *pag.* 83.

Psalmus 37. Dómine, ne in furóre... quóniam *cum sua Divisione* p. 145.

Psalmus 50. Miserére meî Deus,... secúndùm *pag.* 168.

Psalmus 101. Dómine, exáudi oratiónem meam, & clamor *cum suis Divisionibus* pag. 139.

Psalmus 129. De profúndis clamávi *pag.* 103.

Psalmus 142. Dómine, exáudi oratiónem meam, áuribus *cum sua Divisione* pag. 159.

Ant. Dómine, memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccàtis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ

Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriël, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes Sancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes Sancti beatórum Spiríttuum órdines, oráte pro nobis.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes Sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zebed.*) ora pro nobis.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.

Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes Sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes Sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Xyste, ora.
Sancti Cornéli & Cypriáne, oráte.
Sancte Lauréndi, ora.
Sancti Marcellíne & Petre, oráte.
Sancte Alexánder, ora.
Sancte Chrysógone, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte.
Sancte Nicási cum Sóciis tuis, ora.
Sancti Thimothæe & Apollináris, oráte.
Sancti Rufine & Valéri, oráte pro nobis.
Sancte Maure cum Sóciis tuis ora.
Sancte Arnúlphe ora.
Sancte Orícule, ora.
Sancte Dionysi cum Sociis tuis, ora.
Sancte Quintíne, ora.
Sancti Críspine & Crispiniáne, oráte.
Sancte Firmíne, ora.
Sancte Symphoriáne, ora.
Sancte Calíxte, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Mauríci cum Sóciis tuis, ora.
Sancti Vitális & Agricola, oráte.
Omnes Sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Sínici, ora.
Sancte Nivárde, ora.
Sancte Rigobérte, ora.
Sancte Réole, ora.
Sancte Donatiáne, ora.
Sancte Vivénti, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Basíli, ora.
Sancte Joánnes Chrysóstome, ora.
Sancte Athanási, ora.
Sancte Gregóri, (*Nazian.*) ora pro nobis.
Sancte Thoma, ora.

Sancte Bonaventúra, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Francísce Saléſi, or.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Marcélle, ora.
Omnes Sancti Pontífices & Confeſsóres, oráte.
Omnes Sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francíſce, ora.
Sancte Bruno, ora.
Sancte Theodórice, ora.
Sancte Theodúlphe, ora.
Sancte Báſole, ora.
Sancte Sindúlphe, ora.
Sancte Celsíne, ora.
Sancte Vincénti à Paulo, ora pro nobis.
Sancte Roche, ora.
Omnes Sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes Sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Henríce, ora.
Omnes Sancti Reges, oráte pro nobis.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Eutrópia, ora.
Sancta Macra, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Theréſia, ora.
Sancta Bova, ora.
Sancta Doda, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes Sanctæ Vírgines, oráte pro nobis.
Sancta Anna, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Sancta Balſámia, ora.
Sancta Bertha, ora.
Sancta Mónica, ora.
Omnes Sanctæ Mulíeres & Víduæ, oráte.
Sancta María Ægyptia, ora pro nobis.
Sancta Pelágia, ora.
Omnes Sanctæ Pœniténtes, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius eſto, parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A ſpíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.

A fúlgure & tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Advéntum tuum, líbera nos, Dómine.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per Baptísmum & sanctū Jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & Passiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritûs Sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indúlgeas, te.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rog.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te rog.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem & caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te rog.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rog.
Ut Summum Pontíficem nostrum, & omnes gradus Ecclésiæ in sancta Religióne conserváre dignéris, te rog.
Ut Antístitem nostrum, & omnes congregatiónes illi commíssas, in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, te rog.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te rog.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem & unitatem largíri dignéris, te.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te rog.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te rogámus audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rog.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rog.
Ut fructus terræ dare &

conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus audi nos.
Fili Dei, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
exáudi nos, Dómine,
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
miserére nobis.
Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Secretò Pater noster.
Altâ voce

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dòmine, non secúndùm peccáta nostra fácias nobis; ℟. Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Orémus pro summo Pontífice nostro *N.*

℟. Notam fáciat fíliis hóminum glóriam magnificéntiæ regni tui. *Ps.* 144.

℣. Pro Antístite nostro *N.* ℟. Fac cum servo tuo, Dómine, secundùm misericórdiam tuam. *Ps.* 118.

℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* 9.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

℣. Pro infirmis, afflíctis, captívis, & peregrínis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Psalmus, Deus, in adjutórium. *pag.* 131.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere, súscipe deprecatiónem nostram, ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis, ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde, ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro iis merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris, preces pópuli tui supplicantis propítius réspice, & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

DEus, ómnium fidélium pastor & rector, fámulum tuum N. quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo & exémplo, quibus præest proficere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. & dírige eum secúndùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérne; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæsumus omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster N. qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervenire.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consilia & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formidine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne Sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine, ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvándo proséquere, ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

OMnípotens sempiterne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænóscis, te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus omnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

O R D O

COMMENDATIONIS ANIMÆ,

IN AGONE SUI EXITUS POSITÆ.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum

KYrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Sancta María, ora pro * eo, [*vel* ea.]
Omnes Sancti Angeli & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo, [*vel* ea.]
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo, [*vel* ea.]
Omnes Sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.

Sancte Joannes, ora.
Omnes Sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes Sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes Sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes Sancti Mártyres, oráte pro eo, [vel ea.]
Sancte Sylvéster, ora.
Sancte Remigi, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes Sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes Sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Maria Magdaléna, ora pro eo, [vel ea.]
Sancta Lúcia, ora.
Omnes Sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo, [vel ea.]
Propítius esto,
Parce ei, Dómine.
Propítius esto,
libera eum, [vel eam,] Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum, [vel eam,] Dómine.
Per Crucem & Passiónem tuam, líbera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs Sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.

Deinde cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur

Proficíscere, ánima Christiána, de hoc mundo, In Nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est: In nómine Spíritûs Sancti, qui in te effúsus est: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórũ & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Potestátum: In nómine Chérubim & Sé-

raphim : In nómine Patriarchárum & Prophetárum : In nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum : In nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum : In nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum : In nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secúmdùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remissiónis evácuas : réspice propítius super * hunc fámulũ tuum *N.* [*vel* hanc fámulam tuam *N.*] & remissiónem ómnium peccatórum suórum totâ cordis confessióne poscéntem, deprecátus exáudi. Rénova in * eo [*vel* ea] piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est : & unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrymárum ejus ; & non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Commendo te omnipoténti Deo, * caríssime frater [*vel* caríssima soror ;] & ei cujus es creatúra commítto : ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, spléndidus Angelórum cœtus occúrrat : judex Apostolórum tibi senátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat : mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in

ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis: in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremiſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei: & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes: & miniſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucífixus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Filius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus [*vel* conſtitúta] ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

Suſcípe, Dómine, * ſervum tuum [*vel* fámulam tuam] in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * ſervi tui [*vel* fámulæ tuæ] ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * ſervi tui, [*vel* fámulæ tuæ] ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * ſervi tui, [*vel* fámulæ tuæ] ſicut liberáſti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * ſervi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, áni-

mam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Job de tentatiónibus suis.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ] sicut liberásti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Góliæ.

℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus * servi tui, [*vel* fámulæ tuæ,] & tecum fácias in bonis cæléstibus congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui, [*vel* fámulæ tuæ,] precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum,

quas suscitávit furor mali desidérii. Licèt enim peccavérit, tamen Patrem, & Filium, & Spíritum Sanctum non negávit, sed crédidit; & zelum Dei in se hábuit; & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secúndùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli: collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, * servum tuum, [vel fámulam tuam,] súscipe. Suscípiat * eum [vel eam,] sanctus Michaël Archángelus Dei, qui milítiæ cœlestis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant * eum [vel eam] in civitátem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat * eum [vel eam] beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet * eum [vel eam] beátus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro * eo [vel ea] sanctus Joánnes, eléctus Dei Apóstolus; cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro * eo [vel ea] omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro * eo [vel ea] omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt; ut vínculis carnis exútus, [vel exúta,] pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc Anima, legi poterit super ægrotum cum signis Crucis consuetis sequens Evangelium secundùm Joannem

Joan. 17.

SUblevátis óculis in cœlum Jesus dixit: Pater, Venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestátem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam ætérnam. Hæc est autem vita æterna, ut cognóscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificávi

ſuper terram : opus conſummávi, quod dedíſti mihi ut fáciam : Et tunc clarífica me tu Pater apud temetipſum, claritáte, quam hábui priùs quàm mundus eſſet, apud te. Manifeſtávi nomen tuum homínibus, quos dedíſti mihi de mundo; Tui erant, & mihi eos dediſti : & ſermónem tuum ſervavérunt. Nunc cognovérunt, quia ómnia quæ dedíſti mihi, abs te ſunt. Quia verba, quæ dedíſti mihi, dedi eis : & ipſi accepérunt, & cognovérunt verè quia à te exívi, & credidérunt quia tu me miſíſti. Ego pro eis rogo : Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dedíſti mihi : quia tui ſunt : Et mea ómnia tua ſunt, & tua mea ſunt : & clarificátus ſum in eis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt : & ego ad te vénio. Pater Sancte, ſerva eos in nómine tuo, quos dedíſti mihi : ut ſint unum, ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſervábam eos in nómine tuo. Quos dedíſti mihi, cuſtodívi; & nemo ex eis périit, niſi filius perditiónis, ut *Scriptúra* impleátur. Nunc autem ad te vénio : & hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in ſemetípſis. Ego dedi eis ſermónem tuum, & mundus eos ódio hábuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & egò non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritáte. Sermo tuus, véritas eſt. Sicut tu me miſíſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctífico meípſum : ut ſint & ipſi ſanctificáti in véritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui creditúri ſunt per verbum eórum in me. Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint : ut credat mundus, quia tu me miſíſti. Et ego claritátem, quam dedíſti mihi, dedi eis : ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me : ut ſint conſummáti in unum & cognóſcat mundus quia tu me miſíſti, & dilexíſti eos, ſicut & me dilexíſti. Pa-

ter, quos dedísti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut vídeant claritátem meam, quam dedísti mihi: quia dilexísti me ante constitutiónem mundi. Pater juste, mundus te non cognóvit, ego autem te cognóvi: & hi cognovérunt, quia tu me misísti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum fáciam: ut diléctio, quâ dilexísti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi.

[Ex Matth. Marc. Luc.]

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem secum; & cœpit pavére, & tædére, contristári, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hìc, & vigiláte mecum. Et progréssus pusíllùm, pósitis génibus, orábat dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum à me: verúmtamen non mea vóluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans; & factus in agónia, prolíxiùs orábat, ut, si fieri posset, transíret ab eo hora. Et dixit: Abba, Pater, si posśíbile est, tránseat à me calix iste: ómnia tibi possibília sunt; transfer cálicem hunc à me: non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Lectâ Passione, dicitur

℣. Adorámus te, Christe, & benedícimus tibi;

℟. Quia per crucem tuã redemísti mundum.

Orémus.

DEus, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáïphæ, Piláti, & Heródis indecénter offérri; à falsis téstibus accusári, flagéllis & oppróbriis vexári sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine percúti, fácie velári, & véstibus éxui, cruci clavis affigi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle & acéto potári, & lánceâ vulnerári: Tu, Dómine, per has sanctíssimas

pœnas tuas, quas ego indígnus récolo, & per sanctam crucem & mortem tuam líbera * fámulum tuum *N.* [*vel* fámulam tuam *N.*] à pœnis inférni, & perdúcere dignéris, quò perduxísti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde dici poterunt Ps. 117. Confitémini Dómino, quóniam .... dicat nunc *pag.* 21. *Deinde Ps.* 118. Beáti immaculati *p.* 22. *usque ad primam Divisionem.*

Tres sequentes Orationes, singulæ cum Pater *&* Ave *à Sacerdote stante & aperto capite dicendæ sunt, quando ægrotus in ultimis positus est.*

Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.

Secretò Pater *&* Ave.

Orémus

DOmine Jesu Christe, per tuam sanctíssimam Agóniam, & oratiónem quâ orasti pro nobis in monte Olivéti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram; óbsecro te ut multitúdinem sudóris tui sanguínei quem præ timóris angústia copiosíssimè pro nobis effudísti, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti contra multitúdinem ómnium peccatórum hujus * fámuli tui *N.* [*vel* fámulæ tuæ *N.*] & líbera * eum [*vel* eam] in hac hora mortis ab ómnibus pœnis & angústiis, quas pro peccátis suis se timet meruísse; Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Rursus dicet Sacerdos

Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.

Secretò Pater *&* Ave.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignátus es in cruce, óbsecro te, ut omnes amaritúdines passiónum & pœnárum tuarum, quas pro nobis míseris peccatóribus sustinuísti in cruce, máximè in illa hora, quando sanctíssima Anima tua egréssa est de sanctíssimo córpore tuo, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus * fámuli tui *N.*

[*vel* fámulæ tuæ *N.*] & líbera * eum [*vel* eam] in hac hora mortis ab ómnibus pœnis & passiónibus quas pro peccátis suis se timet meruísse; Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tertiò dicet Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

Secretò Pater *&* Ave.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti: In caritáte perpétua diléxi te, ídeò attráxi te miserans, óbsecro te, ut eámdem claritátem tuam, quæ te de cœlis in terram, ad tolerándas ómnium passiónum tuárum amaritúdines, attráxit, offérre & osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus * fámuli tui *N.* [*vel* fámulæ tuæ *N.*] & líbera * eum [*vel* eam] ab ómnibus passiónibus & pœnis, quas pro peccátis suis timet se meruísse; & salva ánimam ejus in hac hora exitûs sui. Aperi ei jánuam vitæ, & fac * eum [*vel* eam] congaudére cum Sanctis tuis in glória ætérna. Tu, piíssime Dómine Jesu Christe, qui redemísti nos pretiosíssimo sánguine tuo * miserére ánimæ hujus, fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] & eam introdúcere digneris ad semperviréntia & amœna loca paradísi, ut vivat tibi amóre indivisíbili, qui à te & ab eléctis tuis nunquam separári potest; Qui cum Patre & Spíritu Sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Curabit Sacerdos ut moribundus, si possit, ter sanctissimum Jesu *nomen pronuntiet, quod si moribundus nequeat, illud ejus loco ipse pronuntiabit, & sæpe hæc verba repetere satagei.*

In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. *Ps.* 30.

Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. *Act.* 7.

Sancta Maria, ora pro me.

MARIA, Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis horâ súscipe.

Egressâ animâ, dicitur

℟. Subveníte, Sancti Dei, * Occúrrite, Angeli Dómini, suscipiéntes ánimam ejus, offeréntes eam in conspéctu Altissimi.

mi. ℣. Suſcípiat te Chriſtus, qui vocávit te, & in ſinum Abrahæ ángeli dedúcant te. * Occúrrite, ángeli Dómini, ſuſcipiéntes ánimam ejus, offeréntes eam in conſpéctu Altíſſimi.

Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, & lux perpétua lúceat ei. * Occúrrite, ángeli Dómini, ſuſcipiéntes ánimam ejus, offeréntes eam in conſpéctu Altíſſimi.

Kyrie, eléïſon.
Chriſte, eléïſon.
Kyrie, eléïſon.

Secretò Pater noſter.

Altâ voce ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Pſ.* 88.

℣. Requiéſcat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.


℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui, [*vel* fámulæ tuæ,] *N.* ut * defúnctus [*vel* defúncta] ſæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordiſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum.

℟. Amen.



OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Fit ritu vel Dupl. maj. vel Dupl. min. vel Simpl.

Si fiat ritu Duplicis-majoris, ad Vigilias dicitur Invitatorium & Psalm. Venite. *Tres Nocturni. Ultimum* ℟. Libera me, Dómine, ab iis. *Ad Laudes una tantùm Oratio.*

Si fiat ritu Duplicis-minoris, ad Vigilias omittitur Invitatorium & Psalm. Venite. *Tres Noct. Ultimum* ℟. Libera me, Dómine, à persequéntibus. *Ad Laudes tres Orationes.*

Si fiat ritu Simplicis, ad Vigilias omittitur Invitatorium & Psalm. Venite. *Unum tantùm Nocturnum secundùm Feriam. Ultimum* ℟. Libera me, Dómine, à persequéntibus. *Ad Laudes tres Orationes.*

Quocumque ritu fiat, hora qualibet inchoatur absolutè: in fine cujusque Psalmi & Cantici loco Glória *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, * Et lux perpétua lúceat eis. *Post Vesperas, si non continuò dicantur Vigiliæ, adduntur Preces & Orat. de Laudibus, infra pag.* cxlij. *cum Psalm.* Miserére. *Idem fit post Nocturn. si non continuò dicantur Laudes.*

AD VESPERAS

Ant. 3. O Dómine.

Psalmus 114.

DIléxi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni ; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : miséricors Dóminus, & justus * & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus ; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam, miséricors & justus Deus.

Ant. 2. Heu mihi.

Psalmus 119.

AD Dóminum cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est ! habitávi cum habitántibus Cedar : * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus ; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est !

Ant. 8. Auxílium.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum ; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc &

to : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi : semper hi erant corde ; ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : & lux perpétua lúceat eis.

IN I. NOCTURNO

Dominicâ, Feriâ IV. & Sabbato.

Ant. 7. Dómine.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine ; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo ;* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem :* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósũ abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam ;

Quóniam non est in ore eórum véritas ; * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant : * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis ; secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætántur omnes qui sperant in te : * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Dómine, deduc

tuárum, Dómine, ne despícias.

Continuò dicitur

Ant. 1. Omne.

CANT. B. M. VIRGINIS

Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultávit spíritus meus * in Deo Salutári meo:

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis, * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sæcula.

Ant. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam foràs. *Joan.* 6.

AD VIGILIAS

Invitat. Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

Psalmus 94.

VEníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo Salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes Deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos; quia ipse est Dóminus Deus noster, nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentatiónis in desért-

hi; * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Convértere, Dómine, úsquequò?

℟. Deprecábilis esto super servos tuos. *Psal.* 89.

Secretò, Pater. *Altâ voce* Et ne nos indúcas in tentatiónem:

℟. Sed líbera nos à malo. *Et sic ad cæteros Nocturnos.*

Lectiones leguntur sine Titulo & sine Benedictionibus.

Lectio j. Job. 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum? & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsieris, non subsístam.

In fine Lectionum nihil additur.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt * Dies mei sicut umbra declinavérunt.

℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies. *Psal.* 101. *Jac.* 4.

Lectio ij. Job. 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ: dimíttam advérsùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Nunquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárũ, & consílium impiórum ádjuves? Nunquid óculi cárnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu vidébis? Nunquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora; ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? & scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere. Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt

me totum in circúitu, & sic repéntè præcípitas me? Meménto, quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestísti me; óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valde; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis? ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Precor. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

Lectio iij. Job. 10.

QUare de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Nunquid non páucitas diérum meórum finiétur brevì? Dimítte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meum, ántequam vadam, & non revértar ad terram tenebrósam & opértam mortis calígine, terram misériæ & tenebrárum; ubi umbra mortis, & nullus ordo; sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum Salvatórem meum; consúrgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagéllat Dóminus omnem fílium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

IN II. NOCTURNO

Feriis II. & V.

Ant. 4. In médio.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimeam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix

meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine.

Ant. 8. Delícta.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua & doce me; * quia tu es Deus Salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ & ignorántias meas * ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto mei tu * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício; * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas; * requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum, * & testaméntum ipsius, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meì, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis

mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimitte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Isræl, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ant. 7. Miserére.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appropíant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meâm quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me: * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelínquas me, * neque

despícias me, Deus Salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Ant. Miserére meì, & exáudi me, Dómine, ne avértas fáciem tuam à me.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram,

℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

Lectio iv. Job 13.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta, scélera mea & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam siccam persékqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti; qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiámsi occíderit me, in ipso sperábo, & ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. * Etiámsi. *Job.* 13. *Rom.* 14.

Lectio v. Job. 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium. Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, nú-

merus ménsium ejus apud te est; constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis solvántur. ℣. Si quis superædíficat super fundaméntum, & opus ejus árserit, detriméntum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta ergo. 2. *Machab.* 12. 1. *Cor.* 3.

Lectio vj. Job. 14.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus in quo recordéris meî? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti: sed parce peccátis meis.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israël, * Audi nunc oratiónem mórtuórum Israël: noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum; sed meménto manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Audi nunc. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

IN III. NOCTURNO

Feriis III. & VI.

Ant. 2. Amove.

Psalmus 38.

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum.

Et númerum diérum meórum, quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos; * & substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo, * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecísti: * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego deféci in increpatiónibus, * propter iniquitátem corripuísti hóminem;

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meā, Dómine, & deprecatiónem meam, * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrinus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi ut refrígerer, priúsquàm ábeam, * & ampliùs non ero.

Ant. Amove à me plagas tuas, Dómine: áuribus pércipe lácrymas meas.

Ant. 3. Nunquid qui dormit.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * nunquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum: * fiat, fiat.

Ant. Nunquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, & resúscita me.

Ant. 8. Sitivit.

Psalmus. 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulántis.

Quare tristis es ânima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * Salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ânima mea conturbáta est; * proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contristátus in-

cédo, dum affligit me inimicus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tribulant me inimici mei;

Dum dicunt mihi per singulos dies: * Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * Salutare vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: quando véniam & apparebo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea, & quare contúrbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc con fitebor illi. *Ps.* 41.

Lectio vij. Job. 16 & 17.

BReves anni tránseunt; & sémitam per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Libera me, Dómine, & pone me juxta te; & cujúsvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra resurrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et in. *Job* 19. 1. *Cor.* 15.

Lectio viij. Job. 17.

DIes mei transiérunt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est; & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, & patiéntiam meam quis considerat?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilabunt álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut videant semper.

℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. * Evigilábunt. *Dan.* 12. 1. *Cor.* 15.

Lectio ix. Job. 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt

tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo & plumbi láminâ, vel celte sculptántur in sílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: & rursum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum; quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, à persequéntibus me. * Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: me expéctant justi donec retríbuas mihi. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David, ádjuva me. * Educ. *Ps.* 141. *Matth.* 15.

Si fiat Duplex-majus

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: non absórbeat me profúndum, neque úrgeat super me púteus os suum: * Exáudi me, quóniam † Benígna est misericórdia tua: ¶ Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Dómine Deus, Rex sæculórum, solus pius es. * Exáudi.

℣. Miserére meî, Dómine Fili David, Dómine ádjuva me. † Benígna.

℣. Propósuit te Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum. ¶ Inténde.

℟. Líbera *usque ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 15. *Rom.* 3.

AD LAUDES

Ant. 7. Secúndùm.

Psalmus 50.

MIserére meî, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárũ * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor, * lavábis me & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam Salutáris tui; * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium dedíssem útique: * holocáustis non lectáberis.

Sacrifícium Deo [...] tus contribulátus: [...] contrítum & humiliá[...] Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dó[...] in bona voluntát[...] Sion, * ut ædificéntu[...] ri Jerúsalem.

Tunc acceptábis [...] fícium justítiæ, obla[...] & holocáusta: * tu[...] pónent super altáre [...] vítulos.

Ant. Secúndùm m[...] dinem miseratiónum [...] dele iniquitátem mea[...]

Ant. 8. Exáudi, [...]

Psalmus 64.

TE decet hym[...] Deus, in Sion; [...] tibi reddétur votum i[...] rúsalem.

Exáudi oratiónem [...] * ad te omnis caro v[...]

Verba iniquórum [...] valuérunt super nos [...] impietátibus nostri[...] propitiáberis.

Beátus quem ele[...] & assumpsísti; * inh[...] bit in átriis tuis.

Replébimur in [...] domûs tuæ; * sancti[...] templum tuum, mi[...] in æquitáte.

Exáudi nos, De[...] lutáris noster, * spe[...]

nium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ; * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum, * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt ariétes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi, Deus, oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

Ant. 1. Collocávit.

Psalmus 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi; * & anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum: meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Collocávit me in obscuris sicut mórtuos sæculi, & anxiátus est super me spíritus meus.

Ant. 4. Miserére.

Canticum Baruch. 3.

DOmine omnípotens, Deus Israël, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es misericors; * & miserére nostrì, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * & nos peribimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israël, * audi nunc oratiónem mortuórum Israël,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, * sed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miserére, quia Deus es miséricors, miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Ant. 7. Omnis spíritus.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in Sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono túbæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cym-

balis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis spíritus laudet Dominum.

Ant. 1. Ego sum.

Canticum Zachariæ
Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Israël; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi:

In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, Puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri,* in quibus visitávit nos óriens ex alto.

Illumináre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent; * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Ant. 1. Ego sum resurréctio & vita: qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet: & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

PRECES.

KYrie, eleïson, Christe, eleïson, Kyrie, eleïson.

Secretò Pater. *altâ voce* Et ne nos.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meî,

℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam,

℟. Tu & arca sanctificatiónis tuæ. *Ps.* 131.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi,

℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. In memória ætérna erunt Justi :

℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Ps.* 11.

℣. A porta ínferi

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini

℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Deinde dicitur Psal.129. De profúndis. *pag.*cxlviij.

Post Vesperas & Vigilias Ps. 50. Miserére *p.* clxj.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum

℟. Et cum spíritu tuo.

Pro Pontifice

Oratio

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecísti dignitáte vigére; præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum.

Pro Sacerdote

Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quem in hoc sæculo commorántem, sacris munéribus decorásti, in cœlésti sede gloriósâ semper exúltet. Per Dóminum.

Pro Defuncto & pluribus Defunctis

Oratio

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam [*vel* ánimas famulórum tuórum quas] de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem [consórtes.] Per Dóminum.

Pro Diacono, post Litteram N. *additur* Diáconi. *Pro Subdiacono, additur* Subdiáconi.

Pro Defuncta Oratio

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

In Anniversariis

Oratio

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ fámuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontíficis] *vel* fámulæ tuæ N. cujus

[*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum] *vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem. Per Dóminum.

¶ *Si fiat Duplex-minus aut Simplex, sequentes Orationes dicuntur*

DEus véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtiū pervenire concédas.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

Pro Patre & Matre.
Oratio

DEus qui nos patrem & matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus patris mei & matris meæ, eorúmque peccáta dimítte; meque cum illis in ætérnæ claritátis gáudio fac vívere. Per Dóminum.

PSALMI GRADUALES.

Psalmus 119. Ad Dóminum cum tribulárer clamávi *pag.* cxlvij.

Psalmus 120. Levávi óculos meos in montes *ibidem.*

℣. Réquiem ætérnam dona eis Dómine,

℟. Et lux perpétua lúceat *eis.*

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * in domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem:

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſraël, ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæsívi bona tibi.

Pſalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum;

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ: * ità óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrì, Dómine, miſerére noſtrî; * quia multùm repléti ſumus deſpectióne:

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra, * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

℟. Réquiem.

Pſamus 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: * niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutiſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos; * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra, * fórſitan pertransíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini * qui fecit cœlum & terram.

Pſalmus 124.

QUi confídunt in Dómino ſicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Jerúſalem:

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli ſui, ex hoc nunc.

nunc & usque in sæculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

℣. Réquiem.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes mánipulos suos.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris, cùm déderit diléctis suis somnum.

Ecce hæréditas Dómini, * fílii merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

℣. Réquiem. *Psal.* 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu

mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Psalmus 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus * concídet cervíces peccatórũ.

Confundántur & convertántur retrórsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priúsquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam, qui metit; * & sinum suum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini. ℣. Réquiem.

Psalmus 129. De profúndis *pag.* cxlviij.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltatum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

℣. Réquiem.

Psalmus 131.

MEménto, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob.

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in

Ephráta : * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam ; * & sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filii tui testaméntum meum : * & testimónia mea hæc quæ docébo eos :

Et filii eórum usque in sæculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi ; * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam *Salutári* ; * & *sancti* ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David ; * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne ; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Psalmus 132.

Ecce quàm bonum & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum !

Sicut unguéntum in cápite ; * quod descéndit in barbam, barbam Aáron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus ; * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in sæculum.

℣. Réquiem.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri :

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion : * qui fecit cœlum & terram.

℣. Réquiem.

Preces de Laudibus.

Defunctorum cum orationibus solitis, sine Psalmo De profúndis *aut* Miserére.

COMMENDATIO COMMUNIS
ANIMARUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

℟. DOmine, omnípotens, Deus Iſraël, * Audi nunc oratiónem mortuórum Iſraël. Noli memin iſſe iniquitátum patrum noſtrórum, ſed meménto manûs tuæ & nóminis tui.

℣. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in sánguine tuo. * Audi. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Kyrie, eléïſon, Chriſte, eléïſon, Kyrie, eléïſon.

Secretò Pater noſter. *altâ voce* Et ne nos.

Oratio

TIbi, Dómine, commendámus ánimas * famulórum tuórum, famularúmque tuárum ut defúncti ſæculo, tibi vivant: & quæ per fragilitátem mundánæ converſatiónis peccáta commiſérunt, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſtérge. Per Chriſtum.

℟. Amen

Orémus.

MIſericórdiam tuam, Dómine, ſancte Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis afféctu rogáre pro áliis cógimur, qui pro noſtris rogáre peccátis nequáquam ſufficimus, tamen de tua confiſi gratúita pietáte & inólita benignitáte, cleméntiam tuam depóſcimus, ut ánimas famulórum tuórum & famulárum tuárum, ad te reverténtes cum pietáte ſuſcípias: adſit eis Angelus teſtaménti tui Michaël, & per manus ſanctórum angelórum tuórum inter ſanctos & eléctos tuos in ſínibus Abrahæ, Iſaac & Jacob Patriarchárũ tuórũ eas collocáre dignéris: quátenus liberátæ de princípibus tenebrárum, & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis ſeu fragilitátis confundántur erróribus, ſed agnoſcántur à ſanctis tuis, & beatitúdinis réquie perfruántur: atque cùm magni judícii dies advénerit, inter ſanctos & eléctos tuos reſuſcitá-

táti, glóriâ maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuò satiéntur.

Ant. 7. Qui timent.

Psalm. 113. In éxitu Israël *pag.* 35. Réquiem.

Ant. Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; adjútor eórum & protéctor eórum est.

Orémus

OMnípotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es, dum te jubénte, pulvis in púlverem revértitur; tu imágines tuas cum sanctis & eléctis tuis ætérnis sédibus præcípias sociári, eásque ad te reverténtes de Ægypti pártibus blandè lenitérque suscípias, & ángelos tuos sanctos eis óbviam mittas: viámque illis justítiæ demónstra, & portas glóriæ tuæ áperi. Repélle, quæsumus, Dómine, ab eis omnes príncipes tenebrárum, & agnósce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúras tuas, non à diis aliénis creátas, sed à te solo Deo vivo & vero, quia non est álius Deus præter te, Dómine, & non est secúndùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimas servórum tuórum, & clarífica eas in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum eórum antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii: licèt enim peccáverint tamen te non negavérunt, sed signo fidei insigníti, te qui, & ómnia, & eos inter ómnia fecísti, fidéliter adoravérunt. Qui vivis & regnas.

Ant. 8. Circumdedérũt.

Psal. 114 Diléxi *p.* 64.

Psalmus 115. Crédidi *pag.* 131.

Psalmus 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes *pag.* 171.

Psalmus 117. Confitémini *pag.* 21.

Psalmus 118. Beáti immaculáti *pag.* 22. *cum divisionibus* : *in fine psalmorum* Réquiem.

Ant. Circumdedérunt me dolóres mortis, & perícula inférni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114.

Orémus

DIri vúlneris novitáte percússi, & quodam modo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus

vócibus implorámus; ut carórum nostrórum ánimas ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtes, blandè lenitérque suscípias, & quas ex carnáli commoratióne contraxérunt máculas, tu Deus, inólitâ bonitáte cleménter déleas, piè indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas, atque has laudes tibi cum cæteris redditúras, & ad córpora quandóque reversúras, sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias, Qui cum Deo Patre & Spíritu.

Secretò Pater. *altâ voce* Et ne nos.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine,

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Animæ eórum in bonis demoréntur,

℟. Et semen eórum hæréditet terram. *Ps.* 24.

℣. Non intres in judícium cum servis tuis, Dómine,

℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. A porta ínferi

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneant, vitámque ætérnam habére mereántur in cœlis. Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi, qui vivis.

Orémus.

DEus cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem, præsta, quæsumus, ut ánimæ famulórum tuórum, terrénis exútæ contágiis, in tuæ Redemptiónis parte numeréntur. Qui vivis.

Orémus. Fidélium *pag.* cxliij.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.



BENEDICTIO MENSÆ

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

Glória. Kyrie, eléïson: Christe, eléïson: Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster. *altâ voce* Et ne nos.

Orémus

BEnedic, Dómine, nos & hæc dona tua quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum.

Si fiat Lectio, Lector dicit Jube, Dómine, bene dícere.

Benedict. Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO

Post Prandium.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & sancti tui benedícant tibi. Glória. *Ps.* 144.

Qui benedixit mensam, dicit

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis beneficiis tuis. Qui vivis.

Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Psalm. Miserére.

Si verò non procedatur, dicitur Psalmus Laudáte Dóminum, omnes gentes. Glória.

Kyrie. Pater noster.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus:

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore:

℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea;

℟. Audiant mansuéti & læténtur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum,

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini

benedíctum,

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. *Ps.* 112.

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Mediocri voce ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ
ANTE CŒNAM.

Benedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes & saturabúntur, & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum, vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória. *Psalm.* 21.

Kyrie. Pater noster. *ut supra.*

Orémus. Bénedic, Dómine, *ut supra.*

Ad Benedictionem Lectoris

Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO
POST CŒNAM.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

Glória Patri.

Qui benedixit Mensam dicit

Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit.

Psalmi & reliqua ut post Prandium.

In Jejuniis, ad Refectionem fit Benedictio Mensæ & Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.

ITINERARIUM.

Viator in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari: si cum sociis in plurali, ut sequitur

In Cant. Bened. *p.* 19.

Ant. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ra-

phaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria.

PRECES

KYrie, eléïson, Christe, eléïson, Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster. *altâ voce* Et ne nos.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto,

℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis,

℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis,

℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie:

℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis,

℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ

℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in diréсta,

℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te,

℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *ps.* 101.

Orémus

DEus, qui filios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandísti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquillum, ut Angelo sancto tuo cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum pervenire feliciter valéamus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custódire dignéris: esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium,

in æstu umbráculum, in plúvia & frigore tegu-méntum, in lassitúdine ve-hículum, in adversitáte præsídium, in lúbricò bá-culus; in naufrágio portus, ut, te duce, quò téndi-mus, prósperè perveniá-mus; & demum incólu-mes ad própria redeámus.

ADesto quæsumus, Dómine, supplica-tiónibus nostris, & viam famulórum tuórum in sa-lútis tuæ prosperitáte dis-póne, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per vitam sa-lútis incédat; & beáti Joánnis præcusóris hor-taménta sectándo, ad eum quem prædíxit secúra per-véniat, Dóminum no-strum Jesum Christum Fi-lium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM,

Ad libitum Sacerdotis.

Psalmus 83. Quàm di-lécta *pag.* 127.

Psalmus 84. Benedixísti *pag.* 74.

Psalmus 85. Inclina, Dómine *cum sua divisione* pag. 184.

Psalmus 115. Crédidi pag. 131.

Ps 129. De profúndis *p.* 111. *In fine Pss.* Glória.

Ant. Dómine, memor esto meì; & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea. *Tob.* 3.

P R E C E S

KYrie, eléison,
Christe, eléison,
Kyrie, eléison.

Secretò Pater noster: *altâ voce* Et ne nos.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meì:

℟. Sana ánimam meã. quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dó-mine, úsquequò?

℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,

℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui in-duántur justítiam,

℟. Et Sancti tui exúl-tent. Ps. 131.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine,

℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

Orémus

AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ Sancti Spíritûs illúmina cor noſtrum, ut tuis myſtériis dignè miniſtráre teque ætérnâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum, purífica per infuſiónem Sancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri, ut te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne Sancti Spíritûs renes noſtros & cor noſtrum, Dómine, ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs Sancti, quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti, da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo purífica; ut véniens Dóminus noſter Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem, Qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúſdem Spíritûs Sancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

Orationes ſequentes pro opportunitate Sacerdotis ante celebrationem & communionem dicendæ.

Oratio S. Ambroſii Epiſ.

DIE DOMINICA.

SUmme Sacérdos & vere Póntifex Jeſu Chriſte, qui te obtulíſti Deo Patri in ara crucis hóſtiam puram & immaculátam pro nobis míſeris peccatóribus, & qui de-

dísti nobis carnem tuam ad manducándum, & Sánguinem tuum ad bibéndum, & posuísti mystérium illud in virtúte Spíritûs Sancti, dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis. Rogo per sanguinem tuum pretiósum, magnum salútis nostræ prétium. Rogo per hanc miram & ineffábilem caritátem tuam, quâ nos míseros, & indígnos sic amáre dignátus es: ut laváres nos à peccátis nostris in Sánguine tuo: Doce me indígnum servum tuum, quem inter cætera dona tua ad officium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis, sed solâ dignatióne misericórdiæ tuæ: Doce me, quæso, per Spíritum Sanctum tuum, tantum tractáre mystérium, eâ reveréntiâ & honóre, eâque devotióne & timóre, quibus opórtet, & decet. Fac me, Dómine Jesu Christe, per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere & intellígere, sentíre & firmiter retinére, dícere & cogitáre, quod tibi placet, & éxpedit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strépitu verbórum loquátur veritátem tantórum mysteriórum: Profúnda sunt quippe nimis, & sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi hódie & semper Missárum solémnia pura corde & pura mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis, & nefándis, vanis & obnóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórũ piâ & fidâ tutélâ atque fortíssimâ custódiâ, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant per virtútem tanti mystérii, & per manum sancti Angeli tui. Repélle à me, Dómine, Jesu Christe, & à cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiæ, cenodóxiæ, invídiæ, iracúndiæ, fornicatiónis & immundítiæ, dubietátis & blasphémiæ. Confundántur qui me persequúntur: péreant illi qui pérdere cuncta festínant.

FERIA SECUNDA.

Rex virtútum, castitátis & integritátis amátor Deus, cæléstí rore benedictiónis tuæ ex-

tíngue in córpore meo totum fómitem ardéntem libídinis, ut máneat in me tenor totius castitátis ánimæ & córporis. Mortífica in me carnis stímulos, omnésque libídinis commotiónes, & da mihi veram & perpétuam castitátem cum cæteris donís tuis, quæ tibi placent in veritáte, ut Sacrificium laudis casto córpore & mundo corde quotídie váleam tibi offérre. Quantâ enim, Dómine, Jesu Christe, cordis contritióne & lacrymárum fonte, quantâ reveréntiâ & tremóre, quantâ córporis castitáte, & ánimæ puritáte istud divínum & cœléste Sacrificium est celebrándum: ubi Caro tua in veritáte súmitur: ubi Sanguis tuus in veritáte bíbitur: ubi summis ima conjungúntur: ubi adest sanctórum præséntia Angelórum: ubi tu es Sacérdos, & Sacrificium mirabíliter & ineffabíliter constitútus.

FERIA TERTIA.

Quis dignè hoc celebráre mystérium potest, nisi tu Deus Omnípotens offeréntem féceris dignum? Scio, & verè scio, & ípsum pietáti tuæ confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium, propter nímia peccáta mea, & infinítas negligéntias meas. Sed scio veráciter, & credo ex toto corde meo, & ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, & de peccatóribus justos facis & sanctos. Per hanc Omnipoténtiam tuam te rogo, ut concédas mihi peccatóri hoc cœléste Sacrifícium celebráre cum timóre & tremóre, cum cordis puritáte, lacrymárum fonte, cum lætítia spirituáli, & cœlésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, & excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

FERIA QUARTA.

Ego enim, Dómine, memor venerándæ Passiónis tuæ accédo ad Altáre tuum, licèt peccátor, ut ófferam tibi Sacrifícium, quod tu instituísti, & offérri præcepísti in commemoratiónem tuî pro salúte nostra.

Súscipe ergo istud, quæso summe Deus, dulcissime Jesu Christe, pro Ecclésia tua sancta, & pro cuncto pópulo tuo, quem acquisísti Sánguine tuo pretióso. Et quóniam me peccatóré inter te & eúmdem pópulum, médium esse voluísti, licet in me boni óperis testimónium non agnóscas, officium saltem dispensatiónis créditæ non recúses, nec per me indígnum fámulum tuum eórum salútis péreat prétium pro quibus víctima factus salutáris, dignátus es esse redémptio. Prófero ergo, Dómine (si dignáris propítius intuéri) tribulatiónes plébium, pericúla populórum, captivórum gémitus, misériam orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, deféctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, lamenta viduárum.

FERIA QUINTA.

TU enim miseréris ómnium, Dómine, & nihil odísti eórum quæ fecísti. Memoráre quæ sit nostra substántia, quia tu Pater noster es, ne irascáris nobis, neque multitúdinem víscerum tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatióbus nostris prostérnimus preces nostras ante fáciem tuã, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer à nobis, Dómine, iniquitátes nostras: & ignem Sancti Spirítûs in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra, & da nobis cor cárneum, quod te tímeat, díligat, & honoríficet, te delectétur, te sequátur, & te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam sacri tui Nóminis officia præstolántem aspícere dignéris: Et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse audíre propítius, & exaudíre delectéris. Rogámus étiam te, sancte Pater, pro spirítibus fidélium defunctórum, ut sit illis salus ætérna, ac perpétua sánitas, gáudium & refrigérium sempitérnum, hoc magnum pietátis Sacraméntum: Dómine, Deus meus, sit illis hódie magnum & plenum gáudium de te pane

vivo & vero, qui de cælo descendísti, & das vitam mundo, de Carne sancta & benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccátum mundi; & potári de fonte pietátis tuæ, qui per lánceam mílitis de látere emanávit crucifixi Dómini nostri, ut consoláti exúltent in laude & glória tua sancta.

FERIA SEXTA.

PEto, Dómine cleméntiam tuam, ut descéndat super hunc panem & cálicem istum plenitúdo tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa Spíritûs Sancti tui invisíbilis forma, & incomprehensíbilis Majéstas, sicut quondam in Patrum hóstias descendébat: qui & oblatiónes nostras Corpus & Sánguinem tuum effíciat, & me indígnum Sacerdótem tuum dóceat, tantum tractáre mystérium, ita ut plácidè & benígnè suscípias Sacrifícium de mánibus meis, ad salútem ómnium tam vivórum, quàm defunctórum. Rogo te, Dómine, per ipsum Sacro-sánctum mystérium Córporis & Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur & potámus, ablúimur & sanctificámur, atque uníus tuæ summæ Divinitátis partícipes efficimur: quátenùs des mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bonâ consciéntiâ ad Altáre tuum accédam, ita ut hæc cœléstia Sacraménta efficiántur mihi salus & vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto & benedícto: Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita: &, Qui mandúcat me, vivet propter me: ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

SABBATO.

PAnis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana ab omni langóre, ut nullam præter te séntiat dulcédinem; nullam præter te amet pulchritúdinem. Panis candidíssime, habens in te omne delectaméntum, & omnis sapóris suavitátem: qui nos semper réficis, comedat te cor meum & dulcédine sapóris tui reple-

ántur víscera ánimæ meæ. Mandúcat te ángelus pleno ore in pátria: mandúcat te peregrínus homo pro módulo suo, ne defíciere possit in via, tali recreátus Viático. Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendísti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omní inquinaménto carnis & spíritûs. Intra in ánimam meam: sana & sanctífica me intériùs, & extériùs. Esto tutámen & perpétua salus córporis & ánimæ meæ. Repélle à me insidiántes mihi hostes: recédant procul à præséntia tua, ut foris & intùs per te munítus recto trámite ad regnum tuum pervéniam; ubi non mystériis sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad faciem te vidébimus, cùm tradíderis regnum Deo Patri, & erit Deus ómnia in ómnibus. Tunc me de te satiábis satietáte mirificâ, ut neque esúriam, nec sítiam in ætérnum; Qui cum eódem Deo Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculórum.
Amen.

Alia Oratio ante Missam.

AD mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine, Jesu Christe, ego peccátor de própriis méritis nihil præsúmens, sed de tua confidens misericórdia & bonitáte, accédere véreor & contremísco. Nam cor & corpus hábeo multis crimínibus maculátum; mentem & linguam non cautè custóditam. Ergo ô pia Déitas, ô treménda Majéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio: & quem júdicem sustinére néqueo, Salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo: Tibi verecúndiam meam detego. Scio peccáta mea multa & magna, pro quibus tímeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est númerus. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine, Jesu Christe, Rex ætérne, Deus & homo, Crucifixus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te; miserére mei pleni misériis & peccátis, tu qui

fontem miseratiónis nunquam manáre cessábis. Salve salutáris víctima, pro me & omni humáno génere in patíbulo Crucis obláta. Salve nóbilis & pretióse Sanguis, de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, & peccáta totíus mundi abluens. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo Sánguine redemísti. Pœnitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo à me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes & peccáta mea; ut purificátus mente & córpore, dignè degustáre mérear Sancta Sanctórum: & concéde; ut sancta prælibátio Córporis & Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque & córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio.

℟. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

O Mnípotens sempitérne Deus, ecce accédo ad Sacraméntum Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, accédo tanquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper & egénus ad Dóminum cœli & terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenùs meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem: ut panem angelórum, Regem regum, Dóminum dominántium tanta suscípiam reveréntiâ & humilitáte, tantâ contritióne & devotióne, tantâ puritáte & fide, tali propósito & intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Domínici Córporis & Sánguinis non solùm suscípere Sacraméntum, sed étiam rem & virtútem Sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi Corpus Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod

traxit de Vírgine María, sic suscípere, ut Córpori suo mystico méreat incorporári, & inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuò contemplári: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, Per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

GRATIARUM ACTIO

POST MISSAM.

Psalmus 22. Dóminus regit me *pag.* 128.

Psalmus 33. Benedícam Dóminum *cum sua divisione* pag. 128.

Psalmus 102. Bénedic ánima mea, & ómnia *cum sua divisione pag.* 106.

In fine Psal. Glória.

Ant. O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cælo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes. *Sap* 12. & 16. *Luc.* 1.

PRECES

Kyrie, eléïson, Christe, eléïson, Kyrie, eléïson.

Secretò Pater noster. *alta voce* Et ne nos.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus:

℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus?

℟. Aut fílius hóminis quóniam vísitas eum. *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea;

℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis,

℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndùm verbum tuum in pace:

℟. Quia vidérunt óculi mei Salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam,

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Orémus

Vísita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam,

& corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte, ut remédia salútis ætérnæ, quæ te miseránte percípiunt, te protegénte custódiant.

QUæsumus, Dómine Deus noster, ut quos divína tribuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis.

COgnóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem: & ideò fiduciálius implorámus, ut quos páscere non désinis imméritos, & dignè tibi servíre perfícias, & donis uberióribus persequáris.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis efféctus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere, ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus, ut qui officium sacerdotále suscépimus dignè ac devótè tibi in omni puritáte & consciéntia bona famulári valeámus: & si non póssumus in tanta innocéntia vitæ consérvári ut debémus, concéde nobis tamen dignè flére mala quæ géssimus, & in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito tibi ferventiùs de cætero deservíre. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orationes post celebrationem, & communionem.

Oratio S. Thomæ de Aqui.

GRátias tibi ago, Dómine, sancte Pater omnípotens, ætérne Deus, qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum, nullis méritis, sed solâ dignatióne misericórdiæ tuæ, satiáre dignátus es pretióso Córpore & Sánguine Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi. Et precor ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, & scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ & li-

bídinis exterminátio, caritátis & patiéntiæ, humilitátis & obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium quàm invisibílium firma defénsio: mótuum meórum tam carnálium, quàm spirituálium, perfécta quietátio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummátio. Et precor te ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris: ubi cum Fílio tuo & Spíritu Sancto, sanctis tuis es lux vera, satiétas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta, & felícitas perfécta: Per eúmdem.

Alia Oratio S. Bonaven.

TRansfige, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas & víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, verâ, serenâque & apostólicâ sanctíssimâ caritáte, ut lángueat & liquéfiat ánima mea solo semper amóre & desidério tuî; te concupíscat, & defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi, & esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum, supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem & sapórem, & omne delectaméntum suavitátis: Te, in quem desíderant ángeli prospícere, semper esúriat & cómedat cor meum, & dulcédine sapóris tui, repleántur víscera ánimæ meæ: Te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ & sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domûs Dei: Te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, te loquátur, & ómnia operétur in laudem & glóriam nóminis tui, cum humilitáte & discretióne, cum dilectióne & delectatióne, cum facilitáte & affectu, cum perseverántia usque in finem; & tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies & tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus,

dulcédo mea, cibus meus, reféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa & firma & immobíliter semper sit radicáta mens mea, & cor meum. Amen.

Rithmus S. Thomæ ad Sacram Eucharistiam.

ADORO te devótè, latens Déitas,
Quæ sub his figúris verè látitas.
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans, totum déficit.

VISUS, tactus, gustus, in te fállitur;
Sed audítu solo tutò créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc verbo veritátis vérius.

IN cruce latébat sola Déitas,
At hîc latet simul & Humánitas.
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.

PLAGAS sicut Thomas non intúeor:
Deum tamen meum te confíteor.
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini;
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere!

PIE Pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine,
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.

JESU quem velátum nunc aspício,
Oro fiat illud, quod tam sítio,
Ut te revelátâ cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ.
Amen.



LITANIÆ DE NOMINE JESU.

KYrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére.
Jesu Fili Dei vivi, miserére nobis.
Jesu, splendor Patris, miserére nobis.
Jesu Fili Maríæ, miserére.
Jesu rex glóriæ, miserére.
Jesu sol Justítiæ, miserére.
Jesu lux vera, miserére.
Jesu Deus fortis, miserére nobis.
Jesu Deus pacis, miserére nobis.
Jesu Deus noster, miserére nobis.
Jesu auctor vitæ, miserére nobis.
Jesu magni consílii Angele, miserére.
Jesu admirábilis, miserére nobis.
Jesu potentíssime, miserére nobis.
Jesu patientíssime, miserére nobis.
Jesu obedientíssime, miserére nobis.
Jesu mitis & húmilis corde, miserére.
Jesu amátor castitátis, miserére nobis.
Jesu amátor noster, miserére nobis.
Jesu refúgium nostrum, miserére nobis.
Jesus thesáurus Fidélium, miserére nobis.
Jesu bone Pastor, miserére nobis.
Jesu sapiéntia ætérna, miserére nobis.
Jesu bónitas infiníta, miserére nobis.
Jesu exémplar virtútum, miserére nobis.
Jesu via, véritas, & vita

nostra, miserére.

Jesu gáudium Angelórum, miserére nobis.

Jesu rex Patriarchárum, miserére nobis.

Jesu inspirátor Prophetárum, miserére.

Jesu magíster Apostolórum, miserére.

Jesu Doctor Evangelistárum, miserére.

Jesu fortitúdo Mártyrum, miserére nobis.

Jesu lumen Confessórum, miserére nobis.

Jesu sponse Vírginum, miserére nobis.

Jesu coróna Sanctórum ómnium, miserére.

Propítius esto, parce nobis, Jesu.

Propítius esto, exáudi nos, Jesu,

Ab omni peccáto, líbera nos, Jesu.

Ab ira tua, líbera.

Ab insídiis diáboli, líbera.

A transgressióne mandatórum tuórum, líbera.

A peste, fame & bello, líbera nos, Jesu.

A morte perpétua, líbera.

Per Incarnatiónem tuam, líbera nos, Jesu.

Per Nativitátem tuam, líbera nos, Jesu.

Per Circumcisiónem tuam líbera nos, Jesu.

Per Infántiam tuam, líbera nos, Jesu.

Per sanctíssimam vitam tuam, líbera nos, Jesu.

Per labóres tuos, líbera.

Per flagélla tua, líbera.

Per mortem tuam, líbera.

Per Resurrectiónem tuam, líbera nos, Jesu.

Per Ascensiónem tuam, líbera nos, Jesu.

Per gáudia tua, líbera.

Per glóriam tuam, líbera.

Per dulcíssimam matrem tuam, líbera nos.

Per intercessiónem ómniũ Sanctórum tuórum, líbera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Jesu,

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Jesu.

Kyrie, eléïson,

Christe, eléïson,

Kyrie, eléïson.

Secreto Pater noster, *altâ voce* Et ne nos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam:

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Oratio

DEus qui gloriosíssimum nomen Jesu Christi Filii tui Dómini

nostri fecisti fidélibus tuis summo suavitátis afféctu amábile, & malignis spirítibus treméndum atque terríbile: concéde propítius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devótè venerántur in terris, sanctæ consolatiónis dulcédinem in præsénti percípiant, & in futúro gáudium exultatiónis & interminábilis beatitúdinis obtíneant in cœlis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

LITANIÆ DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Kyrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Panis vive, qui de cœlo descendísti, miserére.
Deus abscóndite, & Salvátor, miserére nobis.
Fruméntum electórum, miserére nobis.
Vinum gérminans vírgines, miserére nobis.
Panis pinguis & delíciæ regum, miserére nobis.
Juge sacrificium, miserére nobis.
Oblátio munda, miserére.
Agnus absque mácula, miserére nobis.
Mensa puríssima, miserére nobis.
Angelórum esca, miserére nobis.
Manna abscónditum, miserére nobis.
Memória mirabílium Dei, miserére nobis.
Panis supersubstantiális, miserére nobis.
Verbum caro factum, miserére nobis.
Hábitans in nobis, miserére nobis.
Hóstia sancta, miserére.
Calix benedictiónis, miserére nobis.
Mystérium fidei, miserére.

Præcélsum

Præcélsum & venerábile Sacraméntum, miser.
Sacrificium ómnium sanctíssimum, miserére.
Verè propitiatórium pro vivis & defúnctis, mis.
Cœléste Antídotum, quo à peccátis præservámur, miserére nobis.
Stupéndum supra ómnia Miráculum, miserére.
Sanctíssima Domínicæ Passiónis commemorátio, miserére nobis.
Donum transcéndens omnem plenitúdinem, miserére nobis.
Memoriále præcípuum Divíni amóris, miserére nobis.
Divínæ affluéntia largitátis, miserére nobis.
Sacrosánctum & augustíssimum mystérium, miserére nobis.
Treméndum ac vivíficum Sacraméntum, miserére nobis.
Panis omnipoténtiâ Verbi Caro factus, mis.
Incruéntum sacrificium, miserére nobis.
Cibus & conviva, miserére nobis.
Dulcíssimum convívium, cui assístunt Angeli ministrántes, miserére.
Sacraméntum pietátis, miserére nobis.
Vínculum caritátis, miserére nobis.
Offerens & oblátio, miserére nobis.
Spirituális dulcédo in próprio fonte degustáta, miserére nobis.
Reféctio animárum sanctárum, miserére nobis
Viáticum in Dómino moriéntium, miserére.
Pignus futúræ glóriæ, miserére nobis.
Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exáudi nos, Dómine.
Ab indígna Córporis & Sánguinis tui sumptióne, líbera nos.
A concupiscéntia carnis, líbera nos, Dómine.
A concupiscéntia oculórum, líbera nos.
A supérbia vitæ, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccándi occasióne, líbera nos.
Per desidérium illud quo hoc pascha cum discípulis manducáre desiderásti, líbera.
Per summam humilitátem, quâ discipulórum pedes lavásti, líbera nos, Dómine.
Per ardentíssimam caritátem, quâ hoc divínum Sacraméntum in-

tituísti, líbera.

Per Sanguinem tuum pretiósum, quem nobis in Altári reliquísti, líbera nos, Dómine.

Per quinque vúlnera hujus tui Córporis sacratíssimi, quæ pro nobis suscepísti, líbera.

Peccatóres, Te rogámus, audi nos.

Ut nobis fidem, reveréntiam & devotiónem hujus admirábilis Sacraménti augére & conserváre dignéris, Te rogámus audi nos.

Ut ad frequéntem usum Eucharístiæ per veram peccatórum confessiónem nos perdúcere dignéris, Te rogámus, audi nos.

Ut nos ab omni hæresi, perfidia, ac cordis cæcitáte liberáre dignéris, Te rogámus, audi nos.

Ut Sanctíssimi hujus Sacraménti pretiósos & cœléstes fructus nobis impertíri dignéris, te rogámus, audi nos

Ut in hora mortis nostræ hoc cœlésti Viático nos confortáre & munire dignéris, te rogámus, audi nos.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.

Agnus Dei qui tollis peccáta mundi, miserére.

Christe, audi nos. Christe, exáudi nos. Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

Secreto Pater noster.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Oratio

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti; tribue, quæsumus, ita nos Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculórum. Amen.



LITANIÆ
DE BEATA VIRGINE
In Æde Loretana dici solitæ.

KYrie, eléïson.
Christe, eléïson.
Kyrie, eléïson.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora.
Sancta Dei Génitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora pro nobis.
Mater divínæ grátiæ, ora pro nobis.
Mater puríssima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amabílis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora pro nobis.
Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora pro nobis.
Rosa mystica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœdéris arca, ora.
Jánua cæli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Consolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Christianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum,

ora pro nobis.
Regína Apoſtolórum, ora pro nobis.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confeſsórum, ora pro nobis.
Regína Vírginum, ora.
Regína ſanctórum ómnium, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miſerére nobis.
Chriſte, audi nos. Chriſte, exáudi nos. Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.
Antiphonæ, Verſus & Orationes ut in fine parvi Officii B. Mariæ. V. pag. cxxv.

FORMA ADMINISTRANDI
SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ

Pœnitens, facto ſigno Crucis, dicet

Bénedic mihi, Pater, quia peccávi.

Sacerdos, aperto capite

Deus ſit in corde tuo & in lábiis tuis, ut verè & contríto corde confiteáris ómnia peccáta tua; In nómine Patris, † & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Deinde Pœnitens, recitato Confiteor *uſque ad has voces* Verbo & ópere *incluſivè, exponet peccata ſua, quibus expoſitis, ſtatim continuabit* Confiteor; *& ter percutiendo pectus ſuum, dicet* Meâ culpâ, &c. *Tum Sacerdos attentè conſideratis numero & qualitate peccatorum à pœnitente expoſitorum, & datis conſiliis neceſſariis ſuper ejus converſione, ac impoſitâ ſalutari pœnitentiâ, dicet*

Miſereátur tuî Omnípotens Deus, & dimíſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Deinde Sacerdos manu elevatâ & expensâ ſuper caput Pœnitentis, dicet

Indulgéntiam, abſolutiónem & remiſſiónem ómnium peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

Si Sacerdos judicat differendam eſſe abſolutionem, admonito Pœnitente, ipſi

solùm benedictionem impendet: si verò absolutionem dandam existimet, dicet, operto capite, post quatuor priora verba


DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Sacérdos, absólvat te; & ego auctoritáte mihi ab eo concéssâ absólvo te primùm ab excommunicatióne, in quantum possum & tu índiges: deínde ego te absólvo ab ómnibus peccátis tuis, In nómine Patris, † & Filii, & Spíritûs Sancti. Amen.

Sacerdos detecto capite, recitabit sequentem precationem.

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, & mérita beatissimæ semper Vírginis Maríæ, & ómnium sanctórum; & ómnia bona quæ fecísti, váleant tibi in remissiónem peccatórum tuórum, in augméntum grátiæ, & præmium vitæ ætérnæ. Amen.

Si Pœnitens esset morti proximus, & præ brevitate temporis preces omnes & absolutio, ut superiùs jacet, recitari non possent, eo casu, Sacerdos pronuntiabit solummodò verba ad essentiam absolutionis necessaria, ipsumque absolvet à censuris quas incurrere, & à peccatis quæ committere potuit sub hac forma

EGo te absólvo ab ómnibus censúris & peccátis, In nómine Patris, † & Filii, & Spíritûs Sancti. Amen.





INDEX PSALMORUM.

Index Canticorum Psalterii.

FINIS.




DIVERSI MODI

INTONANDI PSALMOS & CANTICA.

TONUS I.




Di xit Dominus Domino me o: * Se de à




dextris me is. e u o u a e.

Pro Simplicibus *Pro Defunctis*




e u o u a e. e u o u a e.

Alius modus pro Annualibus & Solemnibus




Di xit Dominus Domino me o: * Se de




à dex tris me is. Donec ponam


Modus specialis intonandi Psalmum



In e xi tu Isra ël de Ægypto *



do mus Jacob de populo barbaro.



Facta est Judæ a sancti fi ca ti o e-

jus * Ifra ël poteftas e jus. Mare vi-

dit & fugit * Jordanis conver fus eft, &c.

Intonatio Canticorum

Magni fi cat a ni ma me a

Do minum. Bene dic tus .

I I.

Dixit Dominus Domino me o: * Sede

à dextris me is. Dixit Dominus

Domino me o: * Sede à dextris me is.


Intonatio Canticorum

Magni fi cat. Benedic tus Dominus De-


us Ifra ël, * qui a, &c.

I I I.

Dixit Dominus Domino me o: * Sede




à dextris me is. e u o u a e.




e u o u a e. e u o u a e.

Pro Defunctis.




e u o u a e.

Intonatio Canticorum




Magni ficat. Bene dictus Dominus De us




Iſ ra ël, * qui a vi ſi tavit,


I V.




Dixit Domi nus Domino me o: * Sede



à dextris me is. e u o u a e.




Pro Defunctis




e u o u a e. e u o u a e.

Intonatio Canticorum




Ma gni ficat. Be ne dictus Do minus




De us Iſ ra ël, * qui a,


V.



Dixit Dominus Domino me-o: * Sede à




dextris me is. Dixit Dominus Domi-




no me o: * Sede à dextris me is.

Intonatio Canticorum




Magni ficat. Bene dictus Dominus, &c.

V I.




Dixit Dominus Domino me o: * Sede




à dextris me is. e u o u a e.

Alius modus.




Dixit Dominus Domi no me-




o: * Sede à dextris me is.

Intonatio Canticorum




Magni fi cat. Bene dictus.


VII.



Dixit Dominus Domino me o: * Sede à




dextris me is. e u o u a e.




e u o u a e. e u o u a e.

Pro Defunctis




e u o u a e.

Intonatio Canticorum




Ma gni ficat. Be ne-




dictus Dominus De us Isra ël.

VIII.




Dixit Dominus Domino me o: * Sede




à dextris me is. e u o u a e.

Intonatio Canticorum



Magni ficat. Benedic tus Dominus



De- us I sra ël.

MEDIATIONES diversæ, pro dictionibus Hebraïcis; Græcis & Monosyllabis.

Mediatio II. IV. V. & VIII. Toni.

Dominus ex Si on. Sol non u ret- te. De us Ifra ël. Indu- tus eft.

I. Ton.

Dominus fuper vos. Domu i Ifra ël.

VII. Ton.


Dicat nunc Ifra ël. Cognovifti me.

JUBILUS feu PNEUMA quod protrahitur in fine Antiphonarum, quæ dicuntur poft Cantica Magnificat & Benedictus, *& in fine ultimæ Antiphonæ Laudum & Vefperarum, & cujuflibet Nocturni Officii Matutini pro diverfitate Tonorum.*


I. Toni.


II. Toni.


III. Toni.


IV. Toni. 

V. Toni. 



VI. Toni. 

VII. Toni. 



VIII. Toni. 